THE LIBRARIES
COLUMBIA UNIVERSITY

GENERAL LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SCRIPTORES RERUM HUNGARICARUM MINORES

HACTENUS INEDITI, SYNCHRONI, AUT PROXIME COÆVI

QUOS

AUSPICIIS

EMINENTISSIMI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS, ET S. R. I. PRINCIPIS

JOSEPHI DE BATTHYAN

ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS ET PRIMATIS.

EDIDIT

MARTINUS GEORGIUS KOVACHICH SENQUICIENSIS.

TOMUS II.

AD

COMITEM

JOANNEM ILLÉSHAZY.

BUDAE,
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS MDCCXCVIII.

1798

Digitized by Google

DB
923
.K6

v.2

580112

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO, AC ILLUSTRISSIMO DOMINO COMITI JOANNI ILLÉSHÁZY DE EADEM, HEREDITARIO IN TRENCHIN, II. COMITATUUM THRENCHINIENSIS, & LYPTOVIENSIS SUPREMO AC PERPETUO COMITI, S. CÆS. ET REG. A. MAJ. CAMERARIO, ET ACTUALI INTIMO STATUS CONSILIARIO.

EXCELLENTISSIME, AC ILLUSTRISSIME
DOMINE COMES!

Viros natalium ſplendore, ac munerum in Republica geſtorum meritis illuſtres, dum ad hæc etiam animi dotes accedunt, non vulgi opinione præoccupati colimus, ſed virtutis cauſa, allecti veneramur; ſecus, atque plebs facit, quæ veram magnitudinem metiri neſcia, fortunam potius, externa ſpecie percita, adorat, quam perſonam æſtimet. Non inficior equidem, majo-

580778

Digitized by Google

rum amplitudinem etiam ad nepotes jure quodam hereditario pertinere, & fortunæ benignitatem ad ornandam, aut potius ad ſuſtinendam meritorum dignitatem, aliquid non vulgare conferre, illum tamen vera honoris prærogativa imprimis pollere exiſtimo, qui ſe & majorum ſuorum nomine, & fortunæ favore dignum fuiſſe, ſuismet ipſe comprobat virtutibus, qui probi hominis,

Digitized by Google

nis, qui boni civis exemplar, quod intueantur, atque imitentur poſteri, ſuis moribus, ſuis exprimit actionibus, qui ſobrie vivit, proximos amat & juvat, patriæ officia exhibet, ſupremæ poteſtati fidem, & obſequium probat, avitæ religioni conſtanter adhæret, ſacra colit, Deum adorat, multis beneficia præſtat, nulli injuriam infert; qui denique talis eſt, qualem TE Excellentiſſi-

Digitized by Google

me Domine Comes! eſſe omnes novimus, cujus propterea nomini hoc, quod pridem geſtiebam, publicum venerationis monumentum gratus inſcribo. Budæ Die 30. Maji 1798.

Ejusdem Cultor
MARTINUS GEORGIUS KOVACHICH
Senquicienſis.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Tria ſunt, quæ hoc loco explicanda habeo: Fontes horum ſcriptorum, rationes, quibus inductus, minuta, & recentiora cumprimis profero, & Fragmenta quoque adopto. Subjiciam his quasdam notitias Bibliographico-Literarias de Lucubrationibus Verantianis.

Fontes omnino triplices indico, originarium, ſive autographa, & codices; remotum: potiſſimum Bibliothecas, in quibus illa reperiuntur, & communem, in quo Apographa a me ex illis deſumta conſervantur. Illos in ſerie chronologica ſcriptorum, ſingulis Tomis comprehenſorum præfixa, penes ſingulos ſcriptores recenſeo, hunc poſtremum in ipſa fronte Tomi I. indicavi, dum in titulo ipſo profeſſus ſum, eos me edere *ex Grammatophylacio Széchenyiano.* Totam nimirum ſupellectilem meam literariam Comes Franciſcus Széchényi ſuam effecit, mihi nihilominus indulſit, ut quæ ſive ad Lucubrationes, ſeu Collectiones typis vulgandas facerent, pro bono communi edere poſſim, qui, ut grati animi officium explerem, non poteram publice non profiteri, cujus id beneficio præſtare licuerit.

Digitized by Google

Inter ſcriptores, quos iſta collectione primum in lucem profero, pauci vetuſtiores, plerique trium poſteriorum ſeculorum ſunt, & quidam res nullo nexu copulatas, temere magis, quam juſto ſcribendæ Hiſtoriæ ſtudio connotaverant, ut adeo ſemet collectio nec Auctorum antiquitate, neque continuo hiſtoriarum filo illis commendare videatur, qui hæc imprimis deſiderant. Sed ego penitus exploratum habeo, notitiam Status Reip. recentioris multo eſſe magis neceſſariam omnibus, quam vetuſtioris illius, qua eos imprimis pollere decet, qui vel profeſſa opera hiſce ſtudiis incumbunt, vel penitiora de Republica conſilia agitant. Quid attinet, de Hunnorum origine, ſedibus Aſiaticis, expeditionibus bellicis, moribus, ſacrificiis, veſtibus, & ſimilibus, ad forum antiquarium pertinentibus rebus obſoletis, tam ſollicitis conjecturis disquirere, dum ignoramus, quæ legum origines fuerint, quem Hungari cum vicinis populis nexum habuerint, quæ ratio adminiſtrationis publicæ, qualia tribunalia, & uti nunc appellantur, Dicaſteria, vel proxime præterito ſeculo in Hungaria obtinuerint, quis monetarum valor viguerit, & plurima alia iſtis ſimilia, quorum memoriam præpoſtera iſta notionum ſtudia, ex umbra Scholarum ad forum vitæ civilis

trans-

Digitized by Google

translata, prope funditus jam eradicaverant, & quibus cognitis primum, ad orginem denique, & antiquitates altius progredi decet.

De Schedis illis memorialibus, quarum vilitate, nonnulli delicatiores offendi poſſe videntur, juvat id ſolum adferre, quod Mathias Belius in Præfatione ad Tomum III. ſcriptorum Rerum Hungaricarum abSchwandtnero editorum, ubi deMemoriali Pauli de Paulo quædam præmiſit, ita diſſerit:

„ Quapropter vellem equidem plures in omni
„ Hiſtoria hos iſtiusmodi μνημονικȣς, ſeu me-
„ morioſos haberemus ſcriptores, qui quod
„ in dies ſingulos vel ipſi adminiſtrarunt, vel
„ per alios, publico commodo, incommo-
„ dove adminiſtrata viderunt, in literas, cum
„ fide tamen referrent. Enimvero adſeverare
„ auſim, cum in *Notita Hungariæ* elaboranda
„ ſudarem, majores me ſubinde adparatus ad
„ illuſtrandam Arcium, Urbium, Caſtellorum, vi-
„ corumqueHiſtoriam ex hujusmodi plebeiorum
„ quorumvis hominum faſtis, ſeu ſchedis
„ memorialibus, quam ex exſanguibus Thuro-
„ czii, atque phaleratis Bonfinii, aliorumque
„ commentariis adſciſcere potuiſſe. Neque
„ tam eſt difficile Adverſaria iſtiusmodi con-
„ notare, quam juſtam hiſtoriam conſcribe-

„ re,

„ re, cum & tenuioris ingenii, judicii vero non
„ plane nullius homines, actus, qui ſibi fiunt
„ quotidie obvii, ſuis ſingulos locis cogita-
„ te, & breviter referre in memoriales ſche-
„ das poterunt. Qui ubi latuere tantisper,
„ dum res memoriam hominum ſunt ſuper-
„ greſſæ, tunc vero excuſſo ſitu, in lucem
„ protracti, tantum ad locupletandam Hiſto-
„ riam conferunt, quantum nemo credide-
„ rit, quam, qui id experiundo didicerit. Quæ
„ iſtiusmodi utiliſſima Adverſaria paſſim per
„ illuſtres, ac nobiliſſimas quasque in Hungaria
„ familias integris ſcriniis, capſisque hære-
„ ſcere, juxta cum gnariſſimis, optime ſcio,
„ ſed queri tamen cogor, ne hæc quidem
„ profutura ad Hiſtoriam Fragmenta, ab Gen-
„ te ſui ipſius, ac poſteritatis gnaviter obli-
„ ta in commune impetrari poſſe." Et pau-
lo ante:

„ Credi enim nequit, quantum boni,
„ atque utilis ad Hiſtoriam proventus habeant
„ hi iſtismodi commentarii, qui ex dierum
„ ſerie congeruntur, ut optarim ſane, plu-
„ res hujusmodi, non dicam Hiſtorici, ſed
„ Notarii exſtarent, qui res in literas refer-
„ rent, quibus vel interfuerunt ipſi, vel

„ ex-

„ experiundo hic, illicque didicerunt, quan-
„ tum ad rerum ſummam in Rempublicam ſi-
„ ve promovendam, ſive ſufflaminandam mo-
„ menti habuerint. Evenit quidem haud ra-
„ ro, ut in hujusmodi adverſaria res irre-
„ pant vulgares, & nimium quantum protri-
„ tæ, quæque non tam lucem, quam tene-
„ bras affundant Hiſtoriæ, univerſim in ſuo
„ nexu, & compage ſpectatæ; at enimvero
„ id tunc admodum cum Hiſtoriæ fit detri-
„ mento, cum ejus ſcribendæ provincia in
„ hominem plebeæ indolis incidit, aut oc-
„ cupata ab homine eſt, qui nequeat diſcer-
„ nere, quantum diſtent æra lupinis."

Nihil habeo, quod his impræſentiarum addam, niſi quod jam de difficultate popularium noſtrorum in communicandis iſtiusmodi ſcriptis queri non poſſim, imo de facilitate gloriari debeam; verum de paucitate emtorum, ſi hæc talia in lucem protrahantur, jure adhuc, & geminatim queri poſſumus, non quod hujusmodi ſcriptores nihil ad Hiſtoriam conferre exiſtiment, ſed quod pauci hujusmodi ſeriæ lectionis amantes, plerique rivulos inde derivatos, quam fontes ipſos delibare malint, vel quod collectiones, eruditorum potius, qui pauciores ſunt, uſui, quam familiari

miliari lectioni deſerviant, & multi in quasvis nugas facilius, quam in emendos libros pecunias expendant.

Cum in Præfatione ad Tomum I. p. XIII. profeſſus ſim, me Fragmenta operum, quorum integritas pro deperdita habetur, peculiari collectione complexa edere velle, hoc tamen hujus Collectionis Tomo potiſſimum hujusmodi Fragmenta proferam, & in ſequentibus quoque producturus ſim, facti ratio, ne quid ambigui ſuperſit, lectoribus reddenda eſt. Fragmenta nimirum majora, qualia ſunt hactenus Bruti, aut Samoſcii Hiſtoriarum, omnino ad peculiarem illam collectionem, velut collectionis ſcriptorum Rerum Hungaricarum majorum, hactenus ineditorum partem, aut Appendicem pertinent, minora vero, qualia hoc Tomo II. proferuntur, & in ſequentibus etiam occurrent, nihil obſtabat, aut ab inſtituto alienum videbatur, quominus reliquis Scriptoribus minoribus etiam permixta vulgarentur, imo, ut ita fieret, intererat, quo hocce producto ſpecimine, facilius & horum ad integritatem reſidua, & aliorum quoque adhuc latentia Fragmenta detegerentur, ac in lucem producerentur, quorum niſi initium aliquando fiat, ad finem neutiquam pertingemus. Atque tum hæc fuit cauſa,

cur

Digitized by Google

cur ea, quod congrue magis fieri poterat, ſeparatis Tomis collecta non ediderim, tum illa imprimis, quod ſi reliqua, ſparſa adhuc exſpectare, dum reperirem, voluiſſem, evenire potuerit, ut ne iſta quidem producerem.

In ipſo ejusdem Præfationis exordio illud quoque profeſſus ſum, ab hiſtorico-literariis, & Biographicis ac Bibliographicis notitiis de Auctoribus & Opuſculis, quæ profero, exponendis, me omnino abſtinere velle, quod aliquando, ubi collectio iſta completa prodierit, a me, vel aliis peculiari Tomo præſtari poteſt, hac nihilominus occaſione, qua Fragmenta Operum, imprimis Ant. Verantii, pleraque hactenus prorſus ignota produco, notitias ejusmodi ex ipſis Autographis hauſtas, quoniam nonnullæ vix ulli alteri obtigiſſent, vel ideo referendas eſſe cenſui, ut vel integritas horum ipſorum, vel Fragmenta aliorum Verantianorum Operum facilius & detegantur, & diſcernantur.

Ut a vulgatis ordiar, lubet adferre id, quod Katona Hiſt. Crit. Periodi. Auſtr. T. II. p. 797. ad An. 1548. produxit: *Quam*, inquit ille, *Hiſtoriæ Hungaricæ* (Ant. Verantius) *partem fuerit opere ſuo complexus, ex his literis, ad Stanislaum Laſcum Siradienſem Palatinum datis intelligimus:*

„ Miſi

„ Miſi lucubratiuncularum mearum quiddam „ ad te, & ad Joan. Bonerum, tamquam de- „ guſtamenta quædam reliqui, & futuri ope- „ ris, quod mihi *de ſucceſſu Rerum Hung.* „ *ab obitu Matthiæ Regis* contexitur; id „ ipſum idem Joannes pro ſingulari ſua hu- „ manitate porriget Amplitudini tuæ. Quid- „ quid autem hoc eſt, quod vobis a me mit- „ titur, quave etiam ratione oſtentetur, ſi „ tamen oſtentatur, facilius quidem vos æ- „ ſtimabitis, quam ego ulla excuſatione ido- „ nea, ſive commento quidpiam aliud per- „ ſuadere, poſſem, cum nemo eſt, etiam „ ultimæ ſortis mortalium, qui aliqua glo- „ riæ cupiditate non ducatur. Boni itaque „ conſulite, mecum, ut cum homine, qui „ errare poteſt, agite, & judicate omnia li- „ bere, nihil hac in parte benevolentiæ dan- „ tes, tamquam ea, quibus adhuc cum li- „ turis non parum eſt negotii - - - Cra- „ coviæ 25. Nov. 1548."

Eadem de re - - - ad Joannem Bonerum ſcripſit:

„ Mitto tibi, & illuſtri Palatino Laſco, no- „ ſtro, inquam, Laſco, & omnium eorum, „ qui virtutem viri cognovere, *duo Frag-* „ *menta Hiſtoriarum mearum* utinam non in- „ eptia-

„ eptiarum, quarum aliquam partem tanto-
„ pere a me flagitaſti. Quod potiſſimum
„ mitti volebas, nequivi exiguo temporis
„ ſpacio deſcribere, opus enim eſt plurium
„ dierum, limæque, & cognitionis eget di-
„ ligentis. Non te tamen diu tenebo, quip-
„ pe, qui ubi primum auſpice Deo in Tran-
„ ſylvaniam penetraro, mox tibi ea in re mo-
„ rem geram. In his interim, ſi non ſatis-
„ fecero Palatini noſtri ſtomacho, qui nobi-
„ lioribus, meliusque conditis epulis aſuevit,
„ cum noſtrum penu tenue eſt, dices, pri-
„ mam eſſe tabellæ adumbrationem, eam-
„ que me more Apellis proponere ad judi-
„ candum - - - Judicium ejus pro amore,
„ quo eſt in te, proque humanitate, quam
„ in omnes liberaliter exercet, incumbe, ut
„ impetres, & ad me perſcribas velim. Polli-
„ ceor, eo me ſic uſurum, ut aliud cujus-
„ piam non requiram. Iſthæc autem ſcripta,
„ quæ ad vos miſi, da operam, rogo, ne,
„ præterquam in veſtris, in ullorum homi-
„ num manibus verſentur. Vale 12. Dec.
„ 1548. Cracoviæ. “

Stanislaus hic Laſcus Hieronymi, legatione Turcica notiſſimi frater erat. An autem opus il-

lud

Digitized by Google

lud Verantius perfecerit, an vel ea Fragmenta, quorum hic meminit, alicubi deliteſcant, penitus incertum eſt. Verantius quidem, ſi deſtinatum opus perfeciſſet, de Hiſtoria bene meriturus erat.

In priore Epiſtola diſerte indicat Fragmentum *futuri operis, quod illi de ſucceſſu Rerum Hung. ab obitu Matthiæ Regis contexitur*, quod ego hujus Tomi II. N. XI. p. 34. ab interitu vindicatum profero, de quo igitur certum eſt, eſſe illud, cujus veſtigium in illa Epiſtola exſtat, certum, opus illud, cum eam ſcriberet, *futurum* tantum, non abſolutum fuiſſe. Dubium tantum ſupereſt, an Fragmentum, quod profero, integrum illud ſit, quod ſe ad Bonerum miſiſſe ſcribit, & an Verantius deinceps opus iſtud perfecerit. Fragmentum meum in Autographo, ex quo illud deſumſi, non fuit mancum, ſed abruptum, quia ubi deſinebat in medio albæ chartæ, nihil plus ſequebatur, neque in fine Ternionis ulla vox pro cuſtode poſita, continuationem deeſſe indicabat, quemadmodum in quibusdam aliis ejus Fragmentis Autographis obſervatur. An autem ad Bonerum, iſtud tantum, vel majus aliud Fragmentum (nam Fragmentum tantum, non opus integrum miſiſſe, contextus utriusque Epiſtolæ clare indicat, & ipſe Katona id inde colligit)

mi-

miſerit, inde dubitare licet, quod in meo Fragmento fere tantum exordium, vel potius præfatio, vix ipſa integra, narratio fere nulla adhuc occurrat; qua re adeo minuta, niſi plus miſiſſet, neſcio quo modo Verantius tantopere gloriatus fuiſſet, ut de oſtentatione, de gloriolæ cupiditate, ad Laſcum ſcriberet, ut ejus judicium ſibi a Bonero perſcribi rogaret, ut velut primam Tabellæ adumbrationem, more Apellis proponeret ad judicandum. Veroſimile igitur eſt, Fragmentum illud ad Bonerum miſſum, majus hoc meo, fuiſſe. Illud vero etiam certum, majus illius operis Fragmentum jam tunc ab eo conſcriptum extitiſſe, quam illud quoque fuerit, quod Bonero miſit, cum in Epiſtola ad eundem ſcripta profiteatur, id, quod potiſſimum mitti volebat, nequiviſſe ſe exiguo temporis ſpacio deſcribere, opus enim eſſe plurium dierum, quod ſe illi deinceps miſſurum promittit; igitur non totum, quod paratum habebat, miſit. An autem poſtea etiam reliquum abſolverit, nullo certo veſtigio affirmare, dubitare vero ea conjectura poſſum, quod poſteaquam ad Ferdinandum deſciuiſſet, continuis fere legationibus, ac demum, creatus Archiepiſcopus Strigonienſis, & aliquo tempore Locumtenens Regius, tot negotiis occupatus fuerit, ut

)( )(vix

vix opus aliquod majus vel conſcribere, vel expolire potuerit. Laboraſſe eum in Hiſtoria Hungariæ diu, atque diligenter, diſcimus ex ipſius Epiſtola ad Gaſparem Peſthium Cracovia die 10. Nov. 1549. ſcripta, & a Katona l. c. p. 833. producta, qua ſe Antonii Bonfinii Hiſtoriarum Decadis V. Libros V. in Polonia apud Andream Triceſium detexiſſe ſignificat, quod tamen ibidem pag. 1027. in Epiſtola Viennæ die 5. Martii 1580. ſcripta, dum a Franciſco Revay ejusdem operis Decadem IV. & V. petit, prorſus diſſimulat, & ſequentibus concludit:

„ Si Deus nobis otium fecerit, quam ci-
„ tiſſime potero, reliquum quoque hoc Bon-
„ finii nominis luci dare polliceor, cui &
„ Broderici, olim virtuoſorum parentis, adji-
„ ciam Mohachium, daboque omnem ope-
„ ram, ut *poſtquam fato quodam Antonii da-*
„ *ti ſunt, qui Hungarorum geſta literarum*
„ *monumentis commendent*, quatulacunque
„ valeam eruditione, curem vel voluntati
„ meæ, maximæ ſane, hac in re ſatisfacien-
„ dum. Quodſi exſpectationi nequivero,
„ Hiſtoriæque magnitudine, cujus ne no-
„ men quidem arrogo, magnam ſaltem ma-
„ teriam dicar præbuiſſe doctioribus, eam-

„ que

„ que, tametſi ſimplicem, ac forſan etiam
„ rudem, quod non inficior, *uberem ta-*
„ *men, & magno mihi labore jam per an-*
„ *nos duodeviginti conquiſitam aſſequan-*
„ *tur.* "

Profecto per annos octodecim magno labore longe uberiora, quam hæc quæ ſuperſunt, Fragmenta, conquiſiverit, quibus fretus, nomen ſuum *Antonii* penes nomen *Antonii* itidem Bonfinii ponit, & fato quodam Antonios datos eſſe ominatur, qui Hungarorum geſta literarum monumentis commendent: Quamquam Verantium etiam minutis ſuis lucubratiunculis ſatis gloriari ſolitum fuiſſe, obſervari poſſit ex Epiſtola, qua ſe ad Andream Triceſium quosdam verſus mittere ſcripſit, apud eundem Katona l. c. p. 836. priori mox ſubjunctâ:

„ Revoluebam heri Chartarum mearum
„ ſcriniolum, ubi quum incidiſſem in quos-
„ dam meos verſiculos ad Faberinum, Ma-
„ gochium & Keſſum, in Tranſylvania factos
„ proximis annis, mox me putavi, gratam
„ rem tibi facturum, ſi eos ad te quampri-
„ mum mitterem, ut ad proſaicas nugas
„ meas, quas nuper tanto affectu, & qui-
„ dem merito tanto, ut meras nugas le-

)( )(2 „ gere

„ gere videbaris, nunc verſuum quoque „ ineptias, plus ſane, quam triviales per- „ curreres, & noſcere non gravareris, uti „ eos ſæpe alias deſideraveras. Habes igi- „ tur, quod optaſti, verum, ſi redolebunt „ Minervam minus propitiam, referentque „ horridiorum numinum favores, nec ob id „ dignos judicabis Triceſianis ædibus, mu- „ ſæoque iſto tuo prope Apollineo, ſcito, ex „ Geticis, Dacicisque fontibus prodiiſſe" (etiam Naſo ultra eosdem adhuc fontes projectus, verſiculos, propitiam Minervam redolentes ſcripſit). „ Quare vatem ſic excu- „ ſes, ſic verſiculos ejus admittas, mi Triceſi, ut „ amicitia & humanitate tua utriusque par- „ tis ſuppleat defectus. Eunt enim ad ra- „ ram limam, nec timebunt lucem, ſi ejus „ indice examinabuntur. 26. Octo. 1549. „ Cracoviæ."

Subjicit his Katona: *Verſus, Inſcriptiones, ſupellex hiſtorica, lucubrationesque, quarum Verantius meminit, interciderunt, niſi forte Samuel Keleſerius in Auraria Romano-Dacica Verantianas Inſcriptiones produxiſſe credatur. Hæc omnia Verantium eruditornm cætu dignum oſtendunt.* Imo vero verſus Verantiani habentur cum Charto-

phyla-

phylacio Verantiano-Draganichiano in Grammatophylacio Széchényiano, duobus quidem Ternionibus inſcripti, ſed qui paucas in typo pagellas explerent, neque tanti viderentur, ut commemorari debuerint, niſi Verantianum nomen præferrent. Inſcriptionum quoque Fragmenta quædam ibi adſunt, ſed quam antiquitatum Sabarienſium deſcriptionem ſemet Ambroſio Beycio transmittere in Epiſtola apud Katona l. c. p. 1012. ſcribit, eam nondum habemus, & ſuppellex hiſtorica, præter id, quod Epiſtolis ſuis, quæ in Bibliotheca Agrienſi autographæ aſſervantur, complexus eſt, quam hactenus deteximus, fere tota hoc Tomo producitur. Lucubrationes quædam jam antea editæ exſtant, neque dubito, quin omnium in Epiſtolis, ſi omnes ſupereſſent, veſtigia occurrant. Et hæc fere ſunt, quæ de operibus Verantii, ut putabatur, deperditis, non ita pridem producta, ſed & ipſa adhuc paucis nota ſunt.

In Epiſtola ad Bonerum ſuperius recitata, ſcribit ſe Verantius *duo Fragmenta Hiſtoriarum ſuarum* ad eundem transmittere. Unum eorum in Epiſtola ad Laſcum diſerte indicat eſſe *de ſucceſſu Rerum Hung. ab obitu Mathiæ Regis*, & iſtius, ſaltem initium habemus. Quod alterum fuerit, non tam proclive eſt conjicere. Inter ea, quæ

)( )(3 ha-

hactenus detexi, unum tantum eſt, quod ante annum 1549. veriſimiliter ſcriptum fuerit, nimirum de rebus geſtis Joannis Regis Libri II. quos N. XII. p. 39. produco, & Liber III. de ſitu Tranſylvaniæ, quod opus etiam ita, uti mancum ſupereſt, ad deſcribendum plurium dierum fuit, limæque egebat diligentis, uti Verantius in eadem Epiſtola ipſe fatetur, & quod ſibi Bonerus potiſſimum mitti probabilius voluerit, cum agat de rebus, partes illas propius tangentibus, ſed iſtud certe non fuit tale, quod magno labore per annos octodecim conquirere debuerit. Licet enim p. 59. deficiente uno ternione, tantumdem nimirum, quantum præceſſit, mancum ſuperſit, in magnum tamen volumen nunquam excreverat, etiam ſi ab auctore abſolutum fuit, ut veriſimile eſt, tum quod de rebus jam præteritis agat, tum quod in prolixo exordio Libri III. ad duos priores provocet, quibus nondum abſolutis, vix ad hunc Librum III. progreſſurus fuerat. Cum ego non Autographum ipſum, ſed recentiorem copiam hujus opuſculi ad manus habuerim, quæ manca fuit, ſpes ſuper eſt, ut reliquum etiam, quod certo ab autore conſcriptum fuerat, detegatur. Sed iſte, quem ego ex copia retuli duorum illorum Librorum ex ingenio recentioris copiatoris non ſat

apte

Digitized by Google

apte præfixus titulus: *de rebus geſtis Joannis Regis*, huic narrationi particularis eventus non convenit, ſiquidem Joannes multa quidem cum Turcis, plurima tamen cum Ferdinando, nec nulla plane cum Sigismundo Poloniæ Rege, aliisque Principibus negotia habuerit, de quibus in his duobus libris nihil omnino occurrit. Senſu ipſius Auctoris inſcribi debuiſſet: *De expeditione Solymani Turcarum Cæſaris A.* 1538. *in Moldaviam & Tranſylvaniam contra Petrum Vayvodam, & Joannem Regem Libri II.* ita enim ipſe illos commemorat in exordio Libri III. p. 83.

Hunc autem, N. XIII. p. 82. a me productum, quem ibidem Librum III. appellat, tum in ipſo Autographo, ex quo illum deſumſi, *Farraginem indigeſtam*, vocat, tum in contextu p. 86. profitetur: ſe memorabiliora tantum, & *illa in acervum congerere* quaſi jam initio deſtinaſſet, farraginem indigeſtam relinquere. Teneo autem fere pro explorato, Librum hunc III. & quod produco, id totum comprehendere, quod Verantius re ipſa conſcripſit, non ſolum, quia Autographum nuſpiam defectu laborat, ſed etiam quia materiam exhaurit, ut ipſa ejus concluſio, poſt verba: *ſed ne exiguum opus in magnum caput excreſcat*, terminari illud

indicat. Ad limam tamen, ſaltem iſtud, quod produco, revocatum non fuiſſe, ſuapte patet.

E Caſtigationibus Verantii in Jouium N. XIV. p. 114. productis, in ipſo Autographo initium deeſt, in medio nuspiam hiat, & in fine media charta, reſiduo albo remanente, abrumpitur, vel potius terminatur. Alioquin hoc Fragmento Budæ tantum deditio ita deſcribitur, ut præter initium de Ferdinandi obſidione, & adventu Turcarum, in fine nihil prorſus ad ejus hiſtoriam deſideratur.

Fragmentum Rerum Hungaricarum Anni 1551. N. XV. p. 141. productum, ipſe Verantius in Autographo ſic inſcripſit, & media alba charta ita abrupit, ut indubie totum ſuperſit, quod Autor ſcripſit.

Dialogus N. XVI. p. 157. productus videtur eſſe initium illius itineris, quod itidem, tamquam Fragmentum in Epiſtola ad C. Georg. Banffy N. 19. p. 30. ad A. 1553. inter Diaria Rerum Hung. recenſui. Ita enim ibi hoc iter deſcribit, quemadmodum hic p. 158. fratrem a ſe poſtulantem inducit, & a die 19. Julii continuat, quod hic p 173. usque diem 18. ejusdem produxit. Deeſt tamen inter hoc, & illud Fragmentum adminus unus intermedius Ternio, quo adhuc domeſtica

ſtica quædam perſtrinxit, uti vox illa *Hæc* p. 176. ultima indicat. Editor illius Itinerarii erronee exprimit illud A. 1553. exaratum eſſe, nam ſi Dialogus iſte illius exordium eſt, manifeſte patet, Opuſculum poſt reditum ex legatione ſatis diuturna ſcriptum eſſe, et ea, quæ narrat, ad annum 1557. referenda ſunt.

Fragmentum ejusdem Verantii N. XVII. p. 277. productum e majori quopiam, ſeu opere integro, ſeu itidem Fragmento ſupereſt, ſed quo pertineat, nulla conjectura aſſequi poſſum. Breve quidem licet, ultimum tamen Perhati fatum abſolvit.

Cum mihi, ut in aliis ſatis avara, ita in rarioribus theſauris, literariis ad manus ultro quaſi offerendis, ſæpe liberalis fortuna, partem Chartophylacii Verantiano-Draganichiani, anno ſuperiore Sibenico e Dalmatia Viennam delatam, beneficio immortalium meritorum Comitis Franciſci Széchényi, qui illam ære parato ad ſe redemit, inde Budam ad me transmiſſam, propriis oculis inſpiciedam, & manibus terendam conceſſerit, ſpero me lectoribus non injucundam, illis vero etiam utilem rem facturum eſſe, qui aliquando ſive vitam Verantii, ſeu etiam ſcripta diligentius recenſere voluerint, ſi Chartophylacii illius Elenchum,

uti

Digitized by Google

uti a me tum, properante licet, & obiter, ita tamen confectus fuerat, ut quod ad Hiſtoriam pertineret, exhauſiſſe mihi viderer, quatenus Verantios attinet, ordine chronologico redactum, in Appendice hujus Tomi retulero. Alioquin ex eo permulta hiſtorica, non minus, quam e memorialibus chronicis, cum certitudine tamen diplomatica erui poſſunt. Forte illuſtris Batthyanyius Præſul Tranſylvanienſis his quoque incitabitur ad maturandam Verantianorum, quam pridem meditatur editionem, quæ longe plus, quam opera Hieronymi Balbi, a Retzero diligenter edita, ad res domeſticas facient.

Ad Fragmenta hoc tomo producta referenda eſt etiam *Decii Barovii commentariorum de rebus Hungaricis & Tranſylvanicis* Decas X. N. XX. p. 233 operis, uti hactenus creditum eſt, deperditi, a me primum detecta & vulgata. Opuſculum de ſe integrum videri poteſt, quo peculiaris belli ſinanici hiſtoria deſcribitur. Optandum eſt, ut opus ipſum, ſeu præcedentes Decades IX. diligentius quærantur, & detectæ in lucem producantur, quæ ſe eadem indubie narrationis ſimplicitate ac perſpicuitate, qua iſtud multis aliis præſtat, lectoribus vehementer commendarent. De Auctore ipſo obſervo, videri eum *Joannem Détſium*

Ba-

Digitized by Google

Baronium vel *Baranium*, id eſt *Baranienſem* ſcribendum fuiſſe, niſi ipſe familiare nomen latinitate donare maluiſſet, diſerte enim hujus Decadis X. L. IV. Cap. II. initio ſtatim Comitatum Baranienſem ſuam patriam appellat.

In Appendice hujus Tomi II. ſubjunguntur etiam *Conſtitutiones exercituales Univerſitatis trium Nationum Tranſylvanicarum, Nobilium videlicet, Siculorum, atque Saxonum, a Sereniſſimo Domino Mathia Rege approbatæ A.* 1463. *fer. III. poſt Dominicam Miſerere:* Budæ. Provocantur illæ art 12. Anni 1526. & hactenus pro deperditis haberi poterant. Cum autem ego *Acta Publica, ad quæ in legibus provocatur* colligere ſtatuerim, commendaveram hoc monumentum in Tranſylvania quærendum jam A. 1794. quod tandem nuper admodum a Georgio primum Aranka, Tabulæ Regiæ Judiciariæ, quæ Maros-Vaſarhelyini eſt, Aſſeſſore, Viro ſagaciſſimo & de Muſis Tranſylvanicis præclare merito cum Epiſtola die 14. Aprilis, dein a Comite Georgio Banffy, Tranſylvaniæ Gubernatore, inſigni literarum promotore, itidem cum Epiſtola d. 13. Maji ad me data, & hoc plane die, quo hæc ſcribo oportune mihi reddita obtinui. Eſt monumentum omnino illuſtriſſimum, cujus primi editoris gloriam mihi

hi per hos illuſtres viros procuratam eſſe, eſt omnino quod gratuler. Licet autem diplomaticum ſit, & ad collectionem illam, actorum in legibus provocatorum, pertineat, huic tamen collectioni, poſtquam producto jam in Appendice Tomi I. æque illuſtri monumento diplomatico, rarioribus hiſce, parce tamen, locum reſervavi, ſubjiciendum etiam interea putavi, ne diutius lateret, quod cum Regeſto Sigismundi de exercituatione & aliis, quæ hanc in rem in Supplemento ad Veſtigia Comitiorum itidem primus produco, argumento, etiam poſt plurium lucubrationes, nondum ſatis eruderato, multum lucis adfundet.

Budæ die 29. Maji. A. 1798.

Martinus Georg. Kovachich
Senquicier.ſis.

SE-

Digitized by Google

SERIES
CHRONOLOGICA SCRIPTORUM
HOC
TOMO II.
COLLECTIONIS CONTENTORUM.

I. Epitaphium Magnifici Joannis de Hunyad Regni Hungariæ Gubernatoris. p. 1.

Ex ſtylo Cancellariæ Mathiæ I. R. Thomæ de Nyrkálló, qui aſſervatur in Bibliotheca publica Quinque-Eccleſienſi. p. 240.

II. De obitu felicis recordationis condam Magnifici, & Inclyti Domini Joannis de Hunyad, hujus Regni Hungariæ Gubernatoris feliciter incipit Epitaphium. p. 5.

Ex eodem ſtylo Thomæ de Nyrkálló.

III. Supplicationes pro novo Rege indictæ, & ſacra paſſim celebrata. p. 8.

Ex ſtylo Cancellariæ Ferdinandi I. ſub Nic. Olaho Bened. Zercheky fol. 926. in Biblioth. Joſ. Card. de Batthyan.

IV. Fauſtæ acclamationes de electo Mathia in Regem Hungariæ. p. 9.

Ex Eodem ſtylo Benedicti Zercheky. fol. eodem 926.

V. Prognoſticon de Mathia Corvino Rege. p. 9.

Ex ſtylo Thomæ de Nyrkálló. p. 419.

VI.

Digitized by Google

VI. Chronicon Rerum ſub Mathia Corvino Rege. p 10.
Ex eodem ſtylo. p. 240.

VII. Epitaphium ſuper exciſione urbis Varadienſis. p. 11.
Ex eodem ſtylo. p. 30.

VIII. Epitaphium Mathiæ Corvini Regis. p. 12.
Ex eodem ſtylo. p. 334.

IX. Relatio de ſtatu, & proventibus Regni Hungariæ tempore Regis Mathiæ I. Nuncii Apoſtolici ejus temporis. p. 13.

Ex Biblioth. Ambroſ. Sig. S. 86. part. ſuper. & R. 94. part. ſuper. ab Ignatio Comite de Batthyan Epiſcopo Tranſylv. mecum communicata. Videtur autem eſſe verſio latina, nam hoc ipſum monumentum lingua Italica mecum per C. Joan. Nep. Eſzterházy communicatum, præ manibus habui.

X. Relatio de Victoria contra Turcos A. 1538. obtenta. p. 32.

Ex Originali minuta Biblioth. Aug. Vindob. Cæſ. Aulicæ inter Epiſt. var. Cod. Theol n. 102. p. 114.

XI. De Rebus geſtis Hungarorum ab inclinatione Regni Antonii Verantii Fragmentum Hiſtoriæ. p. 34.

XII. De Rebus geſtis Joannis Regis Hungariæ Libri II. Autore Antonio Verantio Fragmentum. p. 39.

XIII. De Situ Tranſylvaniæ, Moldaviæ, & Tranſalpinæ Fragmentum. Farrago indigeſta. Antonius Verantius Sibenicenſis Dalmata p. 82.

XIV. Caſtigationes Antonii Verantii in Jovium. Fragmentum. p. 114.

XV. Fragmentum Rerum Hungaricarum Anni 1551. Antonio Verantio Autore. p. 141.

XVI.

Digitized by Google

XVI. De itinere, & legatione ſua Conſtantinopolitana Antonii Verantii cum fratre ſuo Michaele Dialogus, Fragmentum. p. 157.

XVII. Antonii Verantii Fragmentum. p. 177.

XVIII. Summa ſucceſſus ultimæ Actionis Legatorum Antonii Verantii, Franc. Zay, & Augerii a Busbecche apud Principem Turcarum Zoleimanum habitæ 1557. menſe Auguſto. Ad Sacratiſſimam Regiam Majeſtatem Dominum ſuum Clementiſſimum. p. 180.

Omnia hæc a N. XI — XVIII. ex Chartophylacio Verantiano-Draganichiano in Grammatophylacio Széchényiano.

XIX. Nomina DD. Prælatorum, & Baronum Regni Hungariæ in Generali eorum Conventu pro prima die menſis Auguſti A. D. 1569. ex Edicto Sacræ Rom. Im. & Regiæ Maj. Poſonii celebrato. p. 224.

Ex MSS. Kaprinaianis ſerie ſub Lit.A.in fol.Tomo XIII. N. 126.

XX. Commentariorum de Rebus Hungaricis, ac Tranſylvanicis Decas Decima, continens Hiſtoriam belli Sinanici, ac Rerum ab A. S. R. 1592 — 1595. geſtarum. Autore Joanne Decio Barovio. p. 233.

Ex Apographo coævo, ut videtur, Gregorii Nagyfalvi, a Mich. Doka Judice Nobilium Comitatus Poſonienſis mecum communicato deſumta.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX.

HUJUS TOMI II.

XXI. Ex vetuſto Antiphonario in Membrana ſcripto, ex Bibliotheca Budenſi ad Viennenſem Cæſaream translato excerpta. p. 379.

Ex MSS. Kaprinaianis in fol. ſerie ſub L. A. Tom. XI. p. 133.

XXII. Ex vetuſto Breviario Strigonienſi in folio, veteri charactere monaſtico impreſſo A. 1484. ex eadem Budenſi Bibliotheca allato, nuncque in Cæſarea Bibliotheca Viennæ aſſervato excerpta. p. 382.

Ex iisdem MSS.

XXIII. Conſtitutiones exercituales Univerſitatis trium Nationum Tranſylvanicarum, Nobilium videlicet, Siculorum, atque Saxonum a Sereniſſimo Domino Mathia Rege approbatæ. Budæ Anno 1463. Feria III. poſt Dominicam Miſerere. p. 383.

Ex Copia vetuſti coævi Apographi. Deſcripſit de verbo ad verbum Georgius Zabo in Zilah 1464.

XXIV. De Siculis, & modo ſignaturæ Boum. p. 387. Ex MSS Comitis Joannis Hadik.

XXV. Elenchus Chronologicus monumentorum literariorum Chartophylacii Verantiano Draganichiani, jam Grammatophylacii Széchényiani. pag. 389.

Digitized by Google

MARTINI GEORGII KOVACHICH
SENQUICIENSIS.

SCRIPTORES
RERUM
HUNGARICARUM
MINORES

INEDITI

TOMUS II.

Digitized by Google

SCRIPTORES
RERUM HUNGARICARUM
MINORES INEDITI.

I.

EPITAPHIUM.

Magnifici Joannis de Hunyad Regni Hungariæ Gubernatoris.

Magnificus, & inclitiſſimus Dux Joannes de Hunyad condam Regni Hungariæ Gubernator, hic noſtri temporis Judas Mahabeus, ut Hector victorioſiſſimus, David manſuetiſſimus, & Paris jucundiſſimus, Salamon ſagaciſſimus, & Abſolon pulcherrimus, Theucrorum durus malleus, aliis in tonitru gentibus formidoloſus, orbi famoſiſſimus, ſanctæ eccleſiæ gladius unicus, ejus memoria in ſecula ſeculorum ſit in benedictionibus, quia ipſo Duce, & rectore ſub caſtro Nandoralbenſi faſtu ſuperbiſſimus, & yatu ſerviſſimus, dominii orbis avidus, & toti chriſtianitati orridus Imperator Teucrorum per exercitum Cruceſignatorum a ſuo conamine retortus, in ſua virtute eſt contritus, machinis omnibus ſpoliatus, & in pectore ſagittatus, de ſub caſtro eſt fugatus Magnus Mathumetus, proinde exultet ſpiritus paracli-

Digitized by Google

tus talis victoriæ, dono triumphali largitione magnificus, jubilet cætus angelicus, & merito gaudeat omnis ordo catholicus & ſalubrius populus hungaricus tali defenſatore orbatus, cujus patrocinio contra omnes in gyro nationes providus erat ſcutatus. Quia hic Joannes Melleus ſuper favum dulciſſimus memoria ſua juſtiſſimus multo magis quam Chwcarus multo laude digniſſimus, veluti qui exſtiterat virorum præclariſſimus, quia juxta phropheticam veritatem ſummæ virtutis manu de limo in ſublime fuerat erectus, & cum principibus collocatus ex alto olympeo throno æterni regis largitate multiformium virtutum varietate venuſtatus, & donis gratiarum raris multis victoriis auctus, uti qui pro Reipublicæ commoditate contra filios deſertores & veritatis perſecutores, & impios calumniatores, & pauperum oppreſſores, & divinæ legis prævaricatores, vita comite ad orientem, & occidentem, ad auſtricum, & ſeptemtrionem deſuper dato ventillavit cornibus, ac etiam finaliter contra draconem peſtiferum ipſum videlicet Mathimetum Dei gratuite muneratos, myſteriis divinis conſignatus in eo; quod poſt victoriam in loco victoriæ infirmatus, & ſacramentis eccleſiæ bene armatus, & ſpe ſalutis æternæ fortiſſime roboratus, deſiderio ad ſuperna erectus, & aſſidua inter miſerabilis poſtulatione vitæ in deum directus, paulo ante mortem devotiſſime geniculatus, deinde in lecto reclinatus, & inclitorium commilitonum turmis circumſtantiatus, ſecunda die cælici, victorioſique militis beati Laurentii ſpiritum tradidit talibus exemiis opificatus, & multis prærogativis laureatus, & ſic Deo diſponente de præſenti ſeculo eſt translatus, & in domum æternitatis collocatus, dum annus dominicus currebat milleſimus

qua-

Digitized by Google

quadringenteſimus quinquageſimus ſextus, quo mortuo exuberavit planctus, & eum amantium cordibus miri doloris defluebat rivus, & ex multis pectoribus reſonabat ſingultus, & ſuper quo gemuit Senatus Raguſinus, & lamentum ſumſit omnis, qui ſincerus inerat ſenſus, qui quo moriente ipſum diligentibus nullus apparuit ſuo decore privatus, & quaſi ſemiorbis æſtimatus, & ſubterratus, & præcipuo ejus obitum non tantum hominum ſtatus ætate maturatus, ſed etiam luctuoſe planxit, & flevit parvulinus, & in prædicto regno eum amare luxit ordinis minorum ſacræ religionis Sancti Franciſci quilibet alumnus, cum quibus fuerat aſpirante ſemper lucis radio provida, ſalutiferaque caritate deputatus, & eorum exſtiterat ſvavis patronus, ejusque vitæ carentiam non tantum ejus amicus ſed etiam qui fuerat inimicus jam ſenſit gemebundus, heu quis non doleat, niſi homo capite inſanus, & corde livoroſus, & quis non mæreat pro viro tam glorioſo, qui fuerat veritate floridus, nec ei comparabilem a diurnis temporibus habuerat tellus, nunc regni profectibus deſpuit, theſaurus per eum cumulatus, ut luculenter proſpicit quilibet mentem oculatus, jam clareſcit, quantum in gerendis militiæ rebus per divinam providentiam fuerit directus, & quantum in hoc opere Deo fuerit acceptus, & quantum ad hoc myſterium ab eo fuerit electus; eo namque defuncto glomeratorum contra Thurcos Cruceſignatorum ſolutus eſt cuneus & diſperſus eſt exercitus, & etiam exterorum armis accinctorum numero copioſorum ad auxiliandum convolantium vanificatus eſt adventus, & eorum retrogradus tactus eſt curſus, nec usque ad proſpectum inimici tenſus progreſſus, heu quia cecidit fulgidus carbunculus, cujus ſplendorem impreſſit tenebris ad bella

 pro-

Digitized by Google

procedebat vir armatus, & cujus lucis ducatu primò belligerantium militum vehebatur exercitus orthodoxæ crudelitatis cum hoſtibus pugnaturus, heu corruit gladius gedeonicus, cujus acie terrebatur homo goliaticus, & percutiebatur vir prædonicus, vulnerabatur ſuperbus, & fugabatur impius, & malignantium compeſcebantur inſultus, elanguit vultus elegantiſſimus, quo decorabatur magnatorum conventus, & expalluit color purpureus, quo delectabatur aſpectus. Heu evanuit odor balſamicus (per totum mundum diſuſus) quo reficiebatur mente conſternatus, & mœrore confectus, & tribulationum paſſionibus anguſtiatus, heu ſciſſum eſt pneuromaticum, quo exilii frigore tegebatur pupillus, & ſub cujus velamine quietus reſidebat fugæ obnoxius, & tranquille fovebatur ab hoſte tremebundus, heu abſceſſit aureum decus, cujus valitudine ab hoſtium faucibus eruebatur vinctus, & a capturæ nexibus tuebatur clerus, & in quietis gremio laudabatur Deus, & in pacis nidulo lactabatur parvulus, heu rupturæ patuit diadematicus capitis ornatus, quo decorabatur virginicus ſtatus, & fulciebatur pudicitiæ cultus, ne a ſceleratis fieret dedecoratus, & a ſceleroſis fieret fæculentatus, & a libidinoſis conſtupratus, heu confractum eſt ſpeculum ilaritate nitidum hunc decent, laudum præconia, ſed quia glorioſa opera, & virtutum magnalia, ut ardens lucerna fulgentia vere ſaluberrima gaudio & admiratione digniſſima cum ſint multifaria, & fere innumerabilia paucis nequeunt explicari ſermonibus, hoc brevi Epitaphio ipſum deſignat &c. Anno Domini MCCCCLXXVI.

II.

Digitized by Google

II.

DE OBITU.

Felicis recordationis condam Magnifici, & Inclyti Domini Joannis de Hunyad hujus Regni Hungariæ Gubernatoris feliciter incipit.

EPITAPHIUM.

Stylo puerili ſed & nimis calamo vili
Hoc opus peregi lectorum pro memoria pegi.
Joannes deceſſu Hunyady ejusque receſſu
Luce de hac viva, qui ſtat, ut reor, in luce diva
Lapſus per mille quatuor cent decies quinque
Annis bis ter junctis in profeſt Appollinaris
Turcis proſtratis aliis clam nocte fugatis
Sub caſtro Nandoralba non longe luce in alba
Parta palma Trophei, triumphalisque palma
Is Hunyadi Janus hic Vajvodaque Tranſylvanus
Regni Gubernator hunicc gentis quoque amator
Comes Biſztricianus ſupremus capitaneus Nandor Albanus
Structor baſilicarum, auctor ſanctarum reliquiarum
Clericorum fautor, virginum, & viduarum protector
Quos circiter deus texit annis fædere egis
Hic auxit, evulſit, impulit, obruit, uſſit
Raptores, iniquos, perfidos malosque malignos
Paululum is ægruit lecto mortis probraque luit.
Apoſtematum mole, Aſillo, guttureque habente
Confeſſor pius, & frater Minorum Ordinum Petrus
Hic intrans pie capellam orare Mariæ
In Nandor ſitam, virginis in honorem ſtructam
Suſpirans oravit Dominum, Mariam invocavit,
O Domine Deus, dicens, Maria materque ejus

Miſerere mei, & tu Virgo memor ſis Dei
    Suſcipe plorantem me, tuumque Regnum protegentem
Et Maria Mater tu protege ne ſorbeat ater
    Sed dilue menda, tuo me nato recommenda
Tandem cibatus corpore, ſacroque Criſmate unctus
    Stephani more ſancti teſtatur linguaque ore
Qui Regnum Hunniæ Palmis ſubmiſit Cæli Reginæ
    Sic Joannes ipſe Hunyady ratus crucis enſe
Miſit Hungariam Joanni Capiſtrano providendam
    Divinis viſere vocibus, precibusque providere
Fovere Barones exemplo, militesque, Proceres
    Regni Hungariæ, & id æmulis defenſare
Cui adeſt Pater Joannes Capiſtranus frater
    Fungens Papali tunc auctoritate ſpeciali
Demum legatus hærens latere Papæ legatus
    Hunc ſolvunt culpa omni, gehennalique pæna
Commendant Cleri precibus Dei ſervuli veri
    Statim Dei nuncius ſupervenit angelus ejus
Indue te dixit Chriſtus mundo migrare juſſit
    Et vitam finire Cætumque Sanctorum ſubire
Certamen ſedare Hunnorum cæleſtibus commutare
    Miſſæ quali hora ſolvit naturæ jura
Mortuus eſt mundo, victurus poſtea Chriſto
    Inproſeſt clara cras Lauren necis clauſit hora
Tertius Auguſti Idus tulit morbis Auguſti
    Protinus Franciſcus Csáky junctis familiaribus
Ejus, & illius potioribus multis famulis
    In Claræ feſto ducunt noctis nubilo
Currum vehendo concham cœta circumtegendo
    Mauſeolum rimis obſtruendo pice reſinis
Urbem Albagyulam planctum dantesve triſtitiam
    Exequiis magnis, mortuariisque magnificis
Miſſarum factis ſolemniis atque peractis
    Terræ donatur corpus iſtic & tumulatur

Heu-

Heu jam corona cecidit, ac Trophæi palma
Hunnorum plus quam Baronum, vel Regum diadema
Joanne decedente Hunyady pio ductore recedente
Quo forte Proceres regni orbitant per ſecla inanes
Quis æmulorum nunc victor, tutor quoque Hunnorum
Clericorumque proviſor quis Hungarorumque defenſor
Solus ille Deus & Regni Regina mater ejus
Jam Rex Regina pigreſcunt ſordis agmina
Hunnorum Barones quorum compeſcunt jura eorum
Dicant, exigunt, nec tegunt, vellera carpunt
Sed timent ventrem, non metuunt omnipotentem
Bellum tepeſcunt adire, ubi Thurci ſtrideſcunt
Iſtic iſtic pugnare, Regnum populumque defenſare
Olim Magnates Hungarorum fuere fortes
Barones Milites, nunc per prava facta inertes
Hæc fecit Magnatio, vilisque mentis elatio
Livor, cupido, & cæca libidinis immerſio
Niſi Deus providerit mortem nobis qui tulerit
Cuncti examinantur, nec populis dominantur
Nunc flet Temesvár in diſtrictu magno in Hungar
Et Tranſylvania tota, condam ſcuto Joannis tuta
Plangit hinc Deva, Hunyad, Madarasque, Zabadka
Tali Tutore migrante regnique fautore
Sibi naturali domino principe quoque terreſtri
Qui pius erat Hunnis, ſuisque largus fuerat
Ore jocundus, more gratus, re munificus
Ladislai modum ſancti tenuit, atque commodum
Hic Bohemos ſævit hoſtes crucis nonnulliter trivit
Theucros, Beſſenos, Tartarosque Sarachenos
Ejusdem memoria puto colitur perpetuo pia
O qualia quanta is geſſit, tutamina tanta
Regno Hunnorum quibus merito memor ſit horum
Non fiſtularum, ſed precum vocibus, nec cantilenarum
Aſt Antidotis divis libaminibusque ſacerdotis

Digitized by Google

Suſpiriis donis ſacris cultibus, proſis, & ympnis
Chriſti placatu, Mariæ precatu ut mundetur reatu
Hunc Virginis natus locet in ſecla benedictus Amen.

III.

Supplicationes pro novo Rege indictæ & Sacra paſſim celebrata.

Pannonii imprimis, quibus eſt fatale cruorem
Spargere Thraicium odopeaque fundere caſtra
Gens Thurcis infeſta: manus avidiſſima ſemper
Conſerere & bellis inſignem extendere famam
Poſtquam trajecto genus, id tam immane profundo
Byzanti vaſtavit opes, vexilla repente
Pannonii Reges, cœlo erexere nec unquam
Thraiciis fuſi terga oſtendere; ſed ora
Ignea & ardentes gladios, haſtasque trabales
Sic per luſtra, decem pugnatum ingentibus auſis
Defenſique lares patrii: & confinia pulſis
Hoſtibus Euxini procul usque ad littora Ponti
Usque ad perpetuis ſqualentem nubibus Auun
Nec plus ulla tulit pro religione labores
Natio, nec claruit, majoribus ulla triumphis
Iſthoc adhuc meminit; meminit diffuſa per omnes
Europæ populos & adhuc eccleſia magnis
Laudibus extollit, pugnæ memorabilis illud
Excidium, quod longe Aſiam perterruit omnem
Temula per vicos & per caſtella per urbes
Atra ſub ardenti cum lux altiſſima Phœbo eſt
Hos adhibe tibi ductores bellique magiſtros
Qui meminere locos, turbæque Othomantidos aſtum
His opus hortatu (gens eſt tam ſtrenua) nullo eſt
Et quia ſemper habent hoſtem ad confinia ſemper
Aere micant, nunquam imbelles, & tota ſub armis
Inter

nter equos, inter lituos traducitur ætas
Hic dextra non lingua opus eſt, hæc Rhetore cauſa
Non eget, aſt equitum turmis, & milite forti
Res animis, ferro, flammis, & fulgure agenda eſt
Quod trepides nihil eſt, tecum Deus ibit in hoſtem
Per maria & terras quacunque levaveris alte
Sanctum inſigne crucis Gryphumque aquilamque biroſtrem
Ne dubita in bellum hoc totus tecum ibit Olympus.

IV.

Fauſtæ acclamationes de electo Mathia in Regem Hungariæ.

Mathiæ Corvino Regi noſtro feliciter. Patris patriæ filio feliciter. Liberatoris noſtri gnato feliciter. Cor quivis reliquis feliciter. Mathiæ ſpei noſtræ feliciter. Pannoniæ Principibus hunc declarantibus quoque feliciter. Hungariæ demum univerſæ feliciter. Hic a ſævo nos externorum liberabit imperio. Hic paterno more de Thurcis triumphabit. Hic nos a Bohemorum latrociniis & populationibus liberabit. Hic Polonos abiget, & Alemannorum ſuperbiam attenuabit.

V.

PROGNOSTICON

de Mathia Corvino Rege.

CENA CINGIT CAPVT MATHIÆ FVLGENTI CORONA.

Mathias inquit Rex Hungariæ ſuſcepto diademate verſus orientem, & meridiem triumphum reportabit. Nam per ejus enſem corruet Imperium Mathometi in favillam.

Vin-

Digitized by Google

Vincet Mathumetum, repellet usque ad amnem, ſed odium de Bohemia oritur, recole ſacerrima bella, prælia multa præliabit, ut victor hoſtes ſuperabit. Hoſtibus ſeptemtrionalibus aſtutus victoriam dampno obtinebit.

Deum timebit per tempora rotunda longeve ſuperdurabit, uxorem quartam ducet, & ex ea hæredem habebit. In bello non peribit, ferro, ære, metalloque non offendetur.

VI.

CHRONICON.

Rerum ſub Mathia Corvino Rege.

Sorte nova rediit Hunnorum clariſſima condam
Tempore, quæ fuit Atilæ victoria Regis.

Illi clariſſimo Regum ſideri Mathiæ de Hunyad Joannis quondam Inclyti Regni Hungariæ Gubernatoris filio per Dionyſium Cardinalem Archiepiſcopum Strigonienſem Regalis Corona imponitur anno Chriſti Mileſimo CCCCLXIV. vigeſima nona die menſis Martii.

Anno Domini Mileſimo CCCCLXV. die 1. Februarii Dyoniſius de Zeech Archi Epiſcopus Almæ Eccleſiæ Strigonienſis obiit.

Anno Domini Mileſimo CCCCLVII prima die Julii Venerabilis Magiſter Decretorum Doctor Cantor & Vicarius Strigonienſis obiit, qui alias fuit Auditor Cauſarum Sacri Concilii Baſileenſis.

Anno Domini Mileſimo Quadringenteſimo LXXII die nona menſis Auguſti Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis obiit.

Anno Domini Mileſimo CCCCLXXIII 18. die July Martinus de Peſcht Canonicus Quinqueeccleſienſis ſpiritum exhalavit.

EPI-

Digitized by Google

VII.

EPITAPHIUM.

Super Exciſione urbis Varadienſis.

Dor Febru factis ſuccumbit plebs pia Thurcis
Peccatum populi plangit clades Varadini.

Hujus itaque Mathiæ Regis tempore poſt infelices, variique temporis eventus iſtud præcipue huic Regno Hungariæ lamentabile accidit infortunium, quod dum idem D. Rex Regnum vaſtaret Poloniæ, & eidem admodum eſſet infeſtus, nec commode utilitatem Reipublicæ Regni ſui curaret, Hungaria namque ipſa quaſi principe deſtituta media pace, atque ſub taciturnitatis tempore, quam plures immaniſſimi rabidi Turci, illi Chriſtianitatis æmuli, illam opulentiſſimam civitatem Varadienſem, quæ felix appellabatur & nuncupata erat, cui in tota Pannonia vix par erat invadendo quam plures ſenes, & juvenes maſculinos, & fæmineos, ſoboles, formoſas virgines, præclarasque mulieres dominas, & ſervulas perturbarunt, deportaruntque, & voluntati eorum ſubjugarunt. Sternuntur Senes, depopulantur adultæ, decollantur juvenes, & virgines, præclaræque dominæ, & mulieres occiduntur, & moriuntur parvuli, heu tantorum chriſticolarum, validiſſimus clamor, ululatus, & maximus fletus, tremet terra, jam timet populus in ea, rubicundatur terra ſanguine, quaſi rivulo fluctuatur, die cujus tertio Dorotheæ tranſacto feſto ignis voragine combuſſere, & ſic ab inde ad propria rediere, ſed o civitas præclara ſacri corporis oſſa fuerunt in te recondita, felix apellabaris,

baris, nunc infeliciſſima dici vales, decidit tibi ſcutum, modo in te nullum cor tutum, rimari etenim poſſis quanto diſcrimine hac vice es circumvoluta poſt expulſionem Tartararum gentium per feliciſſimum defenſorem, & tutorem noſtrum, nulla vis, nullave potentia, magna in te taliter arridere valuerat, quantam nunc miſerabiliter accepiſti. O Varadinum virgineæ ſobolis jam tot labentibus annis mileſimus, quadringenteſimus ſeptuageſimus quoque quartus dum ſcribebatur annus Alibeg Varadinum devaſtavit Turcus, adventus ejus primus, quem notat feſtum Dorotheæ die cujus tertio tranſacto abindeque receſſere, prædam fecit in Hunnis, diviſit ſpolia Huſzaris, Huſzari dire pugnant, & Hunni fugam dant, nam per Stephanum Moldavienſem Vajvodam quod patrarant, hoc collo ſolvebant.

VIII.

EPITAPHIUM.

Mathiæ Corvini Regis.

Corvini fatum bis tertia vidit Aprilis.
Annus in his latitat, ſi tu ſapis inſpice lector!
Mathias audax, ut Leo cecidit claruit plebi.

Mathias Regum ſpecimen, & gloria Martis
Hic jaceo fatis obrutus ante diem.
Qui domui Reges, Moravos, fortesque Bohemos
Atque Polonorum fortia caſtra Ducum
Innumeros vici populos, pulchramque Viennam
Solus, & immenſi, qui timor orbis eram
Cæſare qui gemino fateor duxiſſe triumphos
Alter Romanus, Turcus & alter erat.

Plu-

Plurima conceperam noſtris fortuna diebus
Invidit cecidi, pulvis, & umbra tamen.
Aſpice qui fuerim, quam magnus poſtea mundo
Secula narrabunt, quæ tulit hora brevis.

Alii majeſtatem Corvini ita celebrant.

Corvini brevis hæc urna eſt, quem magna fatentur
Facta fuiſſe Deum, fata fuiſſe hominem

IX.

RELATIO.

De Statu & proventibus Regni Hu gariæ tempore Regis Mathiæ.

Nuncii Apoſtolici ejus temporis.

Præcipuum Hungariæ corpus conterminam habet a parte orientis verſus Sirocum Valachiam, Serviam, & Sclavoniam. A Siroco ad Auſtrum eſt contigua partim Sclavoniæ partim Bosniæ. Ab Auſtro ad Garbinum eſt limitanea partim Sclavoniæ & partim cum Germania. A parte Garbini verſus occidentem attingit fines Germaniæ ita pariter ab occidente verſus-ventum vulgo dictum Maeſtro. Ab hoc vento verſus ſeptentrionem habet confinia cum regno Bohemiæ & partim cum Polonia. A Greco ad orientem eſt finitima partim Poloniæ partim Tartariæ & Valachiæ. Totum regni corpus incipiendo ab una parte verſus orientem, pergendo verſus occidentem habet longitudinis milliaria hungarica circiter 100, quæ faciunt circiter 500 italica, primum oppidum quod

quod eſt corporis dicti regni ab oriente pergendo verſus occidentem appellatur Jaſonia quæ prima invenitur in exitu Valachiæ ad Hungariam proficiſcendo. Poſtremum oppidum verſus occidentem regni Hungariæ eſt Oamgelinum, & Nadalizza ubi ſunt partim Sclavi, partim Germani. Dictum regnum ab Auſtro ad Aquilonem transverſaliter habet milliaria hungarica circiter 70, vel 80, quæ faciunt circiter 300 italica, videlicet ab Auſtro incipiendo ab extremo loco, qui arx & oppidum Belgradinum nuncupatur, & pergendo verſus Aquilonem usque ad oppidum Caſſoviæ dictum ex adverſo Poloniæ & Bohemiæ, adeo ut transverſe ſint milliaria circiter 380 vel 400 italica. Membra ad prefatum regnum pertinentia ſunt hæc, Valachia major, & minor, Servia, Bulgaria, Dalmatia, Croatia, & Bosnia. Valachia major, & minor a Greco ad orientem habet confinia cum mari majori juxta quod ſunt plura loca ſpectantia ad Valachiam, præcipua ſunt Moncaſtro Licoſtono Bailigo. A Sirocco Valachia attingit confinia Bulgariæ, & Serviæ. A Greco Poloniæ, & Serviæ: ab occidente verſus Tranſilvaniam eſt finitima Hungariæ. Servia eſt aliud ex membris dicti regni Hungariæ. Hæc ab Aquilone, & Greco, habet conterminam Hungariam ab oriente Bulgariam a Sirocco Sclavoniam, a meridie Bosniam, & Albaniam. In Bulgaria aliud membrum ab oriente attingit fines Romaniæ, ab occidente Serviæ a Greco Valachiæ a meridie cum dicta Servia eſt contermina. Dalmatia, & Croatia habent confinia partim cum maritima in ſinu, partim cum Bosnia, partim cum Hungaria, partim cum Germania, & partim cum Iſtria.

Conditiones corporis regni Hungarici, & incolarum, hæc ſunt. Diverſarum nationum homines inco-

Digitized by Google

incolunt regnum, & imprimis ſunt Hungari puri, ſcilicet barones, nobiles, populi, & cives qui ſtabiliter in oppidis habitant, & ruſtici qui agriculturæ dant operam. Barones, & nobiles illius regni univerſaliter ſunt bellicoſi aſſidue cupiunt ſe exercere in arte armorum, libenter prædantur, & quando non habent unde prædam ex hoſtium locis capiant alter alteri furatur, adeo ut continuo in aliquo bellico exercitio ſint occupati: iſti barones, & nobiles tenentur in omni neceſſitate ad Regis juſſum intra dicti regni confinia propriis expenſis pergere ad famulandum coronæ cum illis hominibus pro eorum ordine generaliter taxatis, ſi quis autem non obediret, ſtatim fit infidelis regni, & ſubſtantias, & caput amittit. Quod ſi velit Rex præfatos educere extra fines regni, iis tenetur ſtipendium 3. in 4. ducatorum dare in menſe pro unoquoque equo, veluti gentibus exteris, & propter hoc mandatum omnes dicti barones, & nobiles continuo habent apud ſe magnam familiam, qua poſſint in neceſſitatibus uti. Propterea, & quia magna eſt expenſa, & ipſi natura ſunt prodigi, imo plerique ſine modo, contingit, quod proventus expenſas non poſſunt æquare, ſic neceſſe eſt, quod inferioribus rapiant; & ut ſint univerſaliter tuti, unus alteri famulatum præſtat, exigui de gradu in gradum inſerviunt magnatibus, ut impotentes ſub ipſorum ſervitio cuſtodiantur ab eorum adverſariis & defendantur. Hoc regnum incolunt Germani, qui libenter ſe exercent & univerſe ſunt induſtrii; hi majorem regni partem poſſidere dicendi ſunt, quia Hngarorum gens modica pollet induſtria, præcipue populi, qui victualibus affluentes nihil ulterius curant, ſed Germani induſtrii omni exercitio, & mercatura, & curando erui a montibus di-

Digitized by Google

diverſa metalla, aurum, argentum, cuprum, & plumbum, & aliis exercitiis adeo profecerunt, ut majorem partem quod eſt in domo regno, boni, ipſi poſſideant; habent civitates fortes, & muratas, & cum bonis habitationibus, ut merito poſſit aſſeri, exceptis oppidis quæ dicti Germani incolunt, alia non digna eſſe de quibus mentio fiat, & præter beneficium eorum dotibus adeptum in illis partibus adhuc augentur honoribus, fere plerique domini regni. Pleraque Germanorum pars habitat in oppidis muratis, & pauci ſunt in pagis exceptis iis qui morantur in montanis. Habitant in aliqua parte dominii regni Tartari qui propriam fidem ſervant, & vocantur Cumani, & in ſua regione manentes, ſolvunt omni anno quoddam locarium Regi. Hi fuerunt ex illis, quos Magnus Thamerlanes qui dictum regnum acquiſivit, & poſtea amiſit, ut regionem incolerent, permiſſum fuit dictis Tartaris habitare in illa provincia, & ſic remanſerunt. Habitat etiam in dicto regno gens belga quæ loquitur recte gallice, hæc habet provinciam pro ſe ſeparatam; iſti remanſerunt in regno ab antiquo tempore, quando Carolus Rex illud acquiſivit. In aliqua parte dicti regni habitant item Sclavi, & Serviani, qui e Servia, & Sclavonia receſſerunt, & ſe receperunt ad incolendas certas provincias regni ab aliis ſeparatas. Etiam habitant in regno in provincia ſeparata Zingari & Filiſtei, qui a dicta provincia diſcedentes, per orbem terrarum peregrinantur quam peregrinationem faciunt cum mercatura, & incantationibus ſuarum fæminarum, & cum aſtutis furtis, & fraudibus.

Situs hujus regionis eſt bene diſpoſitus quia participat de montibus, & planitie: ſed montes non ſunt

ſunt ſteriles neque nimis aſperi, ſed fœcundi. Pars major eſt planities, ſed cum aliquot collibus non nimis aſperis, ſed qui poſſunt omnes coli. Terra communiter eſt univerſa bona, & fæcunda, & ultra indigentiam ſuperabundans dictis populis; ſupereſt vaſta regio inculta propter defectum hominum: producit abundanter omnia vitæ humanæ neceſſaria, exceptis his, quæ præ magno frigore non poſſunt ſervari, velut olivæ, mala citrina, ficus, & aliæ hujus generis arbores, ſed ſegetes omnis generis, & vina in aliquibus locis bona, & in aliis optima, & pecora omnis ſpeciei in maxima copia. Utilior, & potior regni pars eſt Tranſilvania, quæ præbet totum ſalem regno neceſſarium, ex quo eſt proventus in annum circiter 100 mille ducatorum, qui eſt præcipuus coronæ introitus. Præter ſalem ſunt multæ fodinæ auri, argenti, cupri, plumbi, argenti vivi, ferri, & cyanei, & animalia in maxima copia, videlicet boves, arietes, equi, & plura alia ſumme utilia. Hanc Tranſilvaniam incolit gens virilis, quia continuo certant cum Turcis, & educuntur ex illa pro regni defenſione circiter 40 mille hominnm electorum tali negotio aptorum, quibus præſidio ſunt Germani, & aliæ nationis homines, Siculi appellati valde robuſti, & alii Saxones nuncupati. In hoc regno pauca ſunt oppida mœnibus ſufficientibus munita ad reſiſtendum magnæ potentiæ, ſicuti eſt Turca. Ei ſunt pro munimine magna, quæ extant flumina, & copia populi animoſi contra Turcas, ut quando habent tempus ſe congregandi, cum propter ſtrenuum contra ipſos animum, tum propter ingentem numerum, id expoſcente neceſſitate a ſe ipſis magis ſe defendunt cum iſtis mediis, quam ut ſpem collocent in fortalitiis, & oppidis muratis, quæ in

illis partibus poſſideant. Oppida murata regni, quæ ſunt mentione digna, hæc ſunt. In Tranſilvania ſunt duo, una nuncupata Driaſonia, quæ eſt ultimum oppidum Hungariæ verſus Valachiam, ubi major incolarum pars eſt Germanorum; hoc eſt adeo fortiſſimum, ut a valido exercitu poſſet ſe defendere per 4. aut 5. menſes quoad usque a regno auxilium acciperet. Aliud extat verſus Sirocum item ad confinia, Sabinum nuncupatum, quod eſt fortiſſimum, & pro tali haberetur. Præterea ſunt plures arces fortiſſimæ, ſicuti eſt Beſtrizza, Cheorgin, Deva, Ungiat. Iſtæ per integrum annum poſſent omnem obſidionem ſuſtinere, victualibus intus proviſæ, quia extant in locis fortibus verſus Grecum. Ad fines Poloniæ eſt bonum oppidum fortiſſimum Caſſovia appellatum. Apud illa confinia ſunt aliquot caſtra, & oppida fortiſſima, aliaque minoris momenti; fortia ex dictis ſunt Zolun novum, Zolun vetus, Siaior, Trincinum; verſus Sclavoniam ſunt aliqua oppida fortia, quæ olim fuerunt comitis Zilelini, poſſeſa a Barone Panciano, videlicet caſtrum S. Zorzo, Medenet, Chrupian. Verſus Auſtrum, & Sirocum Vallaterra, & fortalitium Belgradini. Alia oppida, & caſtra non ſunt mentione digna; reſidentia principalis Regis eſt civitas Budæ, quæ ne tribus quidem diebus poſſet ſe tenere, quia pro nihilo duceretur. Aquæ ingentes pro muro iſtius regni hæ ſunt, videlicet, verſus Turciam ad confinia regni Hungarici eſt Danubius fluvius longe major Pado in Lombardia; iſte Danubius dividit Hungariam a Servia, & Bulgaria, & fluit usque ad mare nigrum adeo, ut per confinia circuitus dicti fluvii aquarum Hungariæ corpus ſit valde tutum, & per ripas ſunt plura fortalitia erecta ex adverſo aliorum, quæ ſunt

ex

Digitized by Google

ex alia parte dicti fluminis ad Serviam pertinentia, quæ modo ſunt ſub poteſtate Turcarum, ut illi, qui ſunt in dictis fortalitiis a parte Serviæ non poſſint venire ad nocendum Hungariæ. Fortalitia deputata ad cuſtodiam dictæ ripæ incipiunt hoc modo, videlicet fortalitium Choi a parte Hungariæ eſt ex adverſo fortalitii Sabeducco, quod eſt in ripa fluminis in Servia, fortalitium S. Saſſalo a parte Hungariæ eſt contra fortalitium Colombarra a parte Serviæ, fortalitium Scuſin a parte Hungariæ eſt contra caſtrum Bordon a parte Serviæ, & ſic proſequendo de loco ad locum usque ad Valachiam, & inde ad mare nigrum. Aliud flumen, quod oritur e montibus Germaniæ verſus Garbinum & deorſum fluit per confinia Sclavoniæ Sava nuncupatum, eſt magnum ſicut Adeſe, Veronæ, quando eſt plenum; hæc Sava dividit Hungariam a Sclavonia, & influit in Danubium prope Belgradinum, quod flumen adeo defendit regnum, ut ingens exercitus abſque magnis apparatibus pontium, & navium nequeat tranſire, qui apparatus non poſſet tam ſecreto fieri, ut non innoteſceret circumſtantibus, qui ſtatim illis obſiſterent. Aliud flumen Drava nuncupatum venit a parte prædicta, ſed valde remota una ab alia ſimilem habet curſum, naſcitur verſus Garbinum, & intrat in Danubium verſus Grecum, eſt adeo magna, ut nullibi neque pedeſtres, neque equeſtres eam vadari queant. Aliud magnum flumen Mura vocatum ortum habet a montibus Germaniæ verſus Maeſtro, intrat in Dravam verſus Auſtrum; hoc defendit regnum ut ab illa parte offendi nequeat. A parte Greci oritur aliud flumen, & interfluens Hungariam ingreditur in Danubium verſus Garbinum, Tiſſa nuncupatum, quod eſt magnum flumen, ut nullibi vadari poſſit.

Hæc defendit unam partem regni ab exercitibus, qui Danubium tranſiiſſent, & aliud flumen Turniſinum vocatum, quod oritur verſus Grecum, & intrat in Danubium verſus Auſtrum, quod fluit per mediam Tranſilvaniam, & defendit regnum; itaque concludendo aſſero: Hungaria propter hoc, & propter plures alias aquas hic non nominatas, eſt munita, & tuta, præcipue a gentibus Transalpinis, quæ ingreſſum tentarent ab oriente, & Siroco veluti ſunt Turcæ.

Principes per 80 annos hi fuerunt: in anno 1380 regnavit Rex Ludovicus, qui regnum in maxima pace ſervavit, & bono gubernio cum magna juſtitia. Eo e vivis ſublato, ſuperſtes fuit ejus conjux cum una filia, quam ante obitum deſponderat Sigismundo Regis Bohemiæ filio poſt mortem genitoris. Defuncto itaque Rege Ludovico, pars regni non aſſentiebatur quod puella traderetur Sigismundo, & alia parte aſſentiente; idcirco hinc orta ſunt plura bella, adeo, ut coacta fuerit conſenſum præbere Regi Carolo, & quod ipſe eſſet Hungariæ Rex. Hic Carolus cum veniſſet ad occupandum regnum, ab aliquibus, baronibus, & famulis dictæ Reginæ Mariæ fraudulenter interfectus eſt, unde exorta ſunt magna prælia, quia pars regni erat contra, & pars pro dicta Regina. Tandem ipſa a ſuis adverſariis devicta, & in eorum poteſtatem redacta ita aliquo tempore manſit, donec dictus Rex Sigismundus cum magna potentia venit e Bohemia, & tum quia magno erat inſtructus exercitu, tum quia partem regni habebat in ſua poteſtate, omni potitus regno cum ſuis hoſtibus pacificatus eſt, & omnium conſenſu regnum obtinuit, & Reginam facta pollicitatione acceptas injurias obliviſcendi, ſed omnibus ignoſcendi,

cendi, ſuæque conjugi. Aliquo tempore elapſo decapitari juſſit, ſuæ uxoris opera, tres barones primarios regni, videlicet ex illis, qui ipſi obſtiterant, & marito. Paulo poſt Regina interiit, & Sigismundus ab aliis baronibus captus, & cuſtodiæ traditus fuit in manibus ſuorum infenſorum hoſtium, ut eum interimerent. Hoc audiens comes a Cile, qui duas habebat filias, operam dedit, . . . quarum unam nuptui tradidit præfato regi Sigismundo, alteram in matrimonium collocavit uni ex iſtis fratribus, qui eum cæperant, & uterque magnas pollicitationes faciens ſe ſubveniendi, & in neceſſitatibus mutuo ſe adjuvandi, adeo ut ope regni Bohemiæ, & præſidio familiæ a Cile, & cognatorum denuo regnum recuperavit, omniumque conſenſu dominium obtinuit, vixitque usque ad annuum 1435. Ex eo remanſit una filia Regina Iſabetta nuncupata, quæ fuit in matrimonium collocata Duci Auſtriæ Alberto fratri Friderici Imperatoris, & accepta dicta filia in uxorem, evaſit Rex Hungariæ & Bohemiæ, nec non XI Dux Auſtriæ, & Viennenſis dominus; poſtea defuncto dicto Alberto, Reginam prægnantem reliquit, quæ peperit inde Ladislaum Regem. Sed antequam in lucem ipſe ederetur, electus fuit Hungariæ Rex, & introductus frater Regis Poloniæ; nato infante facta fuit diviſio in regno, quia partim ſe habebat cum Regina, & infante, partim cum dicto Rege Poloniæ. Fato functa Regina reliquit infantem, & regiam coronam, quam caute penes ſe ſervaverat cum aliquot oppidis regni, quæ ejus ſupererant ditioni in manu Imperatoris. Mortua iſta Regina Iſabetta, infans, corona, & aliqua regni oppida in manu Friderici Imperatoris remanſerunt. Regis Poloniæ frater, qui introductus fue-

rat in Hungariæ Regem regnavit 4 vel 5 annos univerſo regno ſibi generaliter obediente, donec anno 1444 Eugenio Papa ſuadente bellum aggreſſus eſt contra Turcas, ſecum habens Cardinalem S. Angeli, quo in facinore periit ipſe una cum Cardinali, ſed evaſit Janus Vaivoda Dux Regni, qui in Hungariam redux, viduo regno, & absque Rege in perfecta ætate conſtituto, in generalem ducem, & gubernatorem dicti regni electus fuit, donec Ladislaus puer, qui erat apud Imperatorem ad optimam ætatem perveniſſet, & ſic ſe geſſit Bohemiæ Regnum, quod Regem puerum videns, nobilem ſuum virum ad regni gubernium aſſumpſit. Iſti gubernatores dicta regna adminiſtrarunt quoadusque præfatus Ladislaus attigit perfectam ætatem duodeviginti annorum, quo tempore dicti gubernatores regnorum ob longitudinem gubernii, adeo ſe extulerant, ut veluti ſi illius proprii Reges, & domini fuiſſent, erant in exiſtimatione. Igitur nominatus Ladislaus perfectam ætatem aſſecutus, multifariam dictos gubernatores deponere, & ad humiliorem ſtatum reducere attentavit, quia ejus conſiliarii ipſi conſilium præbebant, ſe nunquam liberam præfatorum regnorum adminiſtrationem adepturum, niſi iſti ab hujusmodi gubernio depoſiti forent, ipſisque ablata qua pollebant exiſtimatione. Iſti gubernatores cognita Ladislai voluntate, adeo ſibi ipſis providere conati ſunt, ut Regis intentio effectu caruerit, & Janus, atque Bohemiæ gubernator habita conſultatione, ad defenſionem ſtatuum ſuorum fædus, & fraternitatem contraxerunt, & valde ſtrictis inter ſe juramentis ſe obſtrinxerunt, alter alterum non offendendi, immo conjuncti in omni neceſſitate ſe mutuo ſubveniendi; tandem Rex voti ſui compos fieri non valens co-

mitis

Digitized by Google

mitis de Cile opera Janum perdere conatus, nihil profecit, & ita ſe habentibus rebus Janus defunctus eſt, duobus filiis relictis, uno ætatis annorum (ſic in utroque codice) octo Ladislaus appellatus, & alter Mathias, qui in præſentia eſt Hungariæ Rex. E vivis itaque ſublato Jano Ladislaus Rex cum comite de Cile venit in Hungariam potiturus regno, ſed Ladislaus Jani filius adeo ſe munivit, ut nihil proficere potuit; quapropter Ladislaus Rex hos duos filios Janus in Belgradini arce aſtute capere ſtatuit, ſed contra factum fuit, Laſſamiale enim, qui dictorum filiorum Janus erat avunculus, & arcem Belgradinenſem poſſidebat, cognoſcens quod Rex arcem capere vellet, cum nepotibus convenit cum quibusdam aliis Janus adhærentibus adeoque ingreſſo Rege, & comite de Cile Belgradinum, fuit captus dictus comes, & occiſus: ſed Ladislaus Rex hoc parvi facere ſimulans, & lætitiam fingens Budam venit, & ibi erant filii Janus; quia vero Laſſalabanus poſſidebat Budæ fortalitium, & ſponderat ſuam filiam in uxorem ſe daturum Ladislao filio Janus, ejus avunculus, cæterique ipſi adhærentes, eos illuc adire permiſerunt. At Ladislaus Rex rem ita diſpoſuit cum aliquot baronibus, videlicet Nicolao Vaivoda, Laſſalabano de Zaris præfato, Rinaldo de Rosgoni, Bamphi Paulo, Iſeduir Boemo, ut Janus filii in dicto fortalitio ob ſocerum ſecuros ſe arbitrantes, ambo fuerunt capti, & ſequenti die Ladislaus capite plexus fuit. Ut hoc nuncium audivit Laſſamiale dictorum puerorum avunculus Belgradino diſceſſit relicta ibi cuſtodia, & venit ad ſuam ſororem dictorum puerornm matrem, & olim uxorem Janus, quæ totum ei tradidit ſtatum, & mariti theſaurum, quapropter tantam paucis diebus

congregavit hominum copiam, ut totum regnum terrefecerit; quare Ladislaus Rex haud ſecurum Budæ ſe exiſtimans diſceſſit, & Viennam profectus eſt, Mathiam captivum ſecum ducens, qui ad ſexdecim annos ætatis pervenerat, & ſtatim ad Bohemiæ gubernatorem miſit, ut cum copioſo exercitu veniret, volens ipſe in Hungariæ Regnum reverti. Hic gubernator venit duo milliaria prope Viennam, & nuntium miſit ad Regem Ladislaum, ſe in locum muratum non ingreſſurum, ne & ipſi faceret, quod filiis Janus fecerat, unde Rex ipſum adiit, & intra quinque dies Pragam in Bohemia profecturum promiſit, & hoc quia dictus gubernator illi proteſtatus eſt, totum regnum alium Regem electurum, ſi illuc non adiret; & ita cum Pragam perveniſſet duodecim ſolemnes legatos miſit ad Galliæ Regem ad confirmandum propinquitatem ſuæ filiæ inter ſe pactam. Quo tempore Mathias, qui erat captivus, adinvento modo, Pragam fuit adductus, ſed antequam illuc perveniret, dictus Rex Ladislaus obiit, & ille gubernator ſummis honoribus Mathiam affecit; quo audito Laſſamiales in Hungaria degens, pace conſtructa cum omnibus adverſariis, ut dictus Mathias in Regem fuerit electus, operatus eſt; ſed antequam eum dimitteret Bohemiæ gubernator, illi unam filiam in uxorem pollicitus eſt. Hic Mathias venit in Hungariam, & fuit electus Rex, ſicut etiam dictus gubernator in Regem Bohemiæ, & ſic exiſtunt. Potito Mathia Hungariæ Regno Zelotypia correptus de Laſſamiale ſuo avunculo, quia Regi videbatur illum totum ſuum theſaurum ſumpſiſſe, & majorem partem ſui ſtatus, Laſſamiales vero de nepote diffidens omnes ad ſe Regis adverſarios vocavit, ſcilicet Nicolaum Vaivoda, Laſſolabanum, cæte-

rosque

Digitized by Google

roſque ſibi adhærentes, & fædus inter ſe inierunt contra Regem, ejusque fautores, quare Rex ad evitandum majus malum cum dicto ſuo avunculo hoc modo convenit, videlicet quod præter totum fere regni theſaurum, & primaria fortalitia, quæ erant ſub Laſſamialis poteſtate, comitatum etiam Beſtizzæ poſſideret; fuit itaque acceptatus comes Beſtizzenſis, ſed dimiſſus ne foret amplius gubernator, & ſic pacificati ſunt. Verum aliquo tempore elapſo Mathias Rex in Serviam proficiſci velle finxit, & ivit verſus Belgradinum pro dicto Laſſamiale ſuo avunculo mittens, qui nihil ſuſpicans venit, & ſtatim ab eo captus fuit, & in arcta cuſtodia collocatus, parumque abfuit, quin Regis juſſu interficeretur, niſi pro ipſo deprecatus fuiſſet Romanus cardinalis S. Angeli. Quod videntes Nicolaus Vaivoda, cæterique illi fædere juncti, dubitantes, ne & ipſis Rex faceret, quod fecerat Laſſamiali, denuo fœdus pepigerunt, & facti rebelles Regi Fridericum Imperatorem adierunt, tantumque inſtiterunt apud ipſum, illi regnum ſe daturum pollicentes, ut regium titulum acceptaverit, dictis baronibus ſpem præbens ſe cum magno exercitu in Regnum venturum, pluresque epiſtolas ſcripſit ad barones regni ſe venturum ad capiendum illius dominium, ideoque prompti eſſent, ac parati in die S. Michaelis, ut ejus adventum honore afficerent, ſuoque debito fungerentur, qui omnes toto ſuo conatu ad eum expectandum ſe paraverunt, tamquam proprium dominum illum introducere volentes. At Mathias Rex alia ex parte, pro viribus conatus intrepide ad defenſionem ſe paravit, venitque contra dictum Imperatorem, & ſic utroque exercitu appropinquante, magnum commiſſum eſt prælium, quo Imperator devictus, profligatus.

tusque fuit. Deinde dicti barones iterum Imperatori ſuaſerunt, ut novum congregaret exercitum, at ipſe nolens pecunias extrahere, nec promiſſa ſervans, ipſi mutato conſilio, ne in pejus laberentur cum Rege Mathia convenire operam dederunt, ad hoc compulſi, tum quia bellicas expenſas ſuſtinere non valebant, tum quia ab Imperatore ſe deriſos, & derelictos videbant, & ſic inter eos pax compoſita fuit, & concordia, licet alter alteri non ſe crederet, omnes tamen Regi obedientiam detulere. Poſtea precibus exoratus Rex Laſſamialem ſuum avunculum e carcere liberum dimiſit, & mutuo pacificati ſunt. At hic Laſſamiale malitioſus ſecreto operabatur cum adverſariis Regis, ut illi regnum eriperet, verum Deus tantum malum non eſt paſſus, ipſo enim profecto in bellum contra Turcas devictus captusque fuit, & Conſtantinopolim adductus illic fuit capite truncatus, unde Rex ſecurus remanſit. Mathias Rex, qui antea aliquid præclari aggreſſus fuerat contra Bohemos, audita avunculi morte majori animo egregium facinus proſecutus fuit. Elapſi jam erant 50 anni, ex quo iſti Bohemi per vim conſtiterant in regno ad Aquilonem ad Bohemiæ & Poloniæ fines, tantumque operati fuerant, ut occupaverint triginta ſex circiter oppida murata. Iſti Bohemi ſunt duces, milites, & prædones, qui pecunia carentes, ſimul conjungebantur, & deprædabantur dicta oppida, quique adeo erant fortes, ut nullus Rex quinquaginta ab hinc annis eos ſuperare potuerit. Ex eorum conſuetudine quolibet anno Regnum Hungariæ ingredientes nova in diverſis provinciis lignea caſtra conſtruebant, quæ communientes, & munitionibus atque victualibus a propria regione delatis providentes, hinc ſuis copiis totum regnum

in-

Digitized by Google

incurſabant, adeo, ut neceſſe foret totum regnum venire ad arma contra illos, & plerumque Hungari clade afficiebantur, unde opus erat, ut pecunia eos expellerent, modo cum quindecim, modo cum viginti millibus ducatis, ſicque pacifici diſcedebant, & lignea caſtra tradebant; & hi Bohemi majorem, quam Turcæ perniciem inferebant. Quapropter Mathias Rex ad reddendum regnum ſecurum, dictosque Bohemos puniendos, contra ipſos ſuum exercitum direxit, & caſtris diſpoſitis quinquies præliatus eſt contra illos, ſemper victor exiſtens, eosque adeo confregit, ut ſe receperint in fortalitiis, quæ omnia Rex partim vi, partim conventione adeptus eſt: unde qui remanſerunt debitam deferunt obedientiam; & ſic illa patria liberata fuit, quod magnam regno peperit ſecuritatem, quia quoties Hungari exercitum contra Turcas congregabant, oportebat, ut & alium contra iſtos Bohemos pararent. Hoc videns Bohemiæ Rex, magnumque animum, & proſperitatem Mathiæ perpendens, & cognoſcens illum contra omnes ſuos hoſtes, & adverſarios prævalere, invenit modum cum eo colloquendi, & de multis egerunt, quæ non omni homini innoteſcunt, & ſimul convenerunt. Paucis elapſis diebus dicti Bohemi filia ducta fuit in aulam Mathiæ in ſuam legitimam ſponſam, ut habita illi Pragæ promiſſa perficeret, quæ diſtulerat dubitans, ne poſſet regnum obtinere ob tot adverſarios a quibus impetebatur. Idcirco magnum exortum eſt odium inter Fridericum Imperatorem, & dictum Bohemiæ Regem; ſolum quia ſperabat Imperator, quoties rediret cum exercitu in Hungariam, dictum Bohemum ſibi ſe conſociaturum, & nunquam illi traditurum filiam in uxorem. At Bohemus Hungari ſui generi fædere alle-

Digitized by Google

allectus pro nihilo duxit inimicum ſibi reddere Imperatorem, & arctioribus pactis genero ſe junxit, illi promittens ſuppetias ſe allaturum ad regni coronam adipiſcendam. Ad hunc vero finem Bohemus concilium congregari curavit, ut alius in Regem Romanorum eligeretur, poſtea fœdus inivit cum Ludovico Duce Bavariæ, ipſumque ad præliandum contra illum incitavit, unde propter hoc, ac propter alia eventa dictus Imperator cum dicto Rege Bohemiæ fuerunt, & ſunt inimici.

Hic Mathias licet ſit totius Hungariæ Rex, nihilominus magno in diſcrimine verſatur regnum amittendi ob plures, quos in regno habet adverſarios. Magnum iſtius regis obſtaculum eſt, quod cum genus ducat a Janus, qui non erat nobilis Hungarus, ſed Valachus, nec valde nobilis propinquitatis, indignati barones dicto Regi extranei generis ſe ſubjicere, quotidie modum quæritant, quo a regno eum expellant, & inter alia occulta media incitarunt, nec ceſſant Regem Bohemiæ inſtigare, licet ſit ejus ſocer, quod ſi yelit opus aggredi ad creandum ſuum filium Regem, omnem favorem illi prebituros, melius, magisque honorificum ſibi futurum perſuadentes ſi filius eſſet Rex, quam filia Regina. Quo audito Fridericus Imperator convenit cum Mathia de danda illi Regni Hungariæ corona, & accepit octoginta millia ducatos. Iſti adverſarii ſunt imprimis Nicolaus Vaivoda . . . . . Ludovicus, ejusque fratres de Moretti, qui ſunt magis primarii dicti regni, divites in poſſeſſionibus, & pecunia, & ſunt dicti Nicolai generi. Poſt hos archiepiſcopus Strigonienſis, omnesque ejus, propinqui, eo quod ſit cognatus dicti Nicolai. Præfatus archiepiſcopus eſt Primas dicti regni. Poſtea Nadeſiboch

ſiboch dicti Vaivodæ propinquus, & fæderati ſunt Paniſanobano e Sclavonia ejus frater juratus, & Dino, vir magnæ exiſtimationis celebriſque Dux. Præterea ſunt tres fratres fortiſſimi bellatores comites de Groſinoboni ad confinia Germaniæ verſus Viennam, eſt etiam Paniſola ſtrenuiſſimus Dux, qui magnopere auctor fuit necis fratris Mathiæ Regis. Ab his ſtat Bamphipaulo a Lindiſa optimæ exiſtimationis vir, omnesque ejus amici, propinqui, & coadhærentes. Aliud extans adverſarium quia Rex non eſt coronatus, cum corona ſit in manu Friderici Imperatoris, qui ſemper eam ſervavit innixus ſpe redeundi in dictum regnum, eoque potiendi licet aliquot conditionibus ſe eam daturum convenerit. Aliud adverſans, quia Rex eſt ſolus absque propinquis, ex quo obiit Laſſamiale ejus avunculus, qui ſemper ad arma præſto erat, ſed modo opus eſt, ut ſi velit magnos homines creare, eos e tam humili genere educat, ut qui ſunt nobili orti ex ſtirpe, illis ſe ſubjicere indignentur. Alius tandem obex eſt, quia quidquid Rex fecit, pecunia fecit, unde totus eſt conſumptus theſaurus, univerſumque regnum ad paupertatem redactum, qua de re omnes populi ſunt defatigati, adeoque inopes, ut ſi Rex aliqua gravamina imponere vellet, vix aliquid percipere poſſet.

Quæ Regi favent, hæc ſunt: imprimis bona fama, & æſtimatio ejus parentis Janus, qui multa egregia geſſit pro regno contra Turcas, & in illo facinore defunctus eſt, idcirco Mathias a populis amatur. Secundo, quia dictus Rex eſt valde juvenis, & in hujusmodi ætate conſtitutus multa proſpero marte pro regno operatus eſt contra Turcas, contra Fridericum Imperatorem, regnumque a Bohemorum perſecutione, ut ſupra innuimus, liberavit.

vit. Tertio, quia cum ſit in Hungaria natus, eum tamquam ex ſuis omnes populi habent, totisque viribus juſtitiam ſervare conatur, atque honeſtiſſime vivit. Quarto magnam ei adauget æſtimationem mater, quæ cum ſit ſanctiſſima, & ſapientiſſima mulier, apud omnes eſt in reverentia, & amore. Quinto, quia ipſe in ſua habet poteſtate omnia oppida, & fortalitia regni, quæ illi magnum præbent favorem. Præterea ipſe nititur exaltare omnes ſuos amicos, eosque magnificare, ex quibus ſunt imprimis ex præſulibus eccleſiaſticis Epiſcopus Varadinenſis, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, ejus frater Archiepiſcopus Colocenſis, Epiſcopus Tranſilvanienſis, Episcopus Veſprimienſis, Epiſcopus Vacienſis, Epiſcopus Zianadinenſis cum ſuis ſectatoribus. Ex dominis ſecularibus Orſagemiale magnus comes. Hic eſt magnus, & baro naturalis, & theſaurarius, qui licet ſit humili genere natus, tamen propter fidelitatem dictus Rex eum exaltavit, habet nomen Almerigo Diacheo, (manuſcriptum) Joannes de Roſſengo, Rinoldus, ejusfrater barones naturales, Secundar Simon cum ſuo fratre & Pauluzzo, Simon Seculo, Thomas Prior Veranæ, aliique barones naturales cum aliquot aliis eorum Sectatoribus non magni faciendis.

Ordinarii proventus, quibus in præſentiarum dictus Rex Mathias fruitur, aſcendunt ad ſummam 200 mille ducatorum hoc modo; præcipuus ejus proventus eſt ſal, qui eruitur ex aliquibus montibus Tranſilvaniæ, & ſunt ad inſtar lapidis marmorei, qui in fruſta quadrata conciſus ponderis 100, vel 200 librarum mittitur in aliqua loca regni, in quibus venditur, quo circumſtantes populi pro emptione pergunt, & vocantur illa loca Regiæ Cameræ Salis. Hoc ſal præbet reditum 80 mille ducatorum in 100 mille

mille plus minusve ſecundum temporum circumſtantias, ſed plerumque Rex ex eo habet 100 mille ducata. Poſtea ſunt diche, videlicet Rex ab unaquaque domo oppidorum ſibi ſubjectorum exigit omni anno unum ducatum, & hoc eſt conſuetum tributum, ſi autem multæ extraordinariæ expenſæ faciendæ ſint contra Turcas, & Bohemos, præter conſuetum Rex adhuc accipit duo alia ducata, & interdum tria, prout exigit magnitudo negotii, & pro arbitrio. Præterea ſunt domus monetariæ in quatuor locis, ubi principaliter cuduntur aureæ argenteæ & cuprinæ monetæ. Prima eſt una in Tranſilvania dicta Rivo Dominarum, ubi ſunt pecuniæ aureæ & argenteæ; ex iſta domo monetaria educuntur per annum circiter viginti millia ducata. Secunda camera monetaria item in Tranſilvania eſt in uno oppido Sabino nuncupato; hæc præbet in anno circiter ſex millia ducata. Tertia eſt alius Mons vocatus Cremonizza, hæc ſolvit in anno duodecim millia ducata. Quarta demum eſt camera Budenſis, quæ præſtat per annum circiter ſex millia ducata. Omnes iſtæ domus monetariæ ſummatim afferunt utilitatem quadraginta quatuor millium vel quinquaginta quatuor millium ducatorum per ſingulos annos, Rex autem in ſui ſubſidium cudi curavit multas pecunias pauperes, quibus ultra valorem pretium adauxit. Sunt item Trigeſimæ, datium ſcilicet conſvetum, & generale, quod quinque pro centum Regi ſolvitur pro mercibus in regnum invectis, vel ab eo extractis, & habet ex illis circiter 80 millia interdum 100 mille ducata per annum. Præter recenſita autem alias etiam habet utilitates ex cupro, & Judæis, quæ conficiunt 30 mille ducata. Ex toto iſto proventu neceſſe eſt, ut Rex ſuæ ſuſtentationi,

tioni, ſuæque aulæ provideat, nec non omnem aliam faciat expenſam; quod ſi pro regni bono opus ſit aliqua pecuniæ ſumma ob gravia negotia, oportet ut generale concilium indicat, & congregari curet omnes barones eccleſiaſticos, & ſeculares, nec non nobiles, & provincias regni, & in dictis congregationibus facultatem obtineat imponendi nova onera dicto regno, & prout in dicta convocatione definitur, ſic decernit Rex, & nihil ultra.

X.

RELATIO.

De Victoria contra Turcos obtenta.

Clementiſſime Rex! Nos heri Regiæ Majeſtati Veſtræ eventus humillimis noſtris ſcriptis, qualiter ſe ſe res hactenus habuerint, actumve ſit, in ſumma obedientia notificavimus. Præter iſta in præſentiarum R. V. Majeſtatem humillime etiam latere noluimus, quod poſteaquam hoſtis exercitum ſuum in oppidulo vulgariter Creuz exiſtere, ac damna ſuis equitibus illata eſſe reſcivit, quamprimum, & ad ſummum in tribus proximis horis illinc (oppidulo prius ab eo incenſo, quod tamen e diverſo a noſtris ab incendio in continenti liberatum, ita, ut ab una parte ſolummodo aliquæ domunculæ combuſtæ ſunt) diſceſſit, continuoque itinere, in quinque milliaribus non quievit, in continenti per ſuam provinciam Poſchega (ubi rurſus transfretaturus) profectus eſt. Chriſtianus autem populus in cœnobio, ac parochialibus eccleſiis oppiduli Creucz, in quo & aliqui equi Auſtriaci fuere, non oppugnatur, ubi nos

apud

Digitized by Google

apud Baan magiſtrum de campo, Hiſpanicos capitaneos, nec nôn alios quosdam experti ſumus belli conditiones, videlicet, quod cum peditibus hoſtes nequaquam aggrediemur, ſed ſolummodo aliquos equites, & id magis perſcrutandi gratia, quam aggrediendi ipſos ordinare deberemus. Attento, quod dictus exercitus Turcicus, qui non minor numero 10000 equitum, una cum ſclopetariis pariter equitibus, qui pixidibus utuntur, exiſtit, id plane apud ſemet conſtituiſſe (quemadmodum & id ſibi, ut fama certa conſtat, a ſuo Cæſare commiſſum) nos in totum profligare, exque illa provincia expellere velle, quod nos, & unusquisque noſtrum ſic pro certo habuimus, & præſertim cum ille exercitum ſuum ad duo parva milliaria a nobis moram trahere ac manere fecit; ex eo nos illum ibidem perſeveraturum plane arbitrati ſumus ita, quod ille nos, aut nos illum invadere cogeremur, quamquam ex moventibus & probabilibus rationibus ac cauſis maxima pericula ex hoc timenda eſſent, nihilominus nos certo apud nosmet illum ob jactabundam ſuam præſumptionem exſpectare, neque cedere illi velle decrevimus. Præterea notificavimus nos humillime antea R. V. Majeſtati, quomodo 400 equites in principio contra Turcicum vulgariter Sagkman a nobis ordinati ſint, nihilominus contigit, quod ex Auſtriacis, ac Carintianis equitibus ſimul cum Vice Waan (quemadmodum Waan apud illum 100 equites habuit) quidam ſe ſe eo intromiſerint, quod hoſtes, qui contra illos deſtinati fuere, retro ad eorum caſtra fugaverint ac coegerint, noſtrique felici fortuna ſimul cum multis captivis, equisque ad nos redierint, ſolummodo ex noſtris, de Auſtriaco videlicet exercitu duobus famulis, atque ex Panen cen-

centum equitibus, ſex amiſſis. Et ita, laus ſit Deo, noſtri de Turcicis equitibus triumphaverunt, multis etiam chriſtianis, qui a Turco capti detinebantur, liberatis, ſed e contrario, illi magnam miſeri populi copiam ex provincia abduxerunt, nec non ante eruptionem ſuam circa 200 trucidaverunt, quamvis tamen cito id nobis indicatum, ſed populus in tantam deſperationem devenit, ut nec vel pugna, vel fuga ſibi conſulere velit. Datum die Jovis 8. Julii 1538.

XI.

De rebus geſtis Hungarorum ab Inclinatione Regni Ant. Wran.

FRAGMENTUM.

Si fatum vitam, ſi ſors dabit otia vitæ
Addetur ſcriptis ultima lima meis.
Sin minus addetur quisquis mi proximus hæres
Fies, arbitrio ſtentque cadantque tuo.

De Rebus Hungarorum ab Inclinatione Regni

HISTORIA.

Inclinatio Regni Hungariæ dubio procul ab exceſſu divi Mathiæ Corvini Regis longe præſtantiſſimi ſumpſit exordium. Mox enim illo rebus humanis exempto, optimates perinde ac hoſte quodam profligato & finibus exacto, quique recuperata domi privata libertate, quæ prorſus ſingulorum in generoſum principem erat translata, omnes ſtudiorum conatus eo intenderant, ut providerent, ne impoſterum tanta ullius

ullius Regis dominatione ſubigerentur. Quemadmodum itaque in magnis rerum, vel Imperiorum mutationibus magni plerumque, & turbulenti motus non ſine oppreſſione atque exitio multorum exoriuntur, promiſcue imprimis a quibusque potentioribus, & majore audacia pollentibus publicæ parendi more majorum conſuetudini renunciatum; ſpreta deinde legum reverentia, militaris etiam diſciplina intermiſſa. Civilis poſt hæc ex his veluti jactis perdendi regni fundamentis ſocietas, atque concordia temerata. Poſtremo ſuſcitatæ factiones ex multorum diſcordantibus Imperiis, visque ad eas fovendas neceſſaria eſſe cæpta, & arma in mutuum ſanguinem induta; ſic inter ſpem privatæ libertatis ſupervacaneam, & horrendam licentiæ libidinem omnia eorum incerta facta, & ad perniciem publicam magis, quam ad aliquem meliorem ſtatum prona, Regem quidem non qualem debuere, conſecuti ſunt, ſed qualem voluere. Oportune huc & Beatricis Reginæ accedente ſtudio conjugali, quo in hunc ipſum Regem, qui jam pridem Bohemorum Regnum obtinebat, conſenſerat, nihilque minus, quam Regem habuere. Integerrimum alioquin, & contentiſſimum principem, quippe reddito illi nomine tantum, atque honore Regio, otiique etiam tradita copia, quantam maximam natura ejus, atque inſtitutio aliena prorſus a negotiis, deſiderabat, omnem totius dominatus poteſtatem, ipſi nobilitatis principes in ſe traxere. In hunc itaque modum, tanquam jam ſecuri de firmitudine hujusce ſtatus, quem diuturnum, feliciſſimumque fore judicabant qui exoptatiſſimus venerat, cæloque illis demiſſus eſſe videbatur, in otium, in luxum, in voluptates ſummi, ceterique omnes ordines prolapſi ſunt, ac po-

Digitized by Google

ſtremo ex his ſeminibus, quod imprimis erat univerſæ genti evitandum, in leges quoque religionis pertinacia ſtudiorum ſuorum peccavere, neglecto enim juramento, quod patres tota nobilitate aſſentiente de recipiendo in Regem Joanne filio Mathiæ, ubi pater deceſſiſſet. Summa, & publica in celebritate comitiorum præſtiterant, rejecto infelici optimæ alioquin indolis juvene, principem ſibi ſedatum facilem, & maxime externum morumque, & linguæ, & jurium ſuorum ignarum quæſivere, quo facilius multis nominibns abuſi Regis imbecillitate jugum diſciplinæ ab optimis, & gentiliciis Regibus, potiſſimum vero recens a Mathia ipſo magna cum gloria, atque ſplendore inſtitutæ, excuterent, & ſua quique in ditione, uti collibuiſſet, privatæ libertati, ac magnitudini per licentiam ſtudere poſſent. Porro quamquam Mathias uxorem nobiliſſimam ex Arragonum gente nomine Beatricem Regis Neapolitanorum Ferdinandi filiam tum forma, tum ætate florentem habuiſſet, nullos tamen illi liberos procreavit ſempiterna (ut ajunt) ſterilitate infelix, forte antea filium ex temporario thoro, matre non ignobili hunc ipſum ſcilicet Joannem ſuſceperat, de quo jam memoravimus, qui quidem omni ex parte Regia indole præditus patri & ingenio, & virtute non diſſimilis fore videbatur. Qua ſpe atque imagine adductus pater, ſuſceptaque ingenti expectatione, ac ſpe de Joanne, quod veſtigia ſua præclare eſſet imitaturus, quum jam primas ætates mira morum moderatione & commendatione omnium exegiſſet, placuit reparando generi, vel neceſſitate poſtulante, quod alium hæredem non habuerat, legitimum facere, & in ſucceſſorem ſibi cooptare, deſperata prorſus ex Beatrice prole. Tentatum itaque hoc apud

pro-

Digitized by Google

proceres, & ex ſententia impetratum, moxque in publicis comitiis univerſi tum proceres, tum reliqui omnes nobilium cætus coronaturos ſe, & in principem ſuum habituros Joannem Corvinum, patre mortuo jure jurando obſtrinxere, idque non ſemel (ut accepi) quemadmodum ſuo loco latius proſequemur; diffidebat enim Mathias nationis ſuæ conſvetis ingeniis, & majorum inſtituta formidabat, quæ potiſſimum jubebant principes ſuos legitima fieri genitura, & claritudine natalium minime nova, quorum alterum palam Joanni adverſabatur, nothum enim eſſe conſtabat, alterum adduci in controverſiam minime potuerat, nimirum cujus & avus, & pater gloria, magnitudineque rerum bellicarum, atque animi præſtantia multos hic priores Reges ſuperarat, ille æquaverat, verum erat Joannes cum pater obiit annorum circiter XX. Juvenis ſane homo, & ingenio pollens, ac Ducali dignitate inſignitus, & tametſi altero pede ſubclaudicaret, Regali tamen non minus facie, reliquoque ſtatu corporis, quam animi magnitudine, & morum candore præſtabat, jamque magnæ & prudentiæ, & rei militaris argumenta non obſcure in dies demonſtrabat. Inerat ſiquidem illi præter alias multas dotes, dexteritas quædam ſingularis, & jucunda comitas, hisque virtutibus, ita & nobilium, & militarium hominum plebisque, univerſæ amorem, ac ſtudia in ſe ſe converterat, quo ſplendore cæteri mirifice offendebantur, ut in ore omnium Joannes Corvinus verſaretur, & palam illi, tanquam ex debito quodam ſubjectionis officio Regii prope honores partim deferrentur. Quare ipſe quoque ad hæc fortunæ ſuffragia minime ſegnis plurimum operæ in ea cura reponebat, elaborabatque totis ingenii viribus ut

Digitized by Google

apud omnes excitatam de ſe expectationem magnifice confirmaret. Verum omnis iſta illius exiſtimationis opinio, ſicut ei fuit glorioſa, proceribus vero etiam expetenda eſſe debebat, ita ad finem infructuoſa quoque evenit juveni parum felici, qui quidem ſi ignaviam, & ſtoliditatem fuiſſet profeſſus, procul dubio nothi fortaſſe conditio, ac deformatio pedis non ei obſtitiſſet, & faventiore ad conſequendum coronæ faſtigium ſtudiaque procerum emerenda fuiſſet fortuna. Quippe peroſi jam pridem elati optimatum animi heroica ſtrenuitate principem, eum ſibi delegerunt, quem ipſi prope regebant, & ut cujusque mores erant, atque ambitio, ita a ſingulorum conſiliis huc illuc impellebatur, ſicque tum majeſtate, tum opibus regni abuſi, ſuis uſibus cuncta accomodabant, ſed ingens atque eximia poteſtas quæ certe longius quam a CCCCC annis per bellicæ virtutis clariſſima incrementa vecta fuerat, quamquam unusquisque deceptus faſtu proprio, invictam apud ſe eſſe crediderat, haud diu diſtracta valuit. Unde eo ad extremum ejus Reipublicæ fortuna devenit, ut defunctis iis generoſis patribus, & ad juniores avitæ jam diſciplinæ & continentiæ prorſus ignaros devoluta dominatio, duorum Regum tempus, quod auſim facile affirmare, ſine Rege exegerunt. Wladislaus enim Jagellonides ætate jam grandior, & quieti potius quam gerendis rebus comparatus, partim propter cauſas ſuperius enumeratas, partim quod adhuc ſpirabat in regno Mathiæ felicitas beneque inſtitutæ Reipublicæ exiſtimatio ad mortem usque malis, neque animadverſis, ne dum ad occurrendum his ipſis ulla cura ſollicitatus, quæ alioquin late jam & apparenter pululabant, paratis ſine omni providentia uſus eſt. Ludovicus ejus filius

ob

Digitized by Google

ob inexpertam, atque oppreſſam dicam, & ad luſus, & ad voluptates a curatoribus inſtitutam adoleſcentiam peſſumdatus, ac demum immatura morte ſublatus, ambo per omne regimen haud quaquam ad præclaras easque neceſſarias actiones erigere ſe ſe potuerunt. Ita poſtremo forti gubernatore cum imbecillo altero, cum altero imperito, & immaturo commutato magna detrimenta appetitis privatis dominationibus, accerſivere, nam quum ſine peculiari principe more majorum, ac veteri jure eſſe non poterant, quanto majoris molis erant ad gubernandum, fortiſſimoque dominatore pro magnitudine nobilitatis libertatisque, & rerum bellicarum vetere gloria regi debebant, tanto graviorem ruinam & ſibi & poſteris, ne nunc de excidio patriæ mentionem faciamus, ſub infirmis, & imbecillibus principibus pepererunt.

XII.

DE REBUS GESTIS.

Joannis Regis Hungariæ Libri II. Autore Antonio Verantio, Fragmentum.

Solimani Turcarum Cæſaris expeditionem in Moldaviam, & Tranſylvaniam memoraturus, qua Petrum cognomento Bogdanum Moldaviæ Principem genti ſuæ Vajvodam appellatum patria dominatione exegit, altius aliquanto mihi repetendum eſſe duxi, ut cognitis ex ejusdem expeditionis cauſis facilius ad inſtitutam narrationem devenire, & ipſam rem cognoſcere poſſimus. Quum enim de poſſeſ-

ſione Regni Hungariæ diu inter ſe Ferdinandus, & Joannes atrociter armis contendiſſent, nec aliud conſequerentur, quam quod & is in auxilium vocando Turcam in dies magis ac magis illi ſerviret, & ille laceſſendo propius periclitaretur, amboque foventes domi optimatum factiones, quotannis detrahendi aliquam partem finium facerent hoſti facultatem.

Sigismundus Poloniæ magno, & præclaro animo Rex, pacisque ita amator, ut bello ſemper fortiſſimus haberetur, permotus regni vicini, atque adeo chriſtiani deſolatione, & periculo animos utriusque ad agendum de pace & concordia toti Europæ lumen neceſſario irrequietis hortamentis induxit. Eaque primum, idque ſæpe opera ipſius, nec non & aliorum, quorumdam ex Germania Principum, quum in Polonia, & in diverſis aliis locis, tum poſtea apud ipſum quoque Ferdinandum in urbe Viennenſi per legatos viros inſignes nequicquam tentatum, hinc enim & Ferdinandus, quum maxime brachia movere potuit, & fortunam ſuam poſſe putavit, nihil unquam de ſuo jure concedens adverſario, dum eum non Tranſylvania, Croatia, Sclavonia, & Regali ſede ac faſtigio Buda ſolum, ſed etiam tota Hungaria excedere contendit, ipſique nec tituli Regii facta poteſtate, vixque etiam ſolius patrimonii poſſeſſione permiſſa, nihil minus quam conſortem regni admittit, illinc & Joannes animo principe prorſus non ignavo, mallens jam etiam breviſſimum tempus vivere, dummodo honeſte poſſit, & inter Hungarorum Reges, ſalvis Regiis inſignibus, referatur, nec titulo, nec Buda, nec regno ipſo cedit pro ſucceſſione etiam ſuorum poſterum laborat, quod quum inter Germaniæ quosdam principes Auſtriæ

in-

inſenſos dominis, tum Gallus, & Turca potiſſimum aſſiduæ opis ſuæ copiam pollicebatur, nec ipſe quoque Joannes quicquam de jure ſuo remittebat, & vitam potius amittere, quam vel minimam regni partem hoſti reſecaret, decreverat. Et in hunc modum longo intervallo ad ineundam concordiam disjuncti rationibus, atque ad arma identidem regreſſi mutuo, & ex æquo adverſa fortuna uſi, in dies ſe ſe conficiebant.

Aloyſius Grittus Venetus homo de quo alibi, qui jam ea tempeſtate in ſummum apicem rerum apud Joannem contenderat, qui totius regni gubernatione fungeretur, ſeque non aliter gereret, quam ſi in ſortem coronæ ſecum ſucceſſiſſet, fretus authoritate, qua pollebat, partim a Turca, partim a Joanne accepta, & dexteritatem, ac fortunam ſuam omnium ingeniis, rerumque experientiæ præferens, ipſe quoque hujuscemodi negotii tractandi provinciam in ſe tranſtulit, adeo, ut deinceps frequentes nuncii Turcici ad Ferdinandum in Auſtriam ejus opera commearent, qui de pace agerent.

Sed cum neque per hos quicquam ea de re ſuccederet, dictum poſtremo eſt, quaſi e re nata oportere Grittum colloqui cum Ferdinando, ſi vera tandem pax, non fucata ſperaretur. Grittus autem eo tum erat Conſtantinopoli legatus de Joannis rebus apud Cæſarem, Regique nunciarat, ſe a Solymano plenam authoritatem adeundi Ferdinandum, & componendi pacem accepiſſe, eſſetque bono animo, eamque cum ejus commodo atque decore fore pollicebatur. Jamque, quod adjiciebat, ipſum Ferdinandum per oratores in arbitrium ſuum apud Turcam, & Ibraimum totius cauſæ ſuæ hujuscemodi eventum conjeciſſe, idemque oportere & Jo-

annem

Digitized by Google

annem facere. Si rite, atque celeriter optatæ, ac diu jam quæſitæ pacis manum ultimam imponi velit. Hac ex re quanta extemplo ſuſpicio de actionibus Gritti Joannem inceſſerit, vel potius veterem de illo diffidentiam irritaverit, quia diu jam cognoverat, in quas ſpes, & rerum novarum moles ambitio illum deduxerat, non facile dixerim. Nam & illud ad Joannem delatum, quod dixiſſet Turcæ (invidiam Joanni facturus) tota eum mente, & præcipitanter quidem in pacis, amicitiæque cum Ferdinando faciendæ curam incubuiſſe. Sicque effectum tandem, ut eam qualemcunque obtinere poſſit, etiamſi cogeretur minus honeſtam omnino tamen ineat. Neque quod ſcire deberet, aliis fieri poſſe conditionibus, quam ipſi Turcæ adverſantibus. Quando quidem & Ferdinandus cum Imperatore fratre omni ſtudio, & induſtria conaretur belli ſedem adverſus eum in Hungaria ponere, & Joannes regnandi tranquilitate deſperata, tot jam laboribus, tot curis atque periculis eximi ſe ſe præcuperet. Nimirum contentus fortuna, & ſtatu omni, qui ab adverſario victore porrigeretur. Hincque ſatius eum eſſe hac de pace aliis modis, ſuis tamen auſpiciis tranſigere, dataque interim Joanni ampliſſima rerum ſuarum ſpe. Sic de Hungaria cum Ferdinando paciſceretur, ut de poſſeſſione illius non excideret, & Joannes tamquam inſtrumentum majorum ſucceſſuum occaſionibus ſervaretur. Neque iſthæc quidem falſo delata; ſic enim ſe ſe res habebat, & in pacem tota voluntate conſenſerat. In eo tantum illi facta injuria, quod indecoram dictus eſt poſtulaſſe, quod quantum refugerit omnibus viribus, alia in parte operis noſtri recenſuimus.

Ve-

Digitized by Google

Verum interim, dum hæc Joannes ſollicite ſecum in animo revolvit, ac de remediis accuſationum, & de effugio periculi cogitat. Grittus ex Turcia rediens a Tranſylvanis occiditur, Joannes vero oportune ſublato altero regni æmulo, quamvis magno onere liberatus eſſe videretur, majori tamen cum periculo Turcæ iram in ſe provocavit. Ultra enim alios exceſſus ex Germanorum partim frequenti de pace commercio, partim ob inquietudinem quorumdam ejus regulorum, qui fines eorum clandeſtinis excurſionibus moleſtius infeſtabant, conflatos, patrocinio amicorum ſæpe jam ei multos condonatos, viſus hic maximus, & minime barbaro tolerandus. Interfectus vir tantus, ac tam celebris Aloyſius Grittus, tot perempti Janiczari, tot reliquorum ordinum inſignes, & clari exſtincti milites, tantæ denique opes, ejusque gemmarum, & Regia prope ſuppelex, merciumque precioſarum varietas, & magnitudo intercepta. Indignum ſane facinus, eamque tam atrocem injuriam, quis adeo ignavo atque dejecto animo princeps eſſe poſſet, qui non ulciſci conaretur, qui hoc ingens detrimentum recuperare non curaret. Authorem non ad ſatisfactionem adigeret, ſed ad necem ipſam expoſceret.

Succenſus igitur indignatione ejusmodi maxima, ſumma celeritate miſſo ad Joannem nuncio, caſum hunc apud eum ita expoſtulavit paucis, ut ſe propediem venturum, & cogniturum hanc injuriam denunciaret. Præceptum item ſumma ſeveritate, ut quicquid rerum apud Grittum perierat, integerrime ſibi ſine ulla dilatione reſtitueretur, ſi gratiæ locum apud ſe relictum velit, neque avaritia ſe ſe ab honeſtate, & officio rapi patiatur. Nonnulla opum illarum publicanorum Italicæ nationis, quod chyrogra-

gra-

graphis Gritti conſtaret extitiſſe, reliqua ſua eſſe omnia, ſatisque multa ejus cauſa in Hungaria vindicanda, eoque ipſo in regnum aſſerendo ab exilio, ſua ſponte impendiſſe, diripi, atque in prædam converti ab amico & principe beneficiario minime debuiſſe.

Joannes accepta ira, & voluntate Solymani ſtatim ommiſſa conſiliorum ambiguitate, tamquam ſublatis jam omnium commentuum cauſis, quibus animum ejus hactenus erga ſe ſe detinuerat, pronior ad pacem factus eſt. Cæterum quamquam gravi timore ſecum in animo conflictaretur, quo ad ammiſſam Turcæ ſocietatem, eundem etiam contra ſe ad arma provocaſſet, & præſertim in tanta externorum hoſtium varietate, & in domeſticorum inſidiis ac fide parum ſtabili, quum ad hæc & inopia pecuniarum extrema laboraret, quod palam eſſe non ignorabat, nihilque adhuc de pace cum adverſario certi ſperaret, tamen usque adeo apud omnes ſuos id angoris diſſimulavit, ut ſi unquam alias, quibuscunque in rebus aut hilaritatem præſetulit, aut audaciam oſtentavit, tunc admirationem etiam multorum, & ingenium, & magnanimitatem ſuam declaravit. Et hoc interim haud diu detentus ejusmodi ſollicitudine paulo poſt affertur inſperata cædes Baſſæ Ibraini, ejusque interitu Joannes Rex inocens judicatus, vere ne? an ſimulate, amici enim ex Turcia ſic nunciabant, poſtea patebit. Sed aderam ego in conſilio Varadini, cum ad Joannem legatus ex Turcia veniens, ſolito eum more fratris, atque amici nomine ſalutaſſet, juſſiſſetque eum verbis Solymani, vel ipſo orationis initio ſecurum, ac lætum agere, hortatus inde, ut proximi nuncii oblitus, præſenti ſolaretur, atque animum

mum confirmaret. Cæſarem Solymanum eundem erga eum eſſe & futurum poſthac ſemper, quem ſemper hactenus expertus erat, & habere optavit, nempe amicum, fratrem & protectorem contra omnes, a quibus vexaretur. Sciret autem Grittum merito fuiſſe occiſum, ſceleſtus, & perfidia homo incomparabili nihil a Cæſare ad ea facinora, quæ aggreſſus erat, mandati habuiſſe, cum Ibraimo tantum æque contra Cæſarem, atque adverſus te ingratiſſimus homo, cujus judicio, & interceſſione ad tantum rerum ſplendorem prodire permiſerat, perniciosa communicavit conſilia, ob eaque, quam digne ex humanis ambo deſierint, exitum utriusque indicaſſe. Non omiſit in fine opum mentionem, quæ ſecum perierant, paucis, modeſteque eædem tunc poſtulatæ, foreque eorum amicitiæ magnum firmamentum, ſi fuerint reſtitutæ, quod plurimorum hominum conditionis non poſtremæ, partim illorum, ut quæ Cæſaris ſint, ne commemorent, qui ea Gritto crediderant, partim qui iis pro Gritto fidem obſtrinxerant, quotidiano clamore, ac lacrimis, qua pietas, qua æquitas Cæſariana ſollicitaretur. Nec fas eum eſſe (ita creditur) ſeu ſubditorum ſuorum, ſeu ſociorum nationum hominum curam, & rationem, tutelamque poſthabere, ſi cum iis fœdera ac veram amicitiam colere vellet.

Delinitus Joannes his, & levatus metu ex parte aliqua, non tamen abſolutus, nec omnino tutus, quamquam erectus, & lætus ſatis, nec aliter quidem inductus animum, quam qui prævidens hoſtis jacula, evitat ictus, & oppugnantem ridet. Nam & ipſe, quum pridem artes & mores, & perfidiam Turcarum longo uſu bellorum probe didicerat, minus eis credit, & aliquin quum nimis jam (ut ita dicam)

cam)

cam) ſatiſcebant, lateque vulgabantur ejus de pace cogitationes, non ſolum propoſitum ſuum non ſuſpendit, verum etiam ne intermiſit quidem, ſed nova etiam auxit ſollicitudine.

Erant illi celebres aliquot a conſiliis viri, a pace, & concordia cum Ferdinando non alieni. Duo tamen inter alios, qui antiſtites erant, Franciſcus Francapanus Agrienſis, & Stephanus Brodericus, quamquam Franciſcus etiam Archiepiſcopali mytra Colocenſis eccleſiæ titulotenus, quia re curiæ potiebantur, eminebat, peculiariter ad pacis ſtudia perinde atque ex condicto naturæ videbantur eſſe comparati. Neque poterant conquieſcere, quin, ſi fieri potuiſſet, quam celerrime, & ſine temporis impendio componeretur. Aſſidue igitur Joannem ad eam ipſam concordiam hortabantur, nec alia magis, quam de pace conſilia ingerebant, & tametſi perſpiciebant, illum hinc extremo, & inevitabili ferven. periculo, ſi prorſus ab amicitia Turcæ diſceſſiſſet, illinc breviſſima dominatione diſtineri, quæ ad poſteros ſuos non erat perventura, ſi in Germanorum ſocietatem conceſſiſſet, ſpem tamen honeſtarum conditionum, quum ex unitate animorum,& collatione virium, tum ex ingenti liberalitate Caroli Cæſaris fratris Ferdinandi, non incertam pollicebantur. Cæterum & mediocrem conditionem ſtatus meliorem eſſe, dummodo tranquillam, & ſecuram, quam ſummam, & cum ſummo metu, atque diſpendio tum privatæ, tum publicæ ſalutis pertinaciter urgere.

His, & aliis ejusmodi, incenſo Joannis animo, viſoque demum novis anguſtiis, quas ei paulo ante mors Gritti ſuſcitaverat confligtari, & per ancipitia rerum cogitatione rapi, inclinari alioquin dudum ſua ſponte ad concordiam, ſi modo ea fieri poſſet

non

Digitized by Google

non incommoda, neque indecora, viaque Turco ad ulciſcendum ſe præcluderetur, ovant, inducunt, faciunt animum. Inde mox per conſiliarios utriusque principis res aggreſſa, per hos enim, quicunque tractatus de hac pace erant agitandi, & moveri, & agitari oportebat, ne principum exiſtimatio deprimeretur, ſi aut hujus, aut illius nomine pax atque concordia ultro fuiſſet poſtulata. Ac ubi literis primum, ac expeditis nunciis de mutuo conſenſu, atque congreſſu confeciſſent, duo ii præſules, velut inſtrumenta omnium aliorum promptiſſima miſſi ſunt in Auſtriam. Agunt quæ in rem pacis, mandata acceperant, optatæ occaſioni ſummo conatu admovent. Ajunt demum nunc eam fieri oportere, ſi futura ſit, ſin ſecus, ea evenire poſſe ex momentis rerum, quæ utrique parti pænitudinem eſſent allatura. Joannem tamen adnixurum ſumma ope: ut in omnem eventum, quam commodiſſime poſſit, utatur fatis ſuis, referunt Ferdinando, placere omnia, quæ ad eam pacem ſpectarent, neque occaſionem oblatam abjecturum modo ad immodica non cogatur. Proinde quum hactenus tot congreſſibus nihil in ea componenda perfici, aut ſaltem fiducia aliqua futuræ demonſtrari potuit, in quibus etiam ſummi quidam tum principes, tum viri fruſtrati ſuis laboribus atque officiis, luſere operam, dum uterque regum ſtatuere, & firmare apud ſe integram regni majeſtatem ſumma vi, & contentione perſeverat, reperiretur aliquis alius felicior modus, per quem demum exſtirpato omni ſeminario diſcordiarum, ſedeque noſtri mutui belli procul amota, in amicitiam rediremus.

Eam rem ubi & Ferdinando, & Joanni placere cognitum eſt. Collatis inter ſe ſe denuo animis,

mis, atque conſiliis utrique in Carolum Imperatorem conſentiunt, illum requirendum decernunt, cum ſolum huic tam arduo negotio certum authorem ſperant, eum indubiam opem allaturum, ne prorſus & Hungaria evertatur, & Germania in diſcrimen adducatur. Quippe qui pro juſtitia, pro pietate, pro moderatione ſua, imo & pro jure ipſo, quo credendum eſt eum eſſe in fratrem, & fratri præter injuriam aliquam ademptorum non diffidunt, & Joanni quicquid permiſerit, eundem ſatis ſibi acceſſiſſe putaturum, modo ne toto exturbetur, & Regio faſtigio prohibeatur.

Miſſi mox ad Joannem oratores iidem Francapanus, & Brodericus, injunctumque, ut cognoſcant, an quid tandem in ejus majeſtate facultatis exiſtat, ad eam cum illius fratre pacem faciendam, voluntatis in ſe non parum eſſe, nec ea petere, quæ concedi non poſſint, ſi adeſt pietas, pro parte, & non pro toto contendere, facileque aquieturum juſtis atque honeſtis conditionibus, & id genus aliis adornata legatio.

Profecti ad Carolum legati, Neapoli illum conveniunt, itaque functi munere demandato gratiſſimi fuere, poſtremo ampliſſimis donis acceptis, magnifice Joanni oblata eſt opera, placuit inſuper, cum ipſis legatum ſuum Joannem Archiepiſcopum Lundunenſem, inſignem virum una remittere, & de his apud utrumque Regem ſuo nomine tractari. Joannes tunc agebat Varadini, & rebellibus quibusdam civitatibus expugnandis operam dabat. Vulgato dudum Cæſariani oratoris adventu, & ſpe late per omnem Hungariam accepta, quod certiſſimam pacem adoptaret. Qui quum adveniſſet, magno totius plauſu, & omnium ordinum frequentia, cunctis

ctis in ſummam quamdam celebritatem, & lætiſſimam pompam apparatis in IIII. ab urbe millibus paſſuum miſſo obviam Joanne Statilio Epiſcopo Tranſylvano, & Valentino Turco cum quingentis ferme aulæ ſuæ nobilibus viris, præſtantiſſimo equeſtri apparatu inſtructis, honorifice exceptus eſt.

Auditus triduo poſt, tantum abeſt, ut cum optata pace venerit, ut etiam longe alieniora viſa ſunt ea, quæ attulerat, quam quæ opinio vel ipſi Joanni ante promiſerat, quod ei quidem, quamquam omnino inſperato, non incommode tamen ceſſit, exiſtimatumque, id curatum ab adverſariis, quod quæſitæ pacis initia magis a Joanne prodierant, preſſusque Turcæ indignatione ob interitum Gritti, ad iniquas etiam conditionum rationes deſcenſurus ſperabatur. Verum incerti homines, quid quæquæ dies afferat, miraque ac magna rerum momenta ſingulis fere punctis temporum verti ſolere, Joannes occaſionibus ſuis veluti a Jove miſſis, quod minime expectatis, firmo animo uſus eſt.

Porro ſub id tempus Franciſcus Galliarum Rex intercepto Sabaudiæ Ducatu, ubi Alobroges olim ſedes habuerant, pulſo avunculo, qui Carolo Cæſari impenſius ſtudebat, Gallorumque in Italiam tranſitum ſæpe occultis impedimentis detinere credebatur. Inſubresque validum exercitum transmiſerat, qui reliquas ejus ducatus civitates expugnaret.

Hoc etenim Carolus quoque cum Tunetana victoria rediit ex Affrica, & luſtrata primum Sicilia, adita Neapoli, Roma, Genua, Florentia, Luca, hisque in locis ampliſſimis triumphis in vetuſtæ celebritatis Romanorum morem actis, mox deinde ingentibus copiis comparatis, maturavit Gallis occurrere, quos receptis Vercellis, tam enim eam ur-

bem obſidione premebant, in Italiam quoque animum intendiſſe præceperat, quo dum pergit recuperato deditione Foſſano, a Vercellis ſolo adventu obſidionem removit. Franciſco inde Saluciorum Marchione paulo ante Gallo amico, in fidem & amicitiam accepto in Galliam Narbonenſem toto cum exercitu deſcendit, eodem, & claſſe ſubmiſſa. Hujus expeditionis magnitudo tantam de ſe per totum orbem famam fecerat, ut Hungarica factio Ferdinandi perinde ac firmiter certa de invicta Caroli felicitate, ex qua Regis quoque ſui fortunam convalituram non dubitabant, ſumma cura inſtiterunt, jam ducendum eſſe Joannem per difficilia & iniqua, ſine dubio vulgarem etiam pacem facile accepturum, argumento eſſe veriſſimo, manifeſtamque eſſe offenſæ confeſſionem & pænitentiam haud dubie agere, quod pacem ſolito diligentius urgeat, ad adverſarios prior legatos mittat, & ad Caroli opem accurrat, quo ſane indignitatis ſe ſe non abjiceret, niſi plane ab amicitia Turcæ excidiſſet, & ultimis neceſſitatibus premeretur.

Viciſſim & Joannes videns eo tum offerri ſibi nullas conditiones tolerabiles, & ſi magnopere commoveretur in iram, quod ſic tanquam per contumeliam ſecum ageretur, & circumduceretur vanitate tractatuum, pacis propoſitum nequaquam abjecit, neque curam intermiſit, ſed occaſionibus, qua ſe jam hinc inde cæperant exercere, aliquamdiu vacare inſtitit differendo variis modis Cæſariani oratoris expeditionem.

Allata ſub hæc ſpe obtinendæ Caſſoviæ, cui jam dudum inſidiæ intra muros Georgii Ezteni, Martini Ghechicy, & Gregorii Lonay; vis foris Duce Joanne Kálay, & Wladislai Edenſy non exigua, neque

ſe-

Digitized by Google

ſegnis imminebat. Nam civitas hæc in Hungaria, Cibinium in Tranſylvania diutiſſime jugum abnuerant, ac præcipuæ ſolæ, tanquam arces præſidiorum Ferdinandi, obſtitere aliquot annis privatis opibus, quominus Joannes libera utriusque regni dominatione potiretur. Sed Cibinium anno jam proximo deditum erat, opera, & novo ſtudio in Joannem, Stephani Majlady.

Factus etiam certior, Cæſarianos apud Inſubres damna ac cædem perpeſſos, poſtea & in Gallia Narbonenſi ob inopiam comeatuum, quos Galli ſub adventu hoſtium de induſtria prius partim corruperant, partim ſummoverant, magnas difficultates adiiſſe, erectus, facile cepit futurum ſperare, quod ſi, & Cæſar conatibus ſuis fruſtraretur, & de Caſſovia bene ſuccederet, æquiorem eſſet in poſterum pacem aſſequuturus, & cum acceſſione Caſſoviæ plures etiam a Ferdinando Hungari in ſuas relaberentur, quod quidem ſic evenit. Nam paulo poſt exiſtente adhuc legato Varadini, cujus dimiſſionem Joannes (uti jam memoravimus) ob has cauſas protellabat, intercepta Caſſovia eſt, & in poteſtatem Joannis redacta.

Conſequuta mox eſt, & fama de diſceſſu Caroli ex Gallia, minus pro voto rebus habitis, unde complures dejecti ſpe, quam ingentem his ex rebus conceperant, ad Joannem a Ferdinando, quod opinatus fuerat, deſciverunt, ſequuti duorum ſummorum hominum exemplum Valentini Turci & Franciſci Bebecchi, qui, ut initio tranſitus ſui fidem Joanni probarent, quæ ſuſpecta eſſe poterat ex priore lapſu, confeſtim Bebechus miſit ei ſuis ſtipendiis CCC equites, & pedites totidem archibuſiis inſtructos, Bombardam quoque miræ molis, atque operis præ-

ſtantiſſimi ita: ut merito Regalis machina dici potuerit. Valentinus Franciſcum Kápolnay ſtrenuum militem & bellica laude non fraudandum, niſi rapinis, inconſtantiæ, & violentiæ non indulſiſſet, acie perculit, viribus totis exuit & ad Savum usque ex Hungaria fugavit. Ejus dein caſtellum Gherench nuncupatum, quod tumultuario opere in alieno ſolo intra paludem Kapuſſianam per vim erexerat, unde facilius Joanni immineret, neutrius Regis auſpicia ſequutus, expugnavit, atque disjecit. Pro hac tranſitione tam opportuna, & pro hoc facinore memorabili ampliſſimis donis a Joanne ornatus. Datum illi Hunyadinum in Tranſylvania, arx olim Joannis Corvini celebratiſſima. In Hungaria etiam campeſtre oppidum ingens, & opulentum Debreczinum, poſtremo equus, & enſis Turcicus auro, atque argento munus utrumque conſpicuum, addita & pecunia, & Quinqueeccleſienſis Epiſcopatus, quem avunculo ſuo Joanni cognomento Sulyok, ſecum reducto propoſuerat reſtituit. Quandoquidem is eo jam annos circiter VIII. caruerat, quod ad Ferdinandum defecerat. Non deſuere & Bebeko ſua munera, & utrique primi honores dati, quod potentes erant.

Acceſſit pondus & a Moldavo Regulo Joannis rebus. Is enim adverſæ partis hominum ſtimulis exagitatus plerumque non etiam tunc validius, quum novam aliquam vim in eum calamitas intendiſſet, quare ea quoque tempeſtate affabre de his omnibus inſtructus machinis bellum magno conatu in Tranſylvanos edixerat. Verum accepto nuncio de Joannis in Hungaria ſucceſſibus deſtitit ab inceptis, & ultro miſit ad Joannem oratores qui ſe excuſarent, & animum ejus erga ſe mitigandum curarent, le-

viati

vitati hominis facile indultum, quod graviora negotia ſuadebant. Franciſci tantum Lazari nece expiatum, quidquid Moldavus meruerat, quorum ille, homo inter Siculos authoritate facile princeps, & inimico in Joannem ab adverſariis, quod creditum eſt, imbutus ſpiritu, conſilium junxerat, & aditum Valacho in Tranſylvaniam præbere voluerat. Ad hæc & ædes ſacra, quam in oppido Zathmarienſi ad Zamoſum flumen ſitam Chriſtophorus Kavalys, homo in plebem ſæviſſimus, Huzti præfectus, valida munitione circumjecta præſidio ſceleratorum hominum Duce Mathia ex Croatia oriundo firmaverat, expugnata, cæſisque ad internecionem cæteris, ſolus Mathias vinctus cum XX. ſociis eſt Varadinum tractus, omnes in furcas acti, Dux palo ſuffixus eſt.

Popularium demum ſtudia, quaſi jam fruſtra eſſet Joannis fortunæ reluctari, incredibiliter erupere, collataque tum ab Hungaris, tum a Tranſylvanis non mediocris pecunia, boves etiam apud Siculos uſti, proſperrimus hic annus Joanni ceſſit, & neſcio, an ullus ab eo lætior, quo novitas ejus in diademate & purpura conſpecta eſt.

His itaque adjutus rerum acceſſionibus ſumpſit animos & in opinione ſtetit. Aucta mox & audacia petendi, & obtinendi ſpes ab adverſariis omnia majora. Modeſtiæ tamen limites non egreſſus, oſtentavit tantum ſe ſe, pectus certe anxium, eo magis amore pacis deflagrare pergebat, quo confirmatior in regno fieri videbatur, quamquam multa metu periculorum ſimularet, diſſimularet omnia, donec ex ſententia rei ſuæ perficiendæ modum inveniret.

Sed & legatus cernens Joannis fortunam nimis in altum ſe ſe momento temporis pene proripuiſſe, eique tum vim, tum authoritatem omnium

Digitized by Google

opinione majorem cumulaſſe Carolo & Ferdinando omnia, quæ ſperaverant, ſecus ubique eveniſſe ita, ut ea, quæ attulerat, valde jam infra Joannis exiſtimationem forent, nec majora polliceri mandatum erat, omni ſpe, eo tum de conficienda pace abſciſſa, miſſionem impetravit.

Eum itaque Joannes honeſto munerum, ac verborum multo honore cumulatum ſpectato etiam comitantium ſplendore proſequutum, rationibus quoque conditionum, quibus tandem ea pax ſerio confici poſſet, præſertim de conciliando ſtabili fædere inter cæteros principes, quod ſolum dicebat fore vindicem chriſtiani nominis, cuique etiam ipſe initi poſſet, auderetque eo fretus ſecurius in omnem eventum fortunam tentare, commode inſtructum monitumque diligenter, ut pro his apud Cæſarem ſedulo elaboraret, dimiſit. Interea vero ad beneficia fortunæ non impiger auguſtiorem amplitudinem mente complexus tamamquæ paci, rebusque ſuis firmandis optatam viam patefeciſſet, egit omnia, quæ illi domi authoritatem, foris famam, apud hoſtem æſtimationem eſſent conciliatura. Acta hæc anno domini MDXXXVI.

Inſequens clade Joannis Koceaneri in Pannonia inferiori ad Ezikum, & Garram accepta memorabilis, de pace principum novis tractatibus datus. Hinc & Joannis Regis, de cujus jam tum voluntate, tum fortuna late conſtiterat, æquior habita ratio. Porro viſa Turcæ pro id temporis in rem chriſtianam magna conſpiratio, qui Ceramos Aulonem usque cum ingenti exercitu paulo ante proluperat. Jonicum ſimul, & Siculum mare numeroſa claſſe conſtraverat, Corcyram Venetorum inſuram ferro atque igne vaſtarat, in Italiam quoque trans-

Digitized by Google

tranſpoſitis copiis, Calabri præcipue afflicti Bruti, Lucani, Appuli, Samnites, Peligni, & Campani trepidi. Genſque ex omnibus iis populis magno numero partim cæſa, partim abacta ad usque Romam perlata conſternatio.

Nec Dalmatiæ interim parſum, intercepta arce nobiliſſima Clyty, in ſummis Adriæ jugis ſupra Salonas in præcipiti rupe ſita, amiſſa Auranea, ac Nadino Jadrenſibus municipiis non ſolum Almiſſium, Spalatum, Tragurinum, Sibenicum & Jadra, quibus urbibus ea loca, imo munimenta fortiſſima in mediterraneis adjacent, verum etiam tota provincia periclitabatur.

Læſo itaque ob Italiæ damna chriſtianorum Cæſare Carolo, offenſo ſenatu Veneto ob Corcyræ, & Dalmatiæ vaſtitatem, terrefacto vicinitate hoſtis Romano Pontifice, & laceſſitis pene totius Europæ mortalibus, ad Syncretismum quemdam, quod dici ſolet, non amore mutuo, ſed neceſſitate publica imminentis mali, concurrendum erat, ut publicæ injuriæ, atque periculo publicis viribus occurreretur. Huic vinculo vetuſtiſſima Caroli Cæſaris, & Franciſci Galliarum Regis obſtabant odia, quorum dum uterque potentia ſua quærit incrementa, totam Europam propoſitis odiorum atque armorum præmiis in ſuas partes diſtraxerant, ita, ut ab eorum principatus initiis ea pars orbis ne vel veſtigium pacis ullum ad hos usque dies cognoverat, quod ambo potentiſſimi nominis chriſtiani principes cenſebantur, ipſaque die ex mutuis illorum ultionibus creſcebant in animis odia, novæque ſubinde hiſtoriæ majoribus bellis materiam ſuppeditabant. Factum itaque his ex rebus eſt, ut jam non quibuslibet rerum dominis, non amicis, non viris ipſis ea gratiarum con-

cederetur felicitas, qui animos illorum lenire & ad concordiæ ſtudia, amoremque revocare poſſent. Solus Romanorum Pontifex Paulus III. ob reverentiam ſupremi muneris, quod gerebat in eccleſia auditus, ſolis Leonoræ Galliarum, Mariæ Hungariæ Reginis, divi Caroli Imperatoris ſororibus id gloriæ, & pietati peculiariter datum, operaque ipſius Pontificis, atque harum Reginarum induciæ primum inter eos trium menſium ab Auguſto ad Novembrem factæ, deinde ad alios tres dilatæ & ſtabilitæ. In his ceſſatio armorum, Picardis, Delphinatibus, Alobrogibus, Inſubribus, Provincialibus, Liguribus, & ceteris omnibus, qui Cæſaris, Regisque ditionis terrarum invenirentur conceſſa, vel ea potiſſimum de cauſa, ut intra hoc ſpatium temporis facilius ad longiora, & arctiora fædera, poſtremoque ad perpetuam pacem propius aditus ſterneretur.

Hæc in hunc modum dum aguntur, Joannis partim ſucceſſus, partim poſtulatio conſiderantur, judicatum eſt apud adverſarios, acceſſionem ejus ad hujusmodi concordiam oppido fore opportunam, magnumque momentum allaturam rebus chriſtianis, cum jam in eam Veneti quoque firma deliberatione, excelſoque animo conceſſiſſent, ſine quorum ſocietate fruſtra ſemper Turcicam hoſtilitatem maritimo marte tentare, cauſa quidem Joannis obviis ſuſcepta animis, & de ejusdem poſtulatis, decreta facilitas, legatusque ad eum idem Joannes Archiepiſcopus Lundenſis deſignatus.

Sed nec Paulus Pontifex ſegniter uſus eſt ſuo officio. Bene enim prius per nuncios apud omnes ſtatus, ad hoc ſaluberrimum fædus, veluti fundamentum indubiæ pacis procurato conſenſu, Niceam in Galliam Narbonenſem eodem & Cæſare, & Rege Gal-

Galliarum pro ſua utroque dignitate honorifice accerſito, profectus eſt, Cæſarque ſolita modeſtia uſus prior ad locum comitiorum veniens Pontificem excepit, Gallum vero Pontifex, ibique in colloquium & familiarem conſuetudinem eos deducens ſecuro, & pacifico ſtatu, tum orientem, tum occidentem, mareque ac terram & dulces aquas incolentibus, ſic enim in pactis expreſſum erat, ſubditisque amborum ubique gentium exiſtentibus ſancito decennalibus induciis conjunxit. Anno a Chriſto nato ſupra XXXVIII M. D.

Legatus vero Cæſaris ad Joannem huc interim profectus, magnis difficultatibus utrinque objectis, diu de pace Varadini diſceptatum, ea tamen ad poſtremum confecta eſt, nec niſi ſeptem viris in tractatum admiſſis. Ex Epiſcopis Franciſco Francapano Agrienſi, Joanne Statilio Tranſylvanienſi, fratre Georgio Utiſſenio Varadienſi, Stephano Broderico Vacienſi, & Joanne Ezico, Quinqueeccleſienſi. Ex primatibus vero Petro Perennyio, & Stephano Verbuczio Cancellario, ſeveriſſimumque prius a ſingulis deſumptum eſt juramentum, nequid ejus concordiæ propter Turcam enunciaretur, donec in tutum ipſius Joannis fortuna, & Hungariæ ſtatus adduceretur, quod facile futurum ſperabatur, ſi ea expeditio, quæ tunc temporis in Turcam ſuſcepta erat feliciorem exitum fuiſſet conſequuta. Verum ut exponam rem omnem quam veriſſime potuit, intellectam ordine proſequar.

Cum de Solymani Cæſaris expeditione circiter nonas Julias anni 1538. allatus eſſet ad Joannem nuncius, affirmareturque Tranſylvaniam primum, deinde Moldaviam occupatum venire, non parum trepidatum eſt, multumque ac diu, quænam cauſa ipſum

ipſum impelleret, ſollicite agitatum. Alii iratum Joanni Regi, quod cum Ferdinando Romanorum Rege pacem feciſſe diceretur, exiſtimabant, venturumque, ut eum regno privaret, affirmabant. Veritum, ne chriſtiani principes ipſius opera, atque ductu expeditiorem contra ſe aditum haberent. Alii: quod in gratiam Sigismundi Poloniæ Regis Petrum Vajvodam, qui illum aſſiduo, & iniquo bello vexabat inhibendum, ac puniendum in animo ſtatuiſſet. Plures, quod Aloyſii Gritti, ac duorum ejus filiorum Antonii, & Perini inreritum ulturus, bonaque ipſius tunc temporis direpta repetiturus eſſet, opinabantur. Idque quum a Tranſylvanis; tum vel maxime ab ipſo Moldavo, qui, & necandi Aloyſii Gritti Tranſylvanorum animos accenderat, quem ſuſpectum appetiti Regni Hungariæ, & Moldaviæ habuerat, & liberos ejus innoxios ad ſe per ſuos adductos necari juſſiſſet. Tandem adveniente jam Cæſare, & omiſſa Tranſylvania, ac Transalpina recta in Moldaviam pergente liquido conſtitit, tum hoc ejus itinere, tum legatorum Transalpinenſium teſtimonio, & multorum exploratorum relatu neque interfecti Aloyſii Gritti cauſa inductum venire, quem ſciebat cum Ibraino olim primario Paſſa multas res novas molitum, & potius, ex ſententia ſua eſſe occiſum, quod haud ita multo poſt Ibraini mors confirmavit. Neque Poloniæ Regis vocatu, cum princeps ille ea ſit integritate, ea prudentia, ea modeſtia, atque in Rempublicam, & fidem chriſtianam amore, ut nunquam armis infidelium contra ſuum chriſtianum hoſtem, quamvis infenſum, atque adeo cervicibus imminentem, uteretur. Verum ſola Joannis & Ferdinandi Regum concordia, quæ licet nondum erat publicata, vehementer ea tamen angi ſe-

reba-

Digitized by Google

rebatur, quam ſuſpectam habuerat propter Caroli Imperatoris oratorem, qui ſuperiore anno bis pro ea componenda ad Joannem Regem in Hungariam venerat. Et odio Petri Vajvodæ, quo jam inde in illum multis annis contracto ardentiſſime conflagrabat. Non nihil etiam ſua ipſius cauſa, ac potiſſimum, quemadmodum pro comperto affirmatum eſt Bojaronum (ita enim Moldavi ſuos proceres a).

Abditus deliteſceret, penitus ſe ignorare, quodque ad novum Vajvodam, ne ejus indignationem incurrerent, properarent. Nam a perſequendo ceſſaturos, aut non reperturos ſe exiſtimabat, iis itaque hac arte ſummotis ſolus quoque per deſerta abſtruſis ſemitis in Tranſylvaniam verſus arcem Chicho iter intendit, ac ſic emenſo magno angulo Moldaviæ, Pruth etiam ac Zereth fluminibus eo loco, quo ipſe Cæſar illa trajecerat, miro modo, ac magna audacia pertranſitis in diverſos ſaltus & alpium ſolitudines devenit, ita ut jam ubi eſſet, minime ipſi conſtaret, qua quidem dum ferarum magis jam, quam hoſtium timore perculſus nocte intempeſta vorando, ut dicunt, viam properantius fertur, & nec ſatis occurentia diſcernens, tum propter cæli obſcuritatem, tum ob oculorum gravedinem, quum jam tertiam noctem inſomnem egerat, arbori cuidam impingit, ramus vittam auream, quam apud Moldavos ſoli proceres deferunt capiti detrahit, & frænum equi deſultorii, quem ducebat circa illius truncum ſeſe convolvit, ac pugno illius elabitur. Equusque hoc ſtrepitu pavefactus, ut erat impiger, ac recens reſilit, & in ſylvam penitus abiens capiundi ſui facultatem non præbuit, ille intentus conſervandæ

---

a) Hic in Autographo forma quarta ſcripto deeſt unus Ternio.

Digitized by Google

dæ vitæ magis, quam equi inſequendi, aut quærendæ vittæ, ſeu rerum amiſſarum, quibus onuſtus erat equus, cura retardatus, fugæ nullam intermiſſionem facere, curſui celeritatem addere, omnia demum, quæ Deo placuiſſent, intra ſe boni conſulere, dein haud multum progreſſus, quoniam toto continenti labore jus corporis ac naturæ deficere videbatur. Subducit ſe ſe paulum a via, & ſomno, ut quod itineris reſtabat recentior poſtea conficeret, indulget verum enim vero fortuna, quæ in illum tota conſpiraverat, volens in unum cumulum omnia, quæ amittere poterat, comportare, & ultima jactura univerſarum rerum ſuarum, ea demum nocte afficere; is quoque equus vel pabuli gratia, vel quod vitii eſſet ejusmodi fræno ſenſim capite ſubtracto recedit ab eo, & quidem longius evagatur, ille experectus, ubi & hunc, qui cæteris rebus omnibus ſuperfuerat ereptum a fortuna vidit, ſurgit conſternatus, & pedeſter, nec enim ſecus poterat, & alioqui maturanda erat fuga, ulterius, prodire cæpit, magisque huc illuc oberrabat, quam quo intendebat, progrediebatur, quando quidem in tam vaſtis alpibus rectum iter tenere neſciebat.

Forte ſub his Stephanus Majlád Vajvoda Tranſylvanus vir acer, & bellicoſus ex mandato Joannis Regis cum milite Tranſylvano aditum quemdam Oythoz nominatum, de quo ſuo loco dicemus, propter Cæſaris Solymanni ingreſſum, obſervabat. Is itaque factus certior per exploratores, quos paſſim per totam Moldaviam habebat, quod Petrus Vajvoda in hunc modum fuiſſet regno pulſus, erraretque ibidem non longe a caſtris ejus; confeſtim in omnes partes alpium dimiſſis hominibus, qui earum notitiam probe callerent, perquirendum vivumque,

ac

ac inoffenſum ad ſe adduci jubet, voluntatem Regis eſſe dicens, ut a morte conſervetur, tutusque in regno ſuo, cujus fidei ſe ſe ſive caſu, ſive conſilio agat, credidiſſet. Nec Regium eſſe in infelices, ac fractos malis ſævire. Satisque pænarum eſſe miſero, quas fortuna irrogaſſet. Illi profecti haud multo poſt, unus eorum, qui natione Siculus erat, reperit hominem, nulla ratione gradientem, ſolum pavidum, ſine decore, nudo capite, laceris calceis, & prope exanimem, ac pedibus titubantem, quod jam quatriduum eſſe diceret, quo nec cibum humanum deguſtaſſet, neque corpori quietem, aut ſomnum oculis permiſiſſet. Reducto itaque in viam: Stephanus inquit Majlád, cognito: quod hic ita a fortuna afflictus errares vagus, miſertus fuit, miſit plures ex ſuis qui te perquirerent, & inventum ad ſe deducerent, ille quoniam memoria tenebat ſæpe alias Majlád conatibus ſuis obſtitiſſe, atque ab irruptione Tranſylvaniæ prohibuiſſe, laceſſitum etiam ab ſe injuriis, multasque ob id ſimultates inter ſe mutuo aluiſſent, veritus ne ulciſci de ſe per hanc oportunitatem vellet, evaſisque tot caſibus ac periculis in ipſo limine perfugii interiret; Siculum blande, ac ſuplex aggreſſus rogavit obnixe, ut ad Majlád potiſſimum non duceretur, tantumque apud eum tum precibus, tum promiſſis egit, ut illum quibusdam aliis Siculis prope eum locum commorantibus tradiderit, qui poſtea ut non exigua ſuſpicio circumferebat, acceptis donis & magna pecunia ad arcem Chycho, ad quam deduci optaverat, quod ipſius eſſet, & in qua uxorem jam cum liberis habebat inoffenſum perduxerunt. Bojarones vero interea temporis profecti ad Cæſarem pro libertate imprimis reſtituta, ac dato novo Vajvoda, gratias egerunt,

facta

faĉta deinde poteſtate arcis Zuchwe, & reliquarum omnium ultro oblata, quemadmodum polliciti fuerant, fidelitatem illi juramentis obſtrinxere, proque voto cæteris omnibus impetratis, & compoſitis, Stephano Vajvodæ, recens per Cæſarem creato, adhæſerunt; Petro autem tam fœde, ac miſere patria dominatione exacto, rebusque omnibus ſuis comploratis, fortuna, quantum in humano judicio eſt, cum qui & exiguus & imbecillis comparatione tanti Cæſaris erat, cognitione tamen, ac vana hic fiducia omnia ſumma majoraque, quam ferre poterat compleĉtebatur, voluit hoc malorum experimento, quantulus eſſet edocere, & in ſui notitiam adducere. Quando quidem tunc demum mortales ſe ſe agnoſcere incipiunt, quum adverſam experiuntur. Quantoque ſatius ſit in ingenti felicitate modicum, ac temperatum eſſe, quam in omne nefas cupiditatesque ferri licentia, declaravit. Quippe quæ ſæpe numero gravioribus malis ſervat illos, quibus nihil unquam extorſit, neque aliquando difficilis apparuit.

Libri primi finis.

DE

NB. Hic in MS. nihil fuit lacunæ.

Digitized by Google

DE APPARATU.

Joannis Regis contra Solymanum Cæſarem in Tranſylvaniam invadentem.

Dum hæc in hunc modum in Moldavia agitarentur, jamque fama & Tranſylvaniam, & Hungariam, ac circa omnia pervaſiſſet, Solymanum Cæſarem, ubi primum Moldavia fuiſſet potitus, e veſtigio Tranſylvaniam, & dehinc reliquam Hungariam invaſurum.

Forte Joannes Rex ſalutis regni ſui ſtudioſiſſimus in Tranſylvaniam viſendi gratia, multaque ibidem conſulturus, & compoſiturus, quæ proxima bella turbaverant, profectus ſuerat, quod quidem quam opportune accidit, tam regno illi ſalutare ſucceſſit. Etenim principum præſentia dejecti etiam animi in re trepida erigi, & confirmari ſolent, ſed is (ut de moribus ejus attingam, ac ea certe quæ ad majeſtatem corporis, ad dignitatem oris, ad maturitatem, gravitatemque geſtorum pertineant, quanta item affabilitas, quanta benignitas, quam ingens clementia potiſſimum in capitales hoſtes, atque adeo in intimos vitæ inſidiatores, quæ non affectata, neque cum inſignibus principatus acceſſoria, ſed ingenita, atque innata illi fuerat prætermittam, erat natura ſumme ſolers ac ſedatus, in dubiis caſibus promptiſſimi conſilii, futurorum etiam a longe providus expenſor, ad judicia rerum, quarum inexpertus erat minime præceps, & in his ipſis cognoſcendis præcipue intentus, quique in omnibus, quæ ageret, vim maximam ingenii ſui efficaciter demonſtraret, verum ea, quæ in manibus habebat, plerumque in mo-

ram

ram tranſmittebat, ut nihil caſu, nihil incerto conſilio adminiſtraret, nihil quod prius ex omni parte non præviderat, ad agendum feſtinaret. In eo autem ingenti admiratione dignum cenſeo, quod ejus nulla unquam fortuna nec vultum, nec animum pro varietate ſua in eam fortunam, qua ſe ſe illi præbuerat, commutavit. Adverſam enim ex majore animi lætitia, ac oris hilaritate percipiebamus, propitiam modeſte ſignificabat. Præteritæ vero adverſitatis ne unius quidem, utpote victor meminerat, demum munificentia procul dubio in eos maxima fuit, qui illum aut deſeruerant, aut hoſtiliter ſunt proſequuti. In amicos, & qui nunquam fidem commutaverant, non item; ſed id temporibus tribuebat, quibus antiquæ Hungariæ fides, quod ipſi quoque vidimus, in paucis reperiebatur. Regnum etenim inter duos Reges ad imbecillitatem vi belli inteſtini redactum, largitio, atque impunitas multorum mores corruperat, facileque abjecta ſeveritate, condonatis delictis, dum uterque officiis, quibuscunque poterat, quemcunque fidem ſibi facere, augereque factionem ad dominium occupandum, retinendumque nititur, plerique a conſtantia avocabantur. Itaque omnibus ad rem præſentem, quæ facere videbantur diligenti ſolertia proviſis mature ad Solymanum miſſi legati, mandatumque, ut in urbe Conſtantinopoli prius illi, quam moveret, adeſſent, ac dicerent, probe ſe quidem omnium commodorum, quæ ejus amicitia percepiſſet memoriam tenere, ingentes, ac nullo tempore apud genus ſuum oblivione delendas, agere gratias. Cæterum vehementer mirari, quæ cauſa illum contra ſe armaſſet, quid in ipſum commiſiſſet, optareque ſummopere de his certior fieri, & ſi quæ a quopiam æmulo obji-

objicientur; ad reddendum omnium rationem facile, ut amicum, amico paratum eſſe. Adderent præterea, ne ſe, quem hactenus, humanitate, favore, ac benevolentia liberaliter fuiſſet proſequutus, nunc malorum hominum pravis conſiliis accenſus pro hoſte inſequatur. Nec illi unum Mehmetbegum ad res gerendas tanto principe dignas ſufficere (hic enim Belgradi erat Sanchaceus, & ſciebat, illum hanc ſcintillam movere, aſſiduumque apud Cæſarem delatorem ſuum eſſe, quod ejus erga ipſum Joannem Regem tam conſtantem amicitiam illi invidebat,) ſed multis viris, multis amicis opus eſſe, & ſe inter ceteros ultimum exiſtimari ægerrime ferre. Alii deinde, atque alii poſt hos, & quidem celeberrimi miſſi, injunctumque, ut omnes paſſim in itinere ei occurſarent, ac ſimili pene oratione uterentur, quo ſi fieri poſſet a propoſito revocaretur, ad hæc tamen amica verba, & ſemper placida fuere relata reſponſa. Ceterum legati ipſi ſtudioſe tum a Baſſis, tum ab aliis, quibusque obviis in exercitu perquiſiti, quare Joannes Rex cum Romanorum Rege concordiam feciſſet, quid tot apparatus bellicos adornaret? num contra Solymanum? & alia id genus, quæ hoſtem illum, non amicum venturum declarabant, erantque certiſſimo argumento, præter cetera ſigna, quibus iratus ejus animus adhuc initio æſtatis proximæ Joanni patuerat, quo tempore Budæ ſe ſe continuerat. Huc accedebat, quod amicus quidam illius, qui apud Cæſarem non infimo loco cenſebatur, clam in hanc ſententiam nunciaverat, tempus nunc tandem adeſſe, quo aperiendi eſſent illi oculi, neque ulterius conivendum, Solymanum ei hoſtem ex amico factum, ſpeculatores vero ſingulis fere horis aliud jam nihil afferebant, præterquam unam omnium Turca-

rum vocem in exercitu circumferri: Cæſarem Tranſylvaniam occupaturum, ac ei unum ex filiis præfecturum, qui eodem imperio Moldaviam quoque & Transalpinam gubernaret, reliquumque Hungariæ ditionis tamdiu quotidianis excurſionibus vaſtaret, donec aut deditionem cogeret aut ferro deleret. Quapropter licet Joannes Rex tam ancipiti ac ſubito periculo nonnihil permoveretur, quoniam improviſi, ac repentini caſus etiam fortiſſimos Imperatores prima fronte turbatione quadam perſtringunt, ratus tamen imprimis, quod generoſi ſpiritus eſt, multo magis præſtare, cum gloria pro patriæ ſalute, ac decore ſuo, in bello mori, quam velut precario regnans, diutius Solymanum ſimulatum amicum, & tyrannum inſatiabilem munerum ſuſtinere.

Arbitratus etiam, non ſatis ſe populo, ac regno ſuo, totque anteceſſoribus ſuis clariſſimis, & ſanctiſſimis Regibus facturum, ſi arma Turcarum imposterum devitaſſet. Porro & neceſſitate hinc in audaciam accendebatur, quod fidem illi haud dubiam fecerant, nullo pacto Solymanum ſententiam immutaturum, & illinc ad victoriæ ſpem erigebatur, Moldavorum, Transalpinorumque conſenſu, qui ſe adjuncturos ipſi in Tranſylvania pollicebantur, & Hiſpanorum ac Germanorum auxiliis, quæ jam adventare ferebantur. Obfirmato itaque animo placuit conatibus Solymani obviam prodire, & in tam nobili hoſte voluntatem, ac fidem, qua ſemper in chriſtianam rempublicam fuerit, declarare, ſimulque advocatis totius Hungariæ, ac Tranſylvaniæ principibus viris ceterisque (ut ei nationi mos eſt) univerſis regni nobilibus, quos dudum adhuc trahente Solymano ad Danubium, metu in armis eſſe, & ad unum, qui enſem ferre poterat in Tranſylvaniam

vaniam convenire juſſerat, ita loquutum coram audivi.

Quanto ſit pax ampliſſimi proceres! bello melior, quanto eadem mihi ceteris rebus omnibus, ſemper a primis annis ad hoc ætatis fuerit antiquior, ſcire vos, & expertos eſſe non dubito. Novo hoc inſtituto commutato bellum me parare cernitis, quod equidem non tam optatum, quam neceſſarium mihi credite, ſuſcipio Solymanum Turcarum Cæſarem contra nos venire, ac patriæ noſtræ excidium, nobis exitium minari haud dubia fide confirmatur, neque aliam cauſam intelligo, quam quod paci, quieti, ac unitati noſtræ invideat, quæ ut ego nobis firma poſſeſſione pararem, ne dicam redimerem, quamdiu, quos labores? quas vigilias, quæ pericula non adii, quæ non tuli æmulorum odia? bella, maledicta, cavillationes, injurias, opes proprias in eum effudi publicas, ac veſtrum pene omnium facultates annuis imo aſſiduis, maximisque muneribus illi ſum elargitus. Populationes atque incendia ipſius militum in regno meo, ac pro veſtris domibus ſæpe levius, quam pro atrocitate damnorum, ſuſtinui, & ſurda aure, oculoque conniventi præterii, nulli officio, nulli quantum par erat obſequio defui. Hujus etiam fortunæ meæ ſæpe numero acceptum illi poſt Deum optimum maximum per legatos retuli. Omne demum ſtudium, omne ingenium intendi, quo in amicitia, erga me, veſtro quidem ac totius reipublicæ chriſtianæ beneficio continerem. Idque niſi feciſſem multa chriſtianorum regna ingemuiſſent, ſed & ego ſimul convidebam proceres me, æque calamitas nos quoque & totam Hungariam in caſum traxiſſet. Nam quamdiu Hungaria veluti humanum quoddam corpus, omni ex parte convu-

nerata erigere ſe ſe nequivit, longe alia ratione cum hoſte agendum eſſe duxi, quam ejus incolumitate integra. Ut enim medici humano corpori graviter vulneribus affecto non ſtatim principio fortia remedia adhibent, & maxime cavent, ne colligando ea læſos artus compagibus ſuis dimoveant, & gravius lædant, atque incurabilia efficiant, ſic ego proceres, medici cujuspiam obii partes, affectæ Hungariæ lenia remedia, ac pro magnitudine vulnerum etiam lenta quæſivi, bellum præſertim penitus averſatus pacem, atque amicitiam tanti hoſtis, cujus ferro procubuerat omni arte, multo officio, maximis donis, variis pollicitationibus, ac ingenti pecunia, tempori me accomodans, arbitratusque vim ejus mitigandam, quam exagitandam ſatius eſſe, apud me detinui, donec non nihil aſſurgeret, & priſtinum decorem, ac ſpiritus illos ſæpe alias victores reſummere, & viribus ſuis reſtitui cæpiſſet. Quidquid igitur hactenus, aut amice, aut liberaliter erga me Turca egerit, id meo ingenio, meis moribus, non ejus bonitati, ſed fraudi tribuite, etenim hoc fraudulento barbaricæ amicitiæ prætextu in infinitam ſpem tantummodo pacis ductavit, quo ſemper injuriis ac rapinis ſuis obnoxios, atque oportunos haberet. Nunc quoniam ejusmodi amicitiæ, qua me proſequebatur, illum pænituit, quoniam ego fallacias ejus, quoniam perfidiam ſole clarius intelligo, & cervicibus noſtrum omnium imminentem, libertatique inſidiantem jam contueor, nequeo proceres, nequeo dolorem jam clam continere meum, exprimit enim ſe ſe ipſemet, & diutina patientia in impatientiam erumpit. Cupioque idem vobis eſſe, quod mihi animi, ac cenſeo nihil ulterius cunctandum, quo protius abjecta omni ſegnitie arma in illum rapiamus,

mus, & obſiſtamus, ne amiſſa Tranſylvania ad reliquam Hungariam evertendam, atque ad ſupremam perniciem noſtram illi, quod ajunt, feneſtram aperiamus, nam & ex ſuga damnum, ac dedecus patiemur, & priſtinas ferre conditiones, ſervitus erit, & nunquam metu liber animus. Placeat itaque pugnare proceres, ac periclitari pro patria, ſit dulce pro fide,laribus ac libertate ſanguinem ſundere. Adero ego vobis in acie, & officio Rex, & periculi ſocius, primusque armis hoſtilibus me ipſum objiciam, & ante prima ſigna dimicaturum polliceor, vos, ſi vetus proſapia veſtra, ſi majorum veſtrorum invicti animi, ſi tot de Turcis olim adeptæ victoriæ in mentem veniunt, ſi timoris, ſervitutisque jam tædeat juxta, ac pudeat, proculdubio veſtigia mea ſequemini. Nam quod ad me attinet, teſtatum hac vice faciam, meam hanc eſſe patriam, meorum Hungarorum me eſſe Regem, cum quibus & vivere volo, & pro quibus mori animus eſt, daboque equidem operam, ſi Deus optimus maximus annuerit, ut vobis cernentibus, aut libertatem Hungarici generis, ac nominis recuperem, aut præclaræ morti locum dando recuperare ſaltem voluiſſe declarem. Quum enim magnitudinem animorum veſtrorum, quum vultus veſtros militares, quum virtutem, ac manus veſtras, quibus olim Mathias Rex etiam trinas victorias uno die obtinere potuit, intueor, quum fidem atque amorem veſtrum erga me, pietatem, ac ſtudium erga patriam mente concipio, nihil equidem nomina, nihil multitudinem, modo in vobis unanimitas non deſideretur, Turcarum horreo, imo majore alacritate, pleniore fiducia, animoque acriore in hoſtem ferri videor, ſed nec famæ nos, quantacunque nnnc de numero eo-

rum vigeat, hortor credite, majora enim plerumque ſemper tradit auditu, quam vero confirmat, nam ſi bene omnia pro ratione rei militaris vobiscum expenditis, contra Perſarum Regem ingentes habet copias, contra principum chriſtianorum expeditionem maximam emiſit claſſem, Conſtantinopolim aliaque loca maritima præſidiis validiſſimis munire cogitur, & quotam quæſo partem, ſeu majoris numeri, ſeu virtutis, militum, putatis illum contra nos adducere potuiſſe? porro ſi amicis, ſi exploratoribus noſtris fides habeatur, nonniſi inconditum vulgus, ignobilem turbam, ac (ut dixere veteres molliscimos illos Aſiaticos, qui ſemel fuſi raro ad ſecundam pugnam integris animis redire ſolent, opinioni tantummodo ſatisfacturus, ne tot bellis diſtractus, ac debilitatus eſſe videatur, in exercitum coegit. At nobis Croati, Slavi, Raſciani, Poloni, Bohemi, Sileſitæ, Moravi adſunt auxilio, aderunt & Hiſpani, & Germani pedites a Romanorum Rege miſſi aliique haſtatores, alii (ut nunc dicimus archibuſerii) utrique milites pugnaciſſimi, neque ab hoc loco diſtant quatridui, militabunt inter nos & reliqui factionis Auſtriacæ Hungari, paulo ante hoſtes, nunc denuo fratres, & ſocii; adjungent ſe ſe nobis, uti Vajvodæ ſunt polliciti, & Moldavorum, & Transalpinorum copiæ, accedemusque Deo duce ad numerum hominum non pænitendum, quo & ſi pauciores hoſtibus erimus, virtute tamen plures dimicabimus, & animo, ac fortitudine ſuperiores evademus. Quare non eſt, cur paveamus proceres hoc tam inſigne, atque adeo neceſſarium bellum aggredi, præſertim tam bellicoſiſſimarum gentium armis adjuti, & aucti, quæ profecto ſemper Turcicæ cædis fuere appetentiſſimæ, huc accedit, quod omnes occaſiones, quas

Tur-

Turcarum Cæſares hactenus contra chriſtianos captaverunt, ceſſavere, nam & Gallica, & Hiſpanica, & Italica, & Germanica quieſcunt odia, quod Franciſcus Rex cum Imperatore Carolo in amicitiam venerit, etiam ceteri principes chriſtiani adverſus hunc communem hoſtem, deletis, & projectis mutuis inimicitiis ſaluberrimum fædus percuſſerunt, certoque ſciatis, jam eos numeroſa, & valida claſſe feliciter contra illum mari pugnare, & quid dubitatis hæc omnia e re noſtra futura? toto pene orbe nunc ejus arma diſtinentur, quocunque ſe ſe vertat, omnia habet ſuſpecta, omnia infenſa, armat ſe ſe in illum oriens, armat & occidens, & contra nos vix dimidiatis viribus eum veniſſe, auſim vobis affirmare. Quapropter freti imprimis Dei optimi maximi auxilio, deinde memores tum virtutis noſtræ, tum majorum veſtrorum victoriarum, ac fortunæ, qui quoties pugnabant, toties ferme vincebant, regnum hoc una mecum capeſſite, neque patriam ſuaviſſimam, ac ditiſſimam, vivis nobis ſinamus eripi. Quod ſi forte vobis nimis audax eſſe videor, ſcitote in extremis, ac ſubitis rebus, ſubitis, & fortiſſimis conſiliis opus eſſe, eaque optatam ſæpenumero victoriam, ſecuritatemque ſolere affere, maxima auſis. Eo certe jam ventum eſt, unde nec fugere datur, neque ſi daretur licebit effugere, pugnandum itaque eſt, & ad victoriam contendendum, nobis etenim fortiter dimicantibus aderunt & ſuperi Chriſto Duce auxilio, domique libertas, foris laus, & vetus gloria recuperabitur. Hæc ille:

Subjiciam hic prælatos, ac proceres, quorum potiſſimum conſilio Joannes Rex ea tempeſtate utebatur. Erant ii, quibus & animi plurimum ineſſe, & quos multa rerum experientia edoctos eſſe no-

verat, verum ommiſſis abſentibus, imprimis Stephano a Verbucz ſummo cancellario, & comite Gregorio cognomento Peſtienny a Martonus, ambobus Hungaris, qui Budæ erant præpoſiti, ne ejus urbis præſidia, ſi quæ intolerabilior vis hoſtium ingrueret, deſperatione ſervandi ſe ſe poſſe, ad deditionem deciderent, & Franciſco Francapano vetuſta nobilitate, ac Franciſcanæ profeſſionis viro, multa virtute, atque doctrina inſigni Colocenſi Archiepiſcopo, & Epiſcopo Agrienſi, qui legatum apud Carolum Imperatorem agebat, & Stephano Broderico Slavo, eruditione, atque omnimoda integritate claro, ac celebri, nec unquam ullis præconiis ſatis laudato Epiſcopo Vaczienſi, qui adverſæ valetudinis curandæ gratia domum ſeceſſerat, ac Petro Petrovith Regis conſanguineo, & comite Themeſienſi, qui cum Sirmicis, ac Racianis copiis in dies expectabatur, omnibus provecta ætate, magno conſilio, ac in Regem explorata fide. Fuere, & alii complures, qui diverſis locis, urbibus, viisque cuſtodiendis erant deſignati. Qui aderant ii ſunt: ex Hungaris Petrus Perényi, Valentinus Terek, & Franciſcus Bebek, genere, opibus, ac potentia florentes, & primarii ordinis proceres. Ex Tranſylvanis Stephanus Majlád, Emericus Balaſſa, ambo ejus provinciæ Vajvodæ, & Franciſcus Kendy, Regalium Tavernicorum Præfectus, qui omnes proſapia nobiles, ſed virtute ſua, Joannis vero Regis munificentia in procerum ordinem aſſciti, & ad honorem proxime evecti. Prælati fuere Joannes Statilius natione Dalmata, patria Tragurinus Epiſcopus Tranſylvanus, vir gravis, prudens, acuti conſilii, ſeverus, & cui ſemper in promptu erat ingenium, quique Regem jam inde a multis annis ſummo ſtudio obſervaverat, & ab ini-

initio coronationis utramque ejus fortunam juxta æſtimans conſtantiſſima fide etiam ſequutus fuerat, Georgius dein Utiſſenius a Croatis oriundus Paulinæ religionis, Heremita Epiſcopus Varadienſis ſupremus theſaurarius, & eo temporis univerſi exercitus ſummus dux, homo impiger, ingenioſus, publicarum curarum patientiſſimus, manu promptus, ac bello non minus, quam religioni natus. Joannes poſtremo ab Ezek inſtanti anno & ipſe ad Quinqueeccleſiarum Epiſcopatum virtutum merito promotus, vir certe, qui in rebus publicis ſumme fidelis, diligens, aptus, affabilis, in privatis humanus, facilis, comis, moribus gratiſſimis, & converſatione peculiariter jucundus habebatur. Regique per illud tempus ceterorum omnium, qui ab epiſtolis, ac libellis apud eum cenſebantur, erat acceptiſſimus. Omnes igitur iis perinde, atque anteſignanis quibusdam ſuccenſi, & ingenti alacritate Regis oratione excepta, veteres adhuc animos ſpirantes, certatim aſſurgere, ejus voluntatem ſummo conſenſu approbare, Deus ut ſecundet conſilium, atque incepta, ſupplicibus votis petere, & jam tandem quæcunque cordi eſſent, acclamare inſinuaret, juberet, præciperet, ſe non ſegniter imperia illius exequuturos, polliceri. Non opus eſſe monitis non hortatibus, ſua ſponte ob injurias & clades illatas ira contra Turcas ſtimulari, pectora, dexteras, animos ſolita fortitudine, atque conſtantia non habere ſpoliatos, vixque moram pati, quo celerius in conſpectum hoſtium deſcendant, dicere. Joannes Rex haud unquam alias lætior viſus, hilari, ac interrito vultu eos ad ſpem certæ victoriæ erigere, laudare univerſos, ac uti mature cum omnibus copiis adeſſent, jubet, poſtero die cognito, ac luſtrato exer-

citu,

Digitized by Google

citu, nulla mora interjecta, ſemitas omnium alpium, locaque, & aditus, qui hoſti uſui eſſe poſſent, miſit qui ſylveſtri materia obſtruerent, impedirent, ac præſidiis tutarentur. Unus duntaxat Oytoz, a Torrente, qui eum interfluit, valde rapido, & tranſeuntibus pleno periculi, nominatus in ipſis finibus Tranſylvaniæ, & Moldaviæ poſitus deligitur, quo alius neque ingredienti Cæſari ex Moldavia in Tranſylvaniam facilior erat, neque nobis ad operiendum illum oportunior propter difficultates, quibus non mediocriter hoſtiles copiæ atteri debebant, poterat eſſe, imprimis enim erat arduus, & acclivis, porrectus in longitudinem amplius unius diei itinere, latus ita, ut duobus dumtaxat equitibus, una euntibus vix ſatis commodus eſſet, deſuper utrinque rupes altiſſimæ, promptæ, & arboribus denſiſſimis, ac maximis onuſtæ impendebant, pro faucibus vero aperta planities, & magni capax exercitus, fundebatur. In his itaque juxta vicum Berezky appellatum Stephanum Majlad Vajvodam Tranſylvanum cum omnibus Siculis, qui ejus loci indigenæ ſunt, & contigui Moldaviæ, ac magna cum parte Tranſylvanorum juſſit conſiſtere, & explorari facere, quid quoquo momento apud Solymanum in Moldavia ageretur, adjunxerat præterea, ut cura intenſiſſima obſervaret, ac ſtrenue primam hoſtium frontem, ſi illac ingreſſum eſſet habiturus, prohiberet, & in anguſtiis, quanto liceret diutius, detinere conaretur, donec reliquus exercitus accurrere poſſet, Cibino, & Bruſſovia civitatibus ſub radicibus montium, qui Tranſylvaniam a Tranſalpina dirimunt, ſitis, his enim oppido verebatur, ne, quoniam & natura, & opere munitæ fuerant initio occupatæ, velut nidum ſibi hoſtis diſponeret, ex quo facilius

ce-

Digitized by Google

ceteras regni partes infeſtaret, aliisque locis, atque arcibus, ope egentibus quæ Moldaviæ adjacebant, munitiones, & valida præſidia mittit, Hungaro & Tranſylvano militi, item auxiliariis, & mercenariis copiis, omnibus demum aliis, qui præſentes exſtiterant æquum, & opportunum locum in medio prope regno poſitum, ex quo ad omnes partes poſcente re, mature præſto eſſe poſſet, deſignat, jubetque caſtra facere, atque ad rem commode gerendam cuncta præparare, quidquid impoſterum agendum, ubi Solymano, ſi hac, vel illa via venerit, occurendum ſit, edocet, ipſe in Colosvarina urbe, in qua hæc tranſigebantur, manſit, donec Hiſpani, ac Germani pedites, aliique tum amici, tum ſocii, & quidam ſubditi, quos paulo amplius memoravimus, advenirent. Cum externis enim copiis in caſtra venire inſtituerat, eo quidem conſilio, ut perinde, ac geminato exercitu, auctoque adventicio milite veniſſe videretur, ſicque & ſuorum animos confirmaret, & Solymano cumularet curas, deque ſe non adeo facilem victoriam polliceri declararet. Plebem vero ruſticam, quæ numeroſe affluxerat, & populum oppidanum per eos dies jam certum, domi ad annonæ ex agris colligendæ, componendæque curam, armis alioquin non exutis, interim eſſe permiſerat. Id enim ea anni pars ſuadere videbatur, quoniam, & agrorum colendorum tempus ipſum abibat, annonaque in campis corrumpebatur, & hoſtis cunctanter prodire ferebatur, verum acriter ad hæc mandaverat, ut ubi primum res poſtularet, & avocarentur in bellum, præſto adeſſent. Nec ita multo poſt dum hoſtem omni metu, ac triſtitia relegata ſic expectat, alii poſt alios advolant nuncii, affirmant Moldaviam occupatam, Vajvodam expul-

pulſum, novum creatum, ac reliqua omnia, uti paulo ſuperius enarravimus ordine exponunt, Cæſaremque procul dubio in Tranſylvaniam, ut certum hoſtem properare, & jam movendi ſe in procinctu eſſe. Joannes Rex cui firmiter ſtabat ſententia, ut cum Turca omnino pugnaret, cum illum, quid mari, quid terra, quid in Moldavia ageret, quove animo erga ſe eſſet, minime falleret, nihil moratus, convocatis duce, ac proceribus, quorum quisque pro ſe ratione bonorum, ac reddituum ſuorum penſata, non cum exiguo militum, colonorumque numero, neque vili apparatu propriis ſtipendiis Regi ſubſidio, & patriam defenſurus libens venerat, quæ de hoſtis haud dubio adventu propinguitate acceperat, exponi, jamque occurrendum eſſe illi, nec ſecus poſſe fieri edicit, animo dein, ac ſpe victoriæ omnes implet, inque ſola ipſorum virtute, armis, dextrisque præſidium illis fore proponit. Poſtremo non hortari ſolum, verum edocere eos ſumma charitate, & non minore ſolertia aggreſſus.

Milites, inquit, ubi hoſtem propius adeſſe intelligetis, jubete mature arma expedire, quemque in ſuum ordinem concedere, ſigna ſubire, neu quis loco excederet, capitis pæna cavete, omnia poſtmodum vigilanti cura providete, multum per exercitum, potiores nominatim compellando hortando, confirmando equitate. Aciem demum inſtruite perinde, ac ſi hoſtis ſub conſpectu eſſet, & omnia cetera, quæ prelium poſtulabunt, impigre exequamini, ne, ſi repente, & non præviſus (qu iTurcæ mos eſt,) ſe ſe exereret, imparatos offenderet, aliisque id genus documentis, hortamentisque fuſius enumeratis, magna alacritate, alacres dimiſit. Dum ſic his apparatibus ibidem exiſtens pertinacius inſiſteret,

Digitized by Google

ſteret, quoniam lentius progreſſus Cæſaris in moram trahebatur, quam fama præmiſerat, in diesque copiarum numerum adaugeret animum non deſponderet, hoſtem forti animo operiretur, magisque audacter appeteret, quam auſurum, tot adverſis, aliisque ſuperioribus bellis debilitatum, credi poterat, clam per quemdam amicum Turcam inſignem virum conſiliorum Cæſaris non ignarum, quem ab initio conſuetudinis cum Solymano habitæ, multa pecunia, atque officio in amicitia, & favore ſuo continuerat, inſperato fit certior, haud dubie ſe arbitrari, Cæſarem facile inſtanti anno ab invaſione Tranſylvaniæ ceſſaturum, ſi quid muneris, & quidem majoris ab illo acciperet, idque forſan opera ſua componi poſſe. Ceterum maturaret, vehementer hortari, niſi ſe, & regnum ſuum perditum iri vellet. Hæc tam ſubita Cæſaris mutatio ſubacta præſertim Moldavia, & in tam proſpero fortunæ ſuæ curſu, neſcitur, quid certæ cauſæ fuerit, avaritia ne, an metus. Nam Turcas venales eſſe, modo emptor non deſit, nemo dubitat, hoc nos ex longa conſuetudine, quæ nobis ratione viciniæ cum eis eſt, quotidie experimur, verum alii dixerunt, quod hyemis propinguitatem, alii quod propter motus, conatusque principum chriſtianorum, quorum claſſem proxime maritimis ejus copiis damnum intuliſſe, & jam in Peloponeſo eſſe, ibique hyematurum accepiſſet. Multi affirmarunt, a ſuis fuiſſe territum, qui fines inferioris Hungariæ præſidiis tutabantur, quod ſcilicet fama vulgaſſet, totam ferme Germaniam, totam Italiam, atque Hiſpanias, idque ob pauca ſubſidia, quæ Romanorum Rex mittebat, Joanni Regi ſuppetias venire habereque ingentem exercitum, neque pugnam detrectaturum. Et ſi ipſe

Cæ-

Digitized by Google

Cæſar Tranſylvaniæ ſe ſe credidiſſet, in qua tot hoſtes illi occurrerent, revocaret in memoriam, quot provincias circa ſe reliquiſſet chriſtianorum, qui tametſi jure belli alii tributarii eſſent, alii amici putarentur, ſciret tamen, amicos & obtemperantes ad tempus eſſe, quos armis viciſſet, potiſſimum vero chriſtianos, quos illi natura dediſſet hoſtes. At hæc quoquo modo ſe ſe habuere, aut vulgo ſunt opinata, non magni refert. Verum Joannes Rex ratus id ſibi divinitus oblatum eſſe commodi minime negligendum duxit, utque oportune conditio ejusmodi accidiſſe videbatur, ita eam libenter complexus eſt. Quamquam autem fixum erat in animo, & jam certo decretum conſilio, hoc prelium edere, quod memorabile fore ſperabat, cupiens oſtendere, nec fidem ſuam erga rempublicam exſtinctam eſſe, neque vim, neque virtutem populi Hungarici clade Mohacſienſi penitus obrutam, tamen quoniam multa præter ſpem illi ceſſerant, quod ſcilicet Moldavi ita per ignaviam Petri Vajvodæ, & per ſuam ipſorum voluntatem, ac perfidiam a Cæſare ſubacti, & novo Vajvodæ addicti, in Tranſylvaniam ex mutua nuper deliberatione, quemadmodum commemoravi, non venerant, quod Transalpini ſimiliter ſequuti Cæſarem, promiſſis non ſteterant, quod Hiſpani, ac Germani pedites venire tardabant, iique vix quatuor millia hominum complebant, & quod nonnulli proceres Hungari, ſociorumque, & amicorum auxilia expectabantur. Hoſtis vero nactus domicilium contra omnia belli incommoda commodiſſimum, adeo propinquus erat, ut binis caſtris in Tranſylvaniam penetrare potuiſſet, init conſilium, quid factu eſſet melius, arma ne ponere, & oblata conditione bellum mutare, an cæptum proſequi? omnibus

bus tandem bene prævifis, placuit non præcipitare, quod iratus animus concupiverat, neque populi ſui tot capita, & regnum ſuum adhuc debile, quod ſummo ingenio, ſumma moderatione, incredibili labore per XII. annos magnis incommodis, multis cladibus labefactatum, bellis tum inteſtinis, tum externis pene exciſum conſervaverat, unico diei, unico fortunæ momento committere, quippe qui ſciebat ſe, non expletis copiis, ſicut crediderat, nec ſuperare, nec repellere, nec ſuſtinere hoſtem poſſe, ad hoc etiam inducebatur, quod principes chriſtiani expeditionem contra Turcas in inſequentem annum dilaturos, & eos primo quoque tempore, multiplici manu terra, marique aggreſſuros intellexiſſet, quare viſum eſt longe ſatius, conſultiusque, & majori uſui reipublicæ chriſtianæ, præcipue vero regno ſuo Hungariæ, ſi vires, quas tunc temporis collegerat, ad publicam expeditionem, ac tempus oportunius, felicioribusque auſpiciis reſervaſſet, unde & major gloria, & magis certa victoria ſperari potuiſſet. Maluit itaque Solymanum adhuc paulum tolerare, quem magis dubio tempore ad illud usque tempeſtatis diu tolleraverat, opumque ac pecuniarum non nihil patriæ beneficio profundere, quam amplis, & repentinis fortunæ promiſſis confiſus, ultimam rerum ſuarum aleam præceps adire, & victus, ſupplexque, pacem petere, ac ultro tributa offere, quæ non ſolum nunquam hactenus voluit pendere, verum etiam ab hoc nomine ſemper cavit, atque abhorruit, & paratus fuit quævis adverſa pati, quam notam hanc tributarii ſubire, cui multos ſuccubuiſſe, & legimus, & vidimus principes, qui prius rem facto aggreſſi ſunt, quam conſulto tranſegere. Nam ab hujus ingenio nihil

erat

erat alienius, quam ad res gerendas rapi, neceſſariis conſiliis non adhibitis, propter quod a multis (ut olim Fabius ille maximus Romanorum Patricius) tarditatis accuſabatur. Semper tamen illi proſpere ceſſit mora, quam, & natura, & conſilium in illo conjunxerant, adeo: ut multa concuſſa ac dejecta in regno ſuo tempore reparaverit, quæ alii temere momento perdiderant, eaque, ſi celeritate reſtituere maluiſſet, citius etiam, quæ ſuperfuerunt in tantum erant debilitate, & quaſi omnia locis ſuis luxata, funditus evertiſſet, quod quidem nemo eſt, qui ſcire non poſſit, ſi bellorum ejus tempeſtates defecatiore animo colligere voluerit. Quapropter omnium procerum unanimi conſenſu, brevi negotio cum amico illo, antea memorato, per legatum confecto, variisque donis, ac pollicitationibus factis Solymanum Cæſarem a Tranſylvania mira dexteritate, celeritateque avertit. Qui Cæſar recepto ingenti theſauro, ac pecunia quam (ut accepimus) Petrus Vajvoda vinariis aliquot capaciſſimis doliis in imo arcis Zuchvæ defoderat, ac numeroſa lanea, ſericea, atque auro clavata veſte, quam ibidem repererat, illatisque toti Moldaviæ maximis damnis, hisque non tam a Turcis, quos adhuc Cæſar initio prohibuerat, quam a Tartaris, qui nati ad res humanas delendas, in ipſo ingreſſu validiſſimos ignes paſſim excitabant, & edebant cædem, tamen & ii, quo ad ejus fieri potuit, fuere prohibiti, poſtea occupata ea parte Moldaviæ, quæ ab amne Pruth usque ad fluvium Nezter ſe ſe extendit, & arci ejus nominis Albanezter attributa, quod & pecore multo abundaret, & ut ad cervicem illius provinciæ ſemper manum haberet, recepit ſe Conſtantinopolim.

Jo-

Digitized by Google

Joannes Rex ſolutis caſtris, ſociis, atque amicis, qui a longe auxilio venerant, actis gratiis, omnes donis oneratos dimiſit, nec quiſpiam credat, Joannem Regem expeditionem hanc ſuam, aut ſtudio ſuſcitaſſe, aut ex induſtria diſſolviſſe, nam illud neceſſitate factum, hoc caſu eveniſſe conſtanter, quoniam interfuimus, teſtamur, neque ullus defectus, in compoſitionem illum cum Turca adducere potuiſſet, ſi uterque Valachus, qui hominum copia plurimum pollent, in ſententia perſtitiſſent, verum non Transalpino, ſed Moldavo id ſceleris ac perfidiæ adſcribitur. . . . . quum jusjurandum ſuum fefelliſſet, neque, uti inter eos, & Joannem Regem decretum erat, in Tranſylvaniam ſe ſe illius copiis juncturus veniſſet, ipſe quoque Transalpinus fuit coactus mutare conſilium, moxque per legatos apud Regem, & improbitatem Moldavi damnavit, & ſe ut excuſatum haberet, petiit. Ceterum erant in Tranſylvania duæ arces, Chycho, & Kykelleü, illa circa fines Moldaviæ non longe ab amne Zamoſo, hæc in media ferme Tranſylvania in ripa minoris Kykelleü fluminis poſita, a quo etiam nomen accepit, eas Rex Mathias olim Vajvodis illius provinciæ dederat, hac de cauſa pacta quædam inter eum, & Mahometum Turcarum Cæſarem de induciis interceſſerant, & a quibus tam in finibus Hungariæ, quam Moldaviæ exiſtentibus, utrique eſſet abſtinendum, fides etiam mutua acceſſerat, cum autem Petrus quidam Strigonienſis Archiepiſcopus ſummus per illud tempus cancellarius, nomen ejus Albænezter, a flumine, juxta quod ſita eſt, ſic appellata, & Chilia, quæ ſolo Iſtro a Moldavia eſt diſcreta, vicina huic, & Moldaviæ ditionis utraque habita, in literis induciarum una cum ceteris per errorem non

adſcripſiſſet, Cæſar Mathometus animadverſa potiundarum hujusmodi arcium occaſione, mox occupavit, ut excluſas ab induciis, Moldavi hoc ægre ferentes, a Mathia Rege de induſtria profectum ſuſpicari, & tanquam de injuria delata accerrime passim queri, auſi etiam prorſus defecturos ſe ad Turcam, neque poſthac ſolita illi tributa daturos, niſi aut ablatas arces reddi curaſſet, aut aliis damnum hoc penſaſſet, denunciare. Quare Mathias, ut ab hac infamia tutus eſſet, & quod hoc errore, non conſilio id accidiſſet, demonſtraret, neve tam cito ab ea privaretur, haud moratus, illico mancipato Petro cancellario ſempiterno carceri damnum Moldavorum his duabus arcibus, Chycho ſcilicet, & Kikelleü rependit, & a rebellione avertit. Nunc Joannes Rex data recuperandarum earum commoda opportunitate, & qua ne a Deo quidem immortali melior optari potuiſſet, extemplo Georgium Utiſſenium, de quo ſuperius dictum eſt, cum aulicis, & mercenariis copiis ad Petrum Vajvodam, qui erat in Chycho, juſſit contendere, datque mandata ut eum admoneat.

XIII.

DE SITU.

Tranſylvaniæ, Moldaviæ, & Transalpinæ, Fragmentum. Farrago indigeſta. Ant. Verantius. Sibenicenſis Dalmata.

Quum ingenii exercendi gratia calamum veri literarum profeſſores nunquam ſinunt conquieſcere, faciunt, ne frequenti remiſſione interpolata, evanidum atque obſoletum reddant, eisque citra omnem uſum

uſum conſeneſcat. Exempla nobis hujus rei plerique multi, iique præſtantiſſimi viri edidere, quorum ne nomina brevitatis cauſa recenſeamus, librariam quam plurimorum ſupellectilem in medium proferamus, procul dubio cognoſcemus, totos dies ſcribendis libris impendiſſe, fuiſſeque quosdam, quorum voluminibus perlegendis vix etiam vita unius hominis ſatis eſſe potuerit, declaraverunt hoc pertinaci ſtudio, tunc demum ſe omnino profecturos, ſi, quæ in dies diſcendo aſſequerentur, ad exercitationem quotidie accomodarent.

Etenim fruſtra quis artem, atque doctrinam quampiam diſcit, niſi & præcepta illius ad uſum transmittendo, quæſitum finem aſſiduo opere conſequatur, quoniam ſenſim, & per errores, ut ab eruditis proditum eſt, ad perfectionem omnium ſcientiarum devenitur, nec quisquam mortalium perfectus naſcitur, nec repente ad ſummum evadit; quapropter, quum & ipſe his exemplis invitatus, expeditionem Solymanni Turcarum Cæſaris anni XXXVIII. ſupra M. D. in Moldaviam, & Tranſylvaniam contra Petrum Vaivodam, & Joannem Regem ſuperioribus duobus libris fuiſſem complexus, ſitum quoque earum provinciarum, adjecta his neceſſario Tranſalpina, de quibus mihi paſſim dicendum fuit, quo ſcilicet pacto habeant ſe ſe invicem, qui mores gentibus, qui ritus, quæ urbes, quæ flumina, & id genus reliqua, quemadmodum res poſtulare videbatur, volui hoc tertio libro explicare, quæ ſi parva, leviaque memoratu, & forſan etiam temeraria, impudenterque prolata judicabuntur, quod plura, & quædam etiam diverſius, quam alii ſcripſerunt, occurrerint, e veſtigio in me frontem nemo corruget, nemo ſupercilium attollat, velim.

Digitized by Google

Multa enim propriis oculis ſum conſequutus, utpote diu in Tranſylvania verſatus, plura indigenarum conſuetudine, ac relatu, data opera ſtudui cognoſcere.

Alioquin nec magna illa veterum, multorum etiam recentiorum clara profecto ingenia mihi indignentur, ſi quid ſecus apud me, quam apud eos legetur, quippe qui quum & linguæ Hungaricæ compos ſim, quæ mihi eſt acceſſoria, & Illyricæ quæ genuina eſt, atque vernacula, a qua quidem plurima ſunt mutuati tam Hungari, quam Valachi, uti inferius demonſtrabo, facile fortaſſe, abſit verbo jactantia, cognoverim quæpiam propinquius, quam qui longiſſime ab hac cognitionis facultate abfuere, antiqui vero quod compertum eſt, omnibus, etſi non dicam, ea ipſa omiſiſſe, quæ ipſe polliceor, tamen teſtimonia duntaxat indicaſſe fuere contenti, multaque in obſcuritate reliquere.

A noſtris ego chronicis non diſcedam, quibus de Hungaricis, Valachiæque utriusque rebus magis credendum, vel omnium nationum teſtimoniis, puto eſſe, quam quæ de his ipſis externæ hiſtoriæ memorant, præſertim ubi quomodocunque audita poſteritati tradidere, quis enim poteſt credere, quod cujuspiam gentis monumenta melius ab aliis, quam ab ipſamet intelligantur, & tum verius, tum uberius narrentur? quamquam hæc ubertas noſtris, incuria pene publica defuit, dum alia curantur, nulla in laude reponenda.

Verum de Romanorum, Hunnorum, aliarumque variarum nationum, quæ ea regna habuere, quali conditione ſuis illis olim temporibus fuerint, quid proferam? ſi hoc noſtro ſæculo corruptiſſimo vel paucis annis ante, tanta in Hungaria, in Croatia,

in

in Slavonia, in Tranſylvania, in Moldavia, ac Trans-alpina facta eſt commutatio, tanta morum, nominum, dominationum, finiumque innovatio, ut ipſam Hungariam in Hungaria, & hæc reliqua regna in ſe ipſis non agnoſcas, ita omnes ætates obſtinate contendunt, ut in mores ac inſtituta ſui temporis cuncta poſſint pertrahere, alioqui etiam per ſe facile omnia præterita, hauſta bellorum cladibus, in oblivionem feſtinant.

Porro multos & fuiſſe olim, & nunc eſſe, nemo non videt, qui tam de literis, quam de patria, quod equidem indoleo, minus bene meriti, contemnunt ſua ipſorum perſcribere, aliena vero vellicando, etiam qualiacunque ſint, malunt ſusque deque ferre, quam propria, quæ novere, cum laude literarum monumentis mandare ad poſteros.

Ipſe tametſi plus voluntatis, quam ſcientiæ, & eloquentiæ hoc in opere habere me non neſciam, crimenque ambitioſi, quaſi pertinaciter cura poſteritatis ſollicitatus, qui vix præſentia cognoverim, ſim ſubiturus, ſecus tamen induxi animum, ne mihi ingenium, qualecunque habeam, deſidia contabeſcat, vel Senecæ ſententia, qui ocium ſine literis mortem ac ſepulturam, dixit, eſſe vivi hominis.

Nec dubito, æquum lectorem laudi id mihi laboris atque induſtriæ verſurum, iniquus ubi diutius inclamaverit die ipſa conticeſcet, ſi ægritudine ab humano animo aliena nequiverit.

Paucis itaque, quoad ejus fieri poterit, expediam, quod profeſſus ſum, neque id quidem tanquam res novas, aut penitus ignoratas, multi enim tam recentes, quam vetuſti authores de his provinciis ſcripſere, ac inter hos Strabo, Plinius, inter illos Aeneas Sylvius, Sabellicus, ac Volateranus

copioſius, reliqui contractius, &, ut ita dixerim, manipulatim. Ego quantum per exiguitatem licebit, ſalvo omnium honore, ac pace, memorabiliora tantum, & illa in acervum congeram eo potiſſimum inductus animo, ut cernens inclinationem chriſtianorum, quos in dies novæ ſeditiones inceſſunt, atque exagitant, extremi periculi, quod ex amiſſione earum provinciarum toti reliquæ Europæ imineat, illi, a quibus res, ſalusque chriſtiani ſtatus dependet, admoniti, & petiti ſint, velint advigilare, & eniti totis viribus, ne Tranſylvania ſaltem, quia cum Transalpina atque Moldavia dudum male agitur, in Turcicam poteſtatem devolvatur, quandoquidem id ſi acciderit, quod malum Deus avertat, ut cuneus in lignum, ſic in eam illapſi Turcæ, facile, ad quæcunque voluerint finitima chriſtianorum regna, citra magnum diſcrimen habebunt aditum, repreſſoque etiam Danubii nomine, altius Iſtrum in Germaniam proferent. Et imperium ſuum latius propagabunt, tam opportuna ejus tyranni ſucceſſibus foret Tranſylvania, quæ quidem quum & a natura interius variis tum montium, tum fluviorum, viarumque difficultatibus communitur, & exterius quaqua verſus altiſſimis, aſperrimisque alpibus veluti validiſſimis mænibus tuetur complexa, quæque ſola per ſe (auſim dicere) maxima ex parte vim Turcicam annona alere, & ſtipendiis fovere ſufficeret, adeo & frugum fertilis, & vini fæcunda, & pecori pinguis, & diverſorum metallorum, ac ſalium venis abundans eſt.

Porro Turcæ diligentius, & majori induſtria rimarent ejusmodi terræ viſcera, quam noſtri, quibus & homines, & pecunia, & facultas denique omnis ſublata eſt, ne dicam prorſus conſumpta bel-

lorum

lorum externorum aſſiduitate, & inteſtinis ſeditionibus.

Quamquam itaque multa de his & vetuſti varie protulerunt, & recentiores, illos imitati, etiam contraria, ac dubia opinione, ſimili modo haud pauca tradant, omnes tamen, quum e Pannonia ad eas ultra Iſtrum regiones, ac partes Europæ orientales deveniunt, non ſatis omnia ſignificanter, neque ut plane comperta indicant, ſuntque adhuc nobis plagæ illæ ceteris Europæis parcius, quam pro earum merito, ac magnitudine demonſtratæ.

Porro Getarum, & Gottorum, item Davorum, ac Dacorum nomina confundentes, arbitrati etiam Getas, ac utrosque Traces, quum utrumque Iſtri latus incoluerint, eosdem eſſe cum Myſis, quod ex Græcorum monumentis hauſere, rem ſane omnem poſteris cognoſcendam in medio reliquere, in qua quidem ne Sabellicus, noſtri temporis ſcriptor eximius, quicquam certi, ut ipſe dicit, in alterutram partem habet, quod affirmet propter vetuſtatem.

Nam & Strabo Getas, ac Dacos unam, atque eandem gentem, nempe Scythicam aſſerit eſſe, ſed ſolis diſcretam ſedibus, quod hæc mediterranea teneret verſus Germaniam, illa viciniora Ponto, ad orientem incolerent, hoc idem & Plinius ſentit, ſolum quod Getæ a Græcis, a Romanis Daci fuerint nuncupati, quod quidem, quum earundem nationum Hunnis poſtremo accedentibus, qui e Schithia exierant, homines ſane aſperi, crudeles, omnisque cultus, & comitatis ignari, eas terras perpetuo jure obtinuere, effecit barbaries, tum vel maxime linguarum, morum, ac nominum pene omnium rerum mutatione, & confuſione finium puto eveniſſe, quandoquidem & Romani eas, pulſis Getis, Dacisque

occupaverant, ſed & ii necdum bene conſtituto imperio, ab Hunnis exacti, & cum inclytis urbibus una hauſti atque deleti, priſtinæ illos barbariei, feritatique reliquere.

Unde, quæ aliquando exiguis terminis regna includebantur, ſucceſſu temporis virtute, & ſolertia principum, ſubactis finitimis, late fuere propagata, quæ vero fuerunt ampliſſima, eorundem tum deſidia, tum populorum ſeditionibus, vel exſtincta ſunt, vel in plures partes diſſecta, quod quidem, ut legimus apud Strabonem, Getis quoque accidit.

Ii enim Duce Berebiſta, viro, ut inquit, claro natione Geta, quo tempore nondum bello erant a Romanis laceſſiti, eo magnitudinis, ac potentiæ proceſſerant, ut Iſtro audacter trajecto, & ſubjugata utraque Myſia, Thracia, Macedonia, Achaja, ac Theſſalia, deletisque Boys, Tauriſcis, & populis Critaſiro cuidam Regulo ſubditis, demum usque in Illyricum proventis, ad CC. M. hominum cogebantur in exercitum adeo, ut Romanis etiam timori eſſent.

Verum mortuo Berebiſta, priusquam Romani adverſus eos arma ſumpſiſſent, potentiores inter ſe de imperii dominatione,in tantam magnitudinem amplificati contendentes, plures in partes diviſo regno ſeceſſionem fecere. In quatuor deinde diſtinxere viros omnem dominationem, quorum quilibet ſuæ parti præerat; tempus publica ſanctione deſignatum.

Poſtmodum forſan, ut fit, ex pluralitate principum, & potentia eorum diminuta, & contractis finibus, bipartito diviſere regionem, aliique Daci, alii Getæ, ſervile apud Athenienſes olim utrumque genus mortalium, fuere nominati, ac Getæ quidem ii erant, qui nunc Moldavi, in orientemque ad Pontum Euxinum usque, una cum Iſtro protenduntur.

Davi

Davi vero, poſtea Daci, hodie Tranſylvani, & Transalpini nuncupantur, quorum ii ad meridiem Iſtro junguntur, illi ad occidentem in Hungariam vergunt, & usque ad Tibiſcum, qui olim Daciæ limes erat, porriguntur. Et ſi Volaterano credendum eſt, ad Danubium usque, qui ſcribit Tibiſcum mediam Daciæ regionem præterfluere, cui ego non puto aſſentiendum, vel Ptolomei teſtimonio, qui ſitum Daciæ definiendo, dicit libro III. eam ab occaſu habere Jaziges Metanaſtas juxta Tibiſcum amnem. Ceterum eodem libro & Alutam ait a ſeptemtrione cum impetu vectum, Daciam dividere, quod diſtinctius ſuo loco declarabitur.

Aſtipulatur huic rationi & illud ex annalibus Hungarorum, quod quum Attila in Gallias hoſtiliter proficiſceretur, totum quod inter Tibiſcum & Tanaim interjacebat, Bedæ fratris imperio commiſit, quaſi Dacorum, ac Getarum fines eo duntaxat ſpatio includerentur. Sed de hoc aliorum ſit judicium, quamquam verius nos his de rebus conjicere puto, qui propingui ſumus, quam qui remote agunt, & ex auditu lucubrant.

Sed iis hoc noſtro ſæculo alia etiam nomina indita ſunt, Moldavos enim Danos, Transalpinos, Dragulas omnes pene occidentales vocant, quippe quibus nec ipſi Valachi utuntur, qui ſe Romanos nominant, nec vicinis ea ſunt ſatis trita, ſed audita tantum, nec omnino aliis, quam iis, qui literas legunt.

Hoc autem illis, a quibusdam eorum principibus Turcarum opera contigiſſe, exiſtimatur, qui quum & domi in adminiſtratione regni præſtantius ſe ſegeſſiſſent, & foris apud tantos hoſtes bellicis rebus magnos, & æſtimandos ſe præſtitiſſent, omnium-

que

que anteceſſorum gloria in ſe translata, virtute duce, nomen quoque eorum in totam gentem propagatum. Cæptumque primum apud Turcas a fortiſſimo principe Dragula, Dragulas ſuos appellari. Inde mox ad Italos emanatum nomen, quod ii in literas referentes alterius non adeo gnari, reliquæ quoque nationes uſurpavere.

Idem ea ipſa ratione uſuvenit & Moldavis, qui Bogdani, a Bogdano Vajvoda ſummo principe, & Dragula non inferiore, ob cujus ſimiliter magnitudinem rerum geſtarum contra Turcas, ab ipſis Turcis id nominis acceperunt. Sciendum tamen, quod hæc duo nomina ab Illyrico ſermone trahunt originem, quod jam diximus, plerisque vocibus tam Hungaricæ, quam Valachicæ linguæ evenire, cauſamque ſuo loco proſequemur. Non itaque, ut quidam recentiores habent, Dani dicendi ſunt Moldavi, ſed Bogdani a Bog, quod eſt Deus, & Dan, datus, unde Deodatus nomen, ſic & Dragula, diminutivum blandientis a Drago, quod eſt charum, qua ex re, ſi Latinis licet, Charulus dici deberet, verum tam hæc, quam pervetuſta illa alia ommittamus in præſentia.

Porro attriti & Getæ, & Daci primum inteſtinis ſeditionibus, quibus etiamnum in hodiernum diem exitiabiliter æſtuant, fracti deinde armis Romanorum, utrique tandem amiſſo Rege, quem ultimum habuere, Decebalo, Romano imperio ſuccubuere.

Hunni poſtea, qui, ut diximus, vocitati ſunt Hungari, quod explicabitur inferius, Romanos ſubita vi, atque inaudita multitudine hominum, exeuntes ex Scythia tam Geticis, quam Dacicis ſedibus proturbarunt. Nunc ſimili modo, eo hæc miſera regna

Digitized by Google

gna periculi devenerunt, ut Mariſum, qui mediam Daciam irrigat, Turcæ jam potent, ſolaque Dei providentia tuentur, quominus in eorum ditionem transmigrent.

Atqui hæc nimis vetuſta, & non nihil diverſe in hiſtoriis etiam Romanis tradita, quod quidem & Annales Hungarorum ſcribunt, & paſſim lectoribus occurrit, multis non proſequar, ordinis tantum gratia, propterque rerum ſeriem volui attigiſſe.

Etenim noſtra ætate regna hæc tripartito diſtinguuntur. In Tranſylvaniam, Transalpinam, & Moldaviam. Harumque indigenæ Valachi, illius Seculi, Hungari, Saxonesque appellantur, hancque diviſionem ab illa antiqua Getarum, ac Dacorum conſuetudine ad noſtra usque tempora manaſſe, facile ex Strabonis lectione inducor ad credendum. Poſteriores enim ætates, etſi præcedentium non omnia, nonnulla tamen ſervant veſtigia, vel imitantur ſaltem.

Igitur Tranſylvania cum Moldavia a ſeptemtrionali plaga ita ſe ſe mutuo contingunt, ut hæc ab oriente illa ab occidente excurrens ambæ Transalpinam, quaſi brachiis quibusdam complexæ, ad Iſtrum usque verſus meridiem protenſam circumcingant.

Verum Moldavia ab oriente habet finem, Pontum Euxinum, & Iſtri oſtia, ab occidente Tranſylvaniam, Ciabrum fluvium, & montem Carpatum, a ſeptemtrione Ruſſiam triplicem; Albam, ſuperiorem & inferiorem, quæ & Podolia, & Ruthenia nunc dicitur, olimque a Roxolanis inhabitata, a meridie Iſtro, Myſia inferiore, quæ Bulgaria, ſive Tribali, & Thracia, quæ Romania eſt, terminatur.

Trans-

Transalpina habet in oriente Moldavos, deſerta Getarum incolentes, & Myſiam inferiorem, in occidente Tranſylvanos, in ſeptemtrione Siculiam, & eam partem Moldaviæ, quæ a Siculis ſummit initium, in meridie Iſtrum, & Myſiam ſuperiorem, quæ Servia, & Raſcia hodie appellatur.

Tranſylvania vero definitur ab ortu Transalpina, ab occaſu Hungaria, qua ſecundum Chriſium Varadinum pergitur, a ſemptemtrione monte Carpatho, ubi Podoliam, Sarmatiæ, ſive Poloniæ provinciam ſegregat a Tranſylvania. A meridie Myſia ſuperiore, velut jam diximus, Servia, & ea parte Tibiſci fluvii, quæ ab oppido Szegedino divertens, in Danubium, juxta urbem olim Axium nominatam, incidit, a qua, ut Ptolomeus vult, Danubius deinceps usque in Pontum fluens, per Illyricos populos Iſter appellatur, ejus tamen locus nunc plane non conſtat, niſi ſiquid aliud conjiciemus.

Verum, quæ de ſitu Moldaviæ, & Transalpinæ, digna memoria, in literas per me referri poſſunt, vel ex ſolo auditu. Poſtremo enim de Tranſylvania, mihi notiore, ſtatui dicere. Comperio eſſe regiones non exiguas, minorem tamen ſecundum quosdam Moldavia, ſecundum alios majore Transalpina & montibus, & nemoribus occupatiorem usque ad flumen Pruthum, nam ulterius quantacunque protenditur, ad fluvium Nezter campis continentibus tota diffunditur.

Transalpina planior eſt, & longe ſitu mitior, locorumque amænitate magis inſignita, utraque tamen cælo ſalubris, ſolo fæcunda, vini, & frugum, & pecorum, equitiorumque maxime abundans.

Moldaviam totam quatuor ſecant inſigniores ceteris amnes, qui omnes a ſeptemtrione in orientem prius, dein-

deinde paulo ad meridiem inclinati, tres in Iſtrum ſe ſe condunt.

Præcipui ſunt Nezter, qui Tyras, & Pruthus, qui Jeraſſus a veteribus coſmographis nuncupatur, & Zeretus, ac Moldava, a quo Moldaviam indiginæ denominarunt, ſeque in Zeretum, juxta oppidum Románvásár, hoc eſt Romanum forum vocatum, exonerat.

Major omnibus Nezter eſt, & ſolus navigabilis.

Plurimis etiam aliis fontibus, rivisque irrigatur. Sed ad Pruthum flumen, usque, ubi montibus attollitur, & exſpatiatur. Nec mirandum eſt, quod Strabo Getarum terram dixerit aquarum indigam, nam hoc de ea plaga voluit intellexiſſe, quæ a Prutho ad Pontum usque porrigitur, tota enim campeſtris eſt, & ſolo pecore, atque paſtoribus frequens, puteisque duntaxat armenta potant, idque raris.

Et quum eam partem Moldaviæ idem Strabo in VII. libro appellat deſerta Getarum, parsque alia, vergens in occidentem ad Polonos, vocetur noſtro ævo Moldavia, a Molda flumine, quaſi molæ Davorum, quod eſt fere in medio hujus tractus, adducor non nihil in eam opinionem, ut hanc partem Davi, illam Getæ incoluerint. Eſſeque, ut & veteres & recentiores cosmographi tradiderunt, eandem gentem, nominibus tantum, & ſedibus diſcretam, nec id quidem alia ratione, quam fit hoc tempore in Tranſylvania, quæ a tribus nationibus mira concordia & unitate habitatur, nimirum a Seculis, ab Hungaris, & a Saxonibus.

Huc poſſemus afferre & Jaziges Metanaſtas, & Cumanos, quorum ii ex Amodocis montibus, illi

ex

ex Ponto in Hungariam migrarint, atque ita cum hac gente coaluerunt, ut nec Ptolomeus aliter eos ſcripſerit, quam Hungaros. Et his exemplis ero nunc contentus, quamquam in diverſis regnis complura mihi non deeſſent, accidunt enim ſæpenumero ejusmodi diverſarum nationum hisdem in locis convictiones.

Transalpinam, omiſſis variis aquis, quæ in ea undique excurrunt, unicus Alutas in Siculiæ Carpati montis incolis ortus, præterlabitur, & e Tranſylvania per Cibinienſes alpes, in quibus Tolmatium oppidum, in veſtigio Romani quondam municipii conditum, & Turris Rubea eſt, propter Turcarum irruptionem præſidium, invectus eo, navigationi aptus eſt, ac primum in occidentem vergens, quamdiu Cibinienſi agro incipit apropinquare, mox deinde ad meridiem reverſus, in Iſtrum influit juxta Nicopolim.

Gens, quæ eas terras noſtra ætate incolit, Valachi ſunt, eaque a Romanis ducit originem, tametſi nomine longe alieno, de quo, quoniam multi ambigunt, & diverſimode traditur a ſcriptoribus, afferam paulo prolixius & meam hac de re ſententiam.

Scribunt multi, & pene omnes Neoterici, aſſeruntque, indubie Valachos a Flacco quodam Romano viro, quo duce ad coercendos Dacos in eas regiones colonia Romanorum deducta fuerat, quaſi Flaccos eſſe nuncupatos, ajunt enim multa ætatum ſerie, & ex variarum gentium, ac linguarum commercio eſſe factum, ut ex Flaccis corrupte Valachorum, tanquam Flaccorum nomen formarent, quod quidem ita eveniſſe facile credo, non tamen ab ipſo Flacco, quemadmodum mox authorum veterum teſtimonio adnitar patefacere.

Le-

Digitized by Google

Legimus in hiſtoriis, ſtante adhuc conſulari imperio, primum Lucium Lucullum in Thracia, cum Beſſis montis Hemi incolis, bellum geſſiſſe, & Eumolphidam, ut ſexto Ruffo placet, ut Jornandi, Pulendanam, quæ nunc Philippopolis, & Adrianopolim, quæ juxta eundem Ruffum Olympidia, juxta Jornandem Uſtudana dicebatur, in Romanam poteſtatem redegiſſe.

Inde civitates quoque Apoloniam, Galatiam, Parthenopolim, Iſtropolim, & Tomin, quæ antea non ita pridem obtentæ erant, claſſe, belloque Mithridatico rebellarant, cum aliis multis ad Iſtrum usque perveniens, recuperavit, & Romanam virtutem, atque arma Scythis oſtendit.

Sub Cajo Cæſare Theſſalos, Achivos, & Macedonas ſimul acceſſiſſe tradunt. Porro cum Macedonia ter rebellaſſet, ſub Philippo, ſub Perſeo, & ſub Pſeudo Philippo. Philippum Flaminius Conſul, Perſeum Paulus Æmilius, Pſeudo vero Philipum Metellus oppeſſit, & horum tandem triumphis, Macedonia prorſus potiti ſunt Romani.

Illyricos hac occaſione aggreſſi, quum Macedonibus opem tulerant, per Lelium Manilium prætorem, cum Gentio eorum Rege in deditionem accepere.

Dardanos, qui nunc Bosnenſes ſunt, & Mæſyos Curius Proconſul, poſt deditionem Illyriorum ſubegit, & primus Romanorum Ducum ad Danubium cum imperio pervenit.

Sub Octaviano Auguſto, cui bello ipſe quoque interfuit, ſuperatis alpibus Juliis ſupra urbem Segeſtam ad Savum in Colapi flumine, Kulpa nunc vocato, ſitam, Appiano Alexandrino teſte Pannonia inferior, & Slavenſis Regio, quæ Savo, & Dravo inter-

interjacet fluminibus, usque ad Scordiſcorum Loca, ubi nunc Belgradum eſt, in Syrmio devicta, & poſſeſſa, limesque Romani Imperii & barbarorum per Vindeliciam, Noricum, Pannoniam, & Myſiam conſtitutus.

Nec ulterius quicquam contra eas nationes ab Auguſto geſtum, Appianus in Illyrico ſuo tradit. Quamquam civitas Tomitana jam pridem recepta a Lucullo, ipſius auſpiciis tenebatur in Ponto, ultimus ſcilicet Imperii Romani ex ea parte orientis limes. Teſtante Ovidio libro II. triſtium.

Hactenus Euxini pars eſt Romana ſiniſtri.
Proxima Baſtarnæ, Sauromatæque tenent.
Hæc eſt Auſonio ſub jure noviſſima vixque.
Hæſit in Imperii, margine terra tui.

Trajanus tandem, ab Auguſto XII. Imperator Dacos vicit, Daciamque trans Danubium, in ſolo barbarico provinciam fecit, Decebalo Rege eorum in ultroneam mortem compulſo. Et hæc latius proſequitur Sextus Ruffus, vir conſularis in hiſtoriæ Romanæ rationario, & Jornandes ejus Simia, in libro de regnorum & temporum ſucceſſione, ne alios citemus.

Jam quod ad Flaccum attinet, apparet, meo hic quidem judicio, nullibi, quod hujus Flacci ductu, atque auſpiciis vel Getæ, vel Daci, vel quævis alia illius plagæ natio, fuiſſet Romano Imperio adjuncta.

Nominatur hic Luculus, Flaminius, Æmilius, Metellus, Manilius, Curius, Cajus Cæſar Auguſtus, & demum Trajanus, Flaccorum vero nullus.

Quanta autem omnes ii in illis regionibus geſſerint, plenæ ſunt hiſtoriæ, mirumque eſſe poteſt. Cur ab horum nullius nomine Valachorum nomen prodierit.

Cæ-

Digitized by Google

Ceterum ſi, ea gens a victore quopiam nomen hoc ſortiri debuiſſet, optimo ſane, & legitimo jure a Trajano debuerat, qui ſolus, poſt tot ſuperiorum temporum bella, quæ per Conſules, Prætores, Legatos, Imperatoresque geſta ſunt, devicto acie Rege Decebalo, in provinciam redacta Dacia, urbibusque in ea inſtitutis, & coloniis deductis Latini generis, quod in Dione legimus 18. ferme poſt ſe Cæſaribus imperium ibidem ſtabiliverit, idque ad Gallieni usque, & Aureliani tempora, quorum alter amiſit Daciam, nempe Galienus, Aurelius a Galieno in Mæſiam Romanam ejus incolas tranſtulit, duasque fecit Dacias, easque appellavit Rippenſem, & mediterraneam, Dardaniæque fuere contiguæ. Ii Daci in hodiernum diem latiſſime per totum Illyricum, a Macedonia, & inferiore Pannonia, ad Iſtriam usque, & littus Dalmaticum patent, ſaltusque, & montes potiſſimum incolunt, Wlahique, & Wlaſzy nominantur, cujus vim vocabuli inferius exponam. Atque ex iis ſunt illi Martoloſzy, quod invaluit nomen apud Turcas, dicti a prædatoria calliditate & promptitudine, quorum ſine omni controverſia latrociniis crevit in Europa, & propagatum eſt totum Turcicum Imperium. Qua etiam ex re omnes, qui in eum ordinem nomen dederint, immunitate omnium vectigalium Cæſareo diplomate donantur.

Sed ut excutiamus etiam plura, quo facilius ad veram hujus nominis ætimologicam cognitionem pervenire poſſimus: ſi a Flacco, quicunque ille fuerit, Valachi dicti ſunt, quæſo, cur nulli Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, loquor de poſterioribus, & quidem de iis, qui ab eo tempore, quo Romani in ea parte Europæ cæperunt imperium inſtituere, uſi ſint hoc nomine Valachorum, quum alioquin in Getis,

Daciſque, & in iis gentibus, quæ reliquum orientis incoluerunt, verſetur eorum Hiſtoria.

Arbitror autem poſteriores fuiſſe Plutarchum, Eutropium, Capitolinum, Sextum Ruffum, Procopium, Agathiam, Jornandem, & Claudianum etiam poetam, qui omnes alii ſub Trajano, alii ſub Valentiniano, Theodoſio, & Juſtiniano temporibus viguerunt, nec uſpiam in eorum ſcriptis Valachi memorantur, quum jam Romani dudum per Gottos, Vandalos, & alias diverſas peregrinas nationes, poſtremo per Hunnos, Hungarorum progenitores, non e Getarum, & Dacorum tantummodo ſolo, ſed etiam ex Pannoniis exacti erant, nimirum Valente Imperatore rerum potiente.

Sed quum de hoc Flacco, neque in geſtis Cæſaris Auguſti, qui primus in ea gente fuit, ulla mentio fiat, neſcio an ſatis vere Valachos ab hoc ipſo Flacco deduxerint. Verum, ut id dubii certioribus argumentis liqueat, & Valachos a Romanis originem ducere declaretur, duo referam, ceterum penes lectores, & qui plures linguas cognoverunt, erit judicium. Præteritis igitur infinitis vocabulis, quæ Valachis cum lingua latina & Italorum vernacula eadem, ac certe intelligibilia habent. Interrogantes quempiam, an ſciret Valachice, ſcisne? inquiunt, Romane, & an Valachus eſſet? num Romanus ſit? quærunt. Nihilominus & Hungarice, & Illyrice, quam plurima proferunt, ſed hoc propter varias imperii eorum mutationes, & vicinitatem, quam hinc cum Ruthenis & Polonis, illinc cum Bulgaris, Raſcianis, & Syrmiis habent. Huc tamen & aliud accedit, nam apud omnes nationes Illyrico ſermone utentes, ut apud Dalmatas, Croatos, Sclavos, Bosnenſes, Raſcianos, Bulgaros, Styrios,

Ca-

Carinthios Ruthenos, ac etiam Polonos, & Bohemos, qui a Dalmatis ſunt oriundi, Itali appellantur Wlahy, ſeu Vlazy, quod quidem & Romani, & Hungari, longe credunt eſſe vetuſtiſſimium, nam quo tempore Hunni ex Scythia venerant, legimus in Hungarorum Chronicis, quod Panoniam variæ gentes, illectæ ejus ſoli fertilitate, Longobardi potiſſimum, & Itali Matrino quodam, viro bellicoſo, Tetrarcha, Romanorum præfecto incolebant, qui ſimiliter utrique Myſiæ, Achajæ, Thraciæ, Macedoniæ, ac Dalmatiæ, Romanorum præerat authoritate, quare pulſis ex ea Italis, &, quemadmodum eædem Chronicæ teſtantur, permiſſis ab Hunnis libere Hadriatico mari in Apuliam trajicere, ſponteque Valachis, qui eorum erant paſtores, ibidem remanentibus, Hungari in regnum ſuccedentes, ab Illyriis Wlazorum, ſive Wlachorum nomen, quos ita vocari invenerant, accepere, eosque Olazak appellarunt, exinde poſtea miteſcentes in dies a Scythica feritate, retinentesque uſum Romanarum literarum apud ſe, ad latinam terminationem, & vocem leniorem Valachos, quaſi Wlahos vocaverunt.

Urbes in illis nullæ, nulla politia, nulla eximii operis ædificia. In Moldavia duntaxat tres arces ſunt lapideæ Zwchwa, imprimis principum ſedes in rippa fluminis Zereth, dein Hothyn & Nemuz, hæc in finibus Siculiæ, illa in Poloniæ poſita, vicus ut paſtoriciæ caſæ hinc inde ſparſus, & oppida nullis ſepibus communita, domos vero aggreſtes modice humo evectas, materia ſylveſtri compactas, limo illitas, & culmo, ſive paleis tectas inhabitant.

In Transalpina, Tergoviſtum unicum inſigne oppidum eſt, ſatis ingens, & caput provinciæ, ac duæ arces lapideæ non tales, ut nominentur, re-

liqua omnia, ut in Moldavia, nec alioqui licet apud eos, veterum, atque adeo jam & Turcarum Imperatorum decretis, fortalitia, aut arces condere, neque civitates munitionibus, & propugnaculis cingere, ſolam regni fortitudinem in militum numero, ac robore ponentes.

Sermo utrique nationi idem eſt, & fides chriſtiana, Græci tamen ſacrorum ritus puto ex eo, quod, ſecundum Strabonem, Græcis erant notiores, quibuscum potiſſimum converſationem habebant, mores etiam inculti ſunt, & veſtis haud par. Nam Transalpini in Turcarum tum mores, tum veſtiendi modos penitus degenerarunt, Moldavi veſtes mordicus obſervant, quique apud eos, ſeu Turcicam, ſeu alterius nationis vel veſtem, vel gladium, & id genus quippiam aſſumpſerit, capite punitur.

Principes eorum Vajvodæ, hoc eſt, militiæ ductores a Voy, ſeu Voynuga, quod Illyrice militia, & Vody, quod ducere eſt, appellantur. Unde & Voynici milites, & Voievati militare dicunt. In dominia legitimi hæredes juxta ac illegitimi ſuccedunt, cauſa eſt: quod impune plura matrimonia contrahunt. Unum tantum legitimum, quod alioquin, ſi minus placuerit, etiam ſuſceptis ex eo liberis, dato repudii libello, & pecunia quadam admodum modica, in ſignum diſſolutæ deſponſationis, uxori reddita, dirimere nullum eſt nephas:)

Olim autem per Hungaros Reges confirmabantur, aliquando etiam dabantur alii, vel expulſi reducebantur, Joannes Rex reduxerat Radulem, & Wladum, eisque fidelitatem jure jurando ſolemniter obſtringebant, & quotannis pendebant cenſus, aut, ut ſubditi multorum veterum Regum, armis Hungaricæ ditioni adjuncti, vel reſtituti potius, parebant.

Nam

Digitized by Google

Nam ſæpe numero antiquæ adhuc potentiæ ſpiritus nonnullos in ſe ſentientes, cupientesque priſtinum imperium ſtatuere, ad rebellionem recidebant. Cui & Caroli, & Ludovici, & Sigismundi Regum temporibus, maxime Transalpini ſtuduerunt, quod Hungarorum imperium ſupra quam dici poſſit exoſum habebant, nam ii male Græcorum principum imitati exemplum, Turcas imperante Amurate II. contra Sigismundum in auxilium ſibi evocarunt, cum quibus congrediens Sigismundus ad oppidum Nicopolim, & victoriam de eis reportavit, & oppido fuit potitus. Alias quoque ſæpe idem fecere, poſtremo vero ſimul & Moldavi, & Transalpini conſpirantes, ſolitæque rebellionis intenti ſtudiis, prorſus Amuratis adhæſere amicitiis, ſed per Joannem Hunyadem, virum ea tempeſtate celeberrimum, revocati ad fidem, Regi Ladislao parere, & conſuetos cenſus pendere fuere coacti.

Poſtea invaleſcens Mahumetus Turcarum Imperator, abjecta Transalpinenſium amicitia, quos malebat ſervos habere, quam amicos, facile occaſione inventa, quarum barbaris, ac tyrannis principibus ingens eſt ſemper copia, eos primum, dein Moldavos vi occupat, tributaque, quæ Hungariæ Regibus perſolvebantur, ceteris omnibus condanatis, Turcarum Cæſaribus deinceps coegit pendere, adeo, ut noſtra ætate Reges Hungariæ, ſola fidelitate, & obedientia quadam recognoſcunt, idque ſi timeant, quod in Petro hoc, nunc per Solymanum expulſo, licuit plane conjicere. In contrahendis vero, obſervandisque matrimoniis omnibus eſt idem mos, eadem lex, ſed ignobilioribus largior licentia, virgines enim, quas ii in thori conſortium habere exoptaverint, frequentius rapiunt, quam datas accipiunt, exiſti-

mantes id eſſe honeſtius, foreque inter ſponſos firmiorem neceſſitudinem, quam ſi ſponte, aut ad primas petitiones a parentibus exhiberentur, qui deinde, confecta jam re, dolere ſe ſe diſſimulantes, haud ægre per amicos, & utrorumque conſanguineos reconciliantur. Cæterum mortales ſunt minime hoſpitales, nulli cultui dediti, hominem interimere nihili ducunt, pecuniæ avidiſſimi, ad furta nati, nec ſtatura corporum, nec facierum venuſtate conſpicui, colore fuſco, criniti, barbatique, & aſpectu plurimum rigidi, ad omnes labores, ac rerum penuriam maxime patientes. Equeſtres plerumque militant, pedeſtrium copiarum nullus uſus, niſi ad laceſſendum hoſtem in montanis, hasque vagas, & ſine ordine habent.

Arma Moldavis, clypeus, lancea, gladius, ſagittæ, ut Tartaris præcipua, nemini armatura ſolida, paucis, & iis potioribus, lorica hamata duntaxat, & galea chalybea, verum omnibus Sagi quidam linei, repleti xilino trium, vel quatuor digitorum craſſitudine, ea præſertim parte, qua humeri ad usque cubitos, quemadmodum in antiquiſſimis aulæis eſt videre, induuntur, qui crebris liciis, ſesqui digiti inter ſe diſtantia conſuti, pro armatura habentur, (hic addas de equis parvis, laboris, & inediæ patientes neque curantes nimiam culturam) nulli gladio pervii, præſertim ſi humecti fuerint. Veſtitus, & ornatus Bojaronibus, qui apud utramque nationem proceres ſic appellantur, proprius, & ad præſcriptum eſt, ornantur autem annulis pluribus, ſerica veſte, & aurea, variis coloribus diſtincta, præterea torquibus, & armillis, aliisque id genus ornamentis, quæ ſimul ab ſiniſtro humero, ſub dextro brachio ad femur usque, per transverſum pectus, demittuntur. Cum Marſupio cum aureis.

Trans-

Transalpini, nullis de re veſtiaria, aut militari legibus obnoxii, omnia cum Turcis habent promiſcua, propter mutuam conſuetudinem, ii ferme omnes principes ſuos, innata quadam inſania agitati, conſueverunt, ſeu clam, ſeu aperte occidere, & omnia bona ejus diripere. Moldavi ſervant ſucceſſori ad obulum, quique ad tertium ſaltem annum in dominio ſuperſuerint, vel morte naturali in lecto deceſſerint, maximo miraculo eſt, aliquando intra biennium duos, & tres abſumpſere, nec ullus ex eorum progenie eſt, qui neſciat ſe ad manifeſtam mortem ire, quum Vajvoda creatur. Sed ea opinione ſunt perſuaſi, ut ſi mille una die ad id dignitatis eveherentur, eademque necarentur, mox alii mille interriti ſuccederent, exiſtimantes bene, ac beate cum his actum, ſi vel ſemel in parentis ſolio aſſediſſent. Tanta gloriæ cupiditas ineſt etiam genti barbaræ.

Moldavi ſunt bellicoſiores, quam Transalpini, qui etiam cedunt eis, & Transalpini ſunt Moldavis hoſpitaliores.

Moldavi mitiores, nec ita in principes ſæviunt, quum enim ſemel evexere, ſuſcepereque aliquem in dominum, ſumma fide colunt, & amore proſequuntur, niſi in tyrannidem lapſus fuerit, & ſe ab eo contemni cognoverint, hunc ſine dubio tollendi e medio operam intendunt, aut pellunt dominio, ut hac noſtra ætate Petrum Vajvodam Solymano Turcarum Cæſare depulerunt.

Sed jam ad Tranſylvaniam ordo invitat. Regio eſt figura circulari magis, quam in longum porrecta, magnitudine non ingenti, verum quæ, ſive longitudinem, ſive latitudinem quæris XXV. milliaria hungarica non excedit. Ea pars, quæ a Siculis incolitur, & dehinc, qua Braſſoviæ, qua

arcis Fogaras ad usque Cibinium expanditur, ſylvis, vallibus, montibusque paulo aſperior, cæteris in locis mixta, nam & nemora opaca, plena voluptate habet, & rivis perennibus irrigua eſt, & colles aprici, ac vitiferi paſſim ſe ſe ingerunt, omnique ab utroque ferme latere ſubeſt, ſua & non anguſta planities. Terra alioqui ubique cunctis ſatis aptiſſima, & ſi requiris omnia, omnibus, quæ ſoli fæcunditate, ubertate rerum, pecoris copia, fluviis, fontibus, aquarum decurſibus, cæli clementia, demum omnibus, quæ ad humanum uſum faciunt, gloriantur, comparanda, poſthabenda nullis & quam plurimis præponenda. Etenim frugum, vinique adeo ferax eſt, ut frequenter Hungariæ etiam, ac vicinis regnis ex ea ſubveniatur, vasque vini 70 urnarum trecentis, frugum cubulus 10 denariis venit, quod & ſuperiore, & inſtanti anno licuit vidiſſe, ſed vina, ſeu fortia, ſeu lenia, ſeu acria, ſeu dulcia, ſeu clara, ſeu rubra, aut ſubrutila, & ad omne anni tempus accomodata exoptes, eo ſapore, ea ſpecie ſunt, ut neque falerna ex Campania deſiderares, & in comparatione multa etiam anteponeres. Aurum vero, & argentum omni fere ex monte egeritur. Aqua currens nulla eſt, in qua non eluatur. Totamque Transalpinam ſupra ſalem ſitam eſſe, auſim affirmare, adeo, ut in Mariſum fluvium multis ex locis promineant exciſæ ſalis crepidines, Siculi vero in ipſis domibus, vix ſesqui palmi patefacta terra, effodiunt, & tum quoque, cum uti volunt, Regibusque Hungariæ magni ex eo redditus proveniunt. Ferrum etiam, ac plumbum parit, fructuum vero omni genere, ut pomo, piro, non ſapore ſolùm, verum etiam copia Italiæ non cedit, perſico præſertim, quod Albæ Juliæ ager producit, facile ſuperat, eosque in ſequen-

quentem usque annum tanta quidem integritate conſervant, ut tunc lectos eſſe diceres. Prata affatim, aliaque jumentorum pabula paſſim habentur. Cæli temperies per omnes partes æqualis, nulla aura, nulla pallude, nullis malis nebulis infamis, ſed ſalubris, & locorum ſitu, atque amænitate tota inſignis, venationique, ac genio varie, & honeſte exerçendo non incongrua, urbes in ea munitæ, & magis eximiæ: Colosvarium, Cibinium, Braſſovia, Biſtriczia, Megyeſium, Segesvarium, Sabeſſum, & Alba Julia, ſedes epiſcopalis. Arces quam plurimæ: Hunyad, Déva, Fogaras, Dyod, Chicho, Balvanyos, Gyalu, & multæ aliæ, quas per prolixitatem non adſcribo. Amnes: Mariſius, Alutas Burtia, Biſtricium, Chichulius major, & minor, Zamoſus, item alter major, alter qui Hungaris Viſzſzafolyó hoc eſt retrofluens dicitur, qui ab occaſu in ortum prius, dein eo converſus, unde venit, juxta oppidum Déés majori ſe ſe immiſcet. Ad hos Sabeſſus, Sargetia, & Aranyos, id eſt aureus, qui vel quod aurum copioſe in eo eluitur, vel a montibus aureis, ex quibus oritur Aranyas Hungaris eſt dictus. Navigant Mariſum, Alutam, Samoſum, & Aranyos, ſed ubi aut nimio imbre, aut nivibus alpium liquefactis adaugentur; majores cæteris Mariſus, Alutas, isque in Iſtrum, ille in Tibiſcum cadit, ambo reliquos pene omnes in ſe accipiunt, Mariſus, Aranyas, Ompay, Sabeſſum, Chichulium majorem minorem; major Alutas nigram, ut dicitur aquam, Vargiſcum, Hamerodium, Burtiam, qui Braſſoviam alluit, ac Cibinium, a quo urbi inditum nomen & Sargetiam, theſauro Decebali Dacorum Regis & Zarmi Segetuza olim ejus regia, nunc Varhely ideſt arcis locus nuncupata, notiſſimum. Uterque torren-

rentes innnumeros, quos ſua quemque vallis emit, tit Aranyos curſum navigabilem ab oppido Thorda- vix quatuor milliarium hungaricorum habet, ad Mariſum. Zamoſus multo longiorem ab oppido Déés ad Tybiſcum usque, utrumque ſalinis clarum, ex illoque in Mariſum Aranyas fluvio, in Tibiſcum Szamoſo pervehuntur ſales, isque Biſtricium excipit. Piſcoſi quidem omnes, & arenis aureis celebres.

Natio eam triplex incolit, Siculi, Hungari, Saxones, adjungam tamen & Valachos, qui quamlibet harum facile magnitudine æquant, verum nulla illis libertas, nulla nobilitas, nullum proprium jus, præterquam paucis diſtrictum Hazak incolentibus, in quo regia Decebali creditur exſtitiſſe, qui tempore Joannis Hunyady, inde oriundi, nobilitatem, quod ſemper contra Turcas pugnanti ſtrenue affuerunt, adepti ſunt. Cæteri plebei omnes, Hungarorum coloni, nec in propriis ſedibus, ſed ſparſi hinc inde per totum regnum, rari in apertis locis incolæ, montibus, ac ſylvis, plerumque cum ſuo pecore pariter abditi, ſordide vitam ducunt.

Sekulos autem Hunnorum genus eſſe nemo ambigit, origo ipſorum talis eſt: habetur in Hungarorum chronicis, quod Rex Atila, quum jam annis 125 ſupervixiſſet, plusquam LX. liberos reliquerat, inter quos, dum proceres duos, Chabam ſcilicet, & Aladarium, utrumque tum ætate maturiores tum virtute animi, ſeveritateque parenti non diſſimiles, ac ceteris præſtantiores eſſe judicaſſent, ſtatuiſſentque alterum merito, qui patri in imperium ſuccederet, exorta eſt inter eos vehemens ſeditio, quod neuter alterutri volebat cedere. Nam Chaba, Honorio Græcorum Imperatore, cujus erat ex ſo-

ſorore nepos, & majore Hunnorum parte nitebatur ad dominium. Aladarius non multis Hunnis, verum quod Alemanna matre eſſet progenitus, magno numero principum Germaniæ, ſemper enim ea natio Hungariæ, uti etiam nunc, inſidiata eſt, forte inter hos erat Detricus quidam patria Veronenſis, vir militaris, qui ſuſcepta parte Aladarii, & promiſſa opera, qua illum in imperio ſtatueret, liberat, & ſe, & reliquos Germanos, fitque utrinque magnus exercitus, congredientesque, editur ingens cædes, prælium dies quinta decima dirimit, & ambæ prope partes, extrema occidione, mutuo ſe ſe conſumpſere, ſed Hunnorum pene tota vis interiit. Nam Detrici arte victus Chaba, cum reliquis fratribus, & XV. millibus hominum ad Honorium avunculum in Græciam, inde in Scythiam ad avum Bendekucz profectus eſt, ultra vero hos, exſtitere tria millia virorum, qui prælio fuga erepti, in Pannonia remanſerant, ſed timentes ab occidentis nationibus, quibus Rex Atila infeſtus olim oppido fuerat, in Transalpinæ ultimum angulum Chlkmezü vocatum, verſus ſeptemtrionem migravere, ac ne Hunnorum reſidui putarentur, Zékel ſe ſe nominaverunt, quos nunc Siculos, dum latine ſcribimus, vocitamus. Longo poſtea temporum tractu, redeuntibus iterum Hunnis ex Scythia, qui cum Chaba diſceſſerant in magnum numerum aucti, ita & ii in Siculia late jam propagati, illis usque in Ruſſiam utpote communem patriam recuperaturi occurrerunt, qua tandem recuperata, easdem ſedes ſibi inhabitandas, quas initio fuerant ſortiti, a reliquis Scythis popoſcerunt, & facile, pro opera tam egregie navata, impetravere. (Unde Siculi)

Hæc

Hæc Siculorum origo, hinc nobilitas, qua communiter omnes, tametſi aratrum, & ligonem verſent, gaudeant, hinc libertas, qua ab annuis cenſibus, exactioneque ſervitutis prorſus immunes ſunt, & abſoluti, duobus tantummodo obnoxii, quum enim Regibus bellum inſtat, coguntur ſuis ſtipendiis in expeditionem proficiſci, verum diverſa conditione: ſi vetuſtiſſimam libertatem obſervabunt. Nam ſi cum hoſte orientali, aut ſeptemtrionali, ſeu intra fines patriæ pugnandum eſt, viritim ad unum omnes ſummunt arma, nec bello excedunt, niſi confecto; ſi contra occidentales: decimam ſui partem mittunt, neque ultra quintum ſupra decimum diem ſequuntur caſtra. Contra meridionales dimidiati eunt, bellumque tollerant, quamdiu poſſunt. Hoc tempore cum regni clade etiam ipſi libertatis ſuæ nonnihil accepere detrimenti, dum laboranti patriæ ſæpius auxilio adeſſe, & ibi quidem, ubi res poſtulavit, fuere inducti. Idem &:

In pendendis Boum tributis illis contigit, antiquo jure unicuique Regum ter tantum eos tribuebant, ſingulæ ſcilicet familiæ, vel uti ipſi dicunt, portæ, ſingulum bovem: in coronatione, in nuptiis, & in primogeniti nativitate, cujus loco, ſi filia naſcebatur, a tertio tributo abſolvebantur. Nunc ommiſſa interdum antiqua conſuetudine, vel ſubſidii gratia, Rege exigente, in patriæ conſervandæ beneficium ſæpius dare non recuſant.

Cæterum ad procreandam ſobolem gens eſt non mediocriter fæcunda, ita, ut hodie ad XXX millia hominum in exercitum cogi poſſunt, domibus defenſore non ſpoliatis, equeſtri militia plerumque utuntur, belli apparatu nullo, nulla inſigni armatura, nullo ornatu militari conſpicui, verum numero, veterique ani-

animorum magnitudine freti acriter pugnant, non tuba, ſed cornu edunt claſſica, & niſi prælium mature ineatur, affecti caſtrorum tædio cito, ac ſenſim dilabuntur. Mores penitus incultos non habent, verum qui Scythicam adhuc præſeferunt cruditatem, omnique pene conſuetudine, legibus, & vitæ inſtitutis ab Hungaris, religione excepta diſcrepant, ne lingua quidem omni ex parte, quum veterum more loquuntur, ſimiles. Pro literis notas quasdam in ſcipionibus ad formam teſſeram quadratis excindunt, lineamque a dextra in ſiniſtram, ut Judæi, Aegiptii, ac Turcæ, ducunt, quarum unas ſeu ad ſummum duas punctis quibusdam additis plus quam pro numero caracterum præbent intelligentiæ. Hunnos his uſos fuiſſe, apud indigenas tritum eſt.

Ad comitia armati conveniunt, potiores in coronam aſſident, reliqui magno clamore obſtrepentes circumſtant, ſeduloque pernegantes, ea apud ſe rata fore, ſi, quæ ſtatuerent, non placerent, ubi, quod præter omnium voluntatem decernitur, ferunt interdum, ſed in authorem duntaxat, cujus opera, ſeu pertinacia quippiam oneris inſoliti ſubiere, hac injuriam ultione retorquent, agminatim domum ejus omnes invadunt, ac ſolotenus diſturbant, & ſi forte libertati eorum quid novi, quod derogaret aliquis, commentaretur, ferro etiam hunc proſequuntur, captum in comitiis palam necant, domos autem, quorum diſturbant, ubi pænituiſſe delicti tales cognoverint, una omnes inſtaurant, & cum illis in gratiam redeunt. Veſtiuntur hungarice non tamen adeo exacte, neque curioſe, colunt agros, alunt equatia optima, frumento abundant, vino non ubique, & ob id cereviſiam potant.

Digitized by Google

Saxonum natio, quæ procul dubio a Saxonibus Germaniæ populis, olim Othonum Romanorum Cæſarum dein Caroli magni Francorum Regis tempore marte potentiſſimis oriunda relicto ſolo patrio in hanc terram migravere, quod tum Hungarorum chronicis, tum ex ejus gentis ſenum relatu animadvertimus, qui quaſi per manus, a majoribus ſuis accipientes, ejusce rei memoriam ad noſtram usque ætatem ſervivere, nam regnante Geycha Rege, dein divo Stephano, variæ nationes: Bohemi, Poloni, Græci, Armeni, Beſſi, Saxones, Thuringi, Renenſes, Cumani, Latini, & aliæ plures in Hungariam advenere, ibidemque cum Hungaris diutius concordibus animis degentes, facile ab eis, & in matrimonia ſua, & in conſortium nobilitatis aſſumpti fuere. At ſeniores indigenæ, de eorum in hac provincia origine verius memorant. Ii olim, inquiunt, quodam tempore inſurgentes contra principes ſuos, & nonnullos etiam occidentes, in patria permanere non ſunt auſi, & alii alio ſe ſe tranſtulerunt, pars in Pannoniam advenere, Rex, qui eo temporis regnabat, licet in Germanos malo eſſet animo, propter aſſidua bella, quæ inferebant Hungaris, tamen miſertus profugum exilii, utque regnum colonis repleretur, quod variæ hoſtiles nationes pervaſtaverant, non abjecit, ſed in Tranſylvania illis, tanquam in abdito loca anguſtiora, incultiora, aſperioraque tribuit inhabitanda, eosque regum colonos, qui & Jobagyiones apud Hungaros appellantur, voluit eſſe. Ii in hanc usque diem vultus, mores, linguam retinent patriam, ſunt admodum induſtrii, laborioſi, politiæ, mercaturæ, omnibusque artibus mechanicis potiſſimum dediti. Rapina, aut furtum nec nominatur inter eos, cibis magis neceſſariis quam exquiſi-

quiſitis veſcuntur. Rei domeſticæ aliæque ſuppelle-ctili angendæ impenſius, quam ulla alia in ea provincia natio, intenti, alienique minime appetentes, contenti ſuo, adeoque ſtruendorum ædificiorum, agrorum colendorum, & vinearum plantandarum ſtudioſi, ut ea parte Tranſylvaniæ, quam Saxones incolunt, nulla ferme ſit hodie, neque pulchrior, neque fæcundior, quod ſucceſſivis temporibus Reges videntes, eos privatis legibus, ac juribus municipalibus donavere, muroque civitates circumdare permiſere. Ultra ordinarios cenſus, pecunia ipſis, quantam, & quoties Reges volunt, imperatur, neque ægre, aut contumaciter, eam perſolvunt, ſed militia a majoribus, puto ob libertatem domi amiſſam, degeneravere, pedeſtres exercent arma, intra muros fortiſſimi, in campo facile cedunt, quo fit, ut libentius Regiam expeditionem, ſtipendiis, quam milite adjuvent, ceterum mulieres ipſorum inſtitorum munera æque, ac viri obeunt, & cum maritis in augenda re egregie certant, contra Hungarorum inſtitutum, maturas jam viro virgines in matrimonium locant, XX annnorum impuberes.

Hungari, penes quos totius Tranſylvaniæ præcipua eſt nobilitas, ab Hunnis deſcendunt, ſed non mediocri poſt temporum, ut ferunt, intervallo, Siculos ſequuti, iis, & mores, & veſtitus, & jura, & lingua cum ceteris Pannoniæ Hungaris eadem, niſi, quod & ipſi ſua quædam propria habeant, quam diverſitatem non ſolum in regnis, ac provinciis, verum etiam in civitatibus, atque adeo ſingulis etiam familiis videmus eſſe. Terram optime colunt, urbes non inhabitant, ſed pagatim arces ac domos, quibus res eſt amplior, & ſi non eminentes, laxas tamen, & non indecoras lapide alii ædificant, alii

ma-

materia lignea conſtruunt, vivunt politice, moribus cultioribus ſtudent, veſcuntur opipare, & condimentis indulgent, æque ac Pannonii, venationibus, aucupiisque peculiariter ſe ſe exercent, veſtiunturr eleganter, & ſumma cura, ſed raro ſerico, variis tamen coloribus delectantur, nigro nunquam, niſi quum lugent, negligentius & pedes calceant, & caput tegunt. Gens eſt in armis fortiſſima, terroris ignara, patriæ conſervandæ diligens, ad movendum bellum, & prælium ineundum non nihil tardior, plusque præſtat in receſſu, quam fronte promittat, adeo: ut ſæpe motum bellum, ac initum prælium, tanquam laceſſita, niſi poſt aut ſui, aut hoſtium ingentem cædem, neſcit deſinere, quod in Aloyſij Gritti occaſione plane declararunt. Nam & priusquam de cæde ejus decreverant, hortati ſunt, ut pacifice regno decederet, ſaltem, ut, quæ in multorum procerum interitum animo conceperat, condonata & morte Chybachy, viri certe ſtrenui, & magni, exequi ne poſſet, verum, quum nihil patientia efficerent, ferro confecere, etiam nolente Principe.

Ad nobilitatem aquirendam nulla ars, nullum ſtudium peculiarius, quam militare, ac res literaria, hoſtem equo haſta dejicere ſumma laus, bella equeſtres obeunt, olim omnes cataphracti, nunc omnes velites, leviter armati, eam conſuetudinem a Turcis illos accepiſſe, nulli dubium eſt Nam tempore Mathiæ Regis cataphractorum uſus maxime, cum maxima laude, ac victoriis eximiis florebat, ſub Ladislao, ac Ludovico hujus filio paulatim cæpere negligi, poſt vero cladem Mohacſienſem etiam exauthorati ſunt, ac penitus una diſciplina militari intermiſſi, ſucceſſereque, quos vernaculo ſermone Huſſa-

rones

rones appellant, puto facilitate militandi, equorumque Turcalium agilitate illecti, vel potius, quod ex bellorum licentia omnibus mortalibus uſuvenire ſolet, ut victi in victorum mores abiere.

Arma illis caſſis calybea, lorica hamata, gladius Turcicus, Zablam dicunt, in ſiniſtra clypeus, qui totam thoracem, & caput tegat, in dextera chyrotheca ferrea & lancea cum flameolo quodam ſericeo ſub cuſpide appoſito, equi varii, ſed Turcici præcipui, quos ſummo diſcrimini ſervant, quod & velociores ſunt, & agiliores ceteris, quique in utramque manum verſatiles eſſe, & procurrendi, ac recurrendi, non ultra certos numeros, edocentur.

Ceterum, quum hæ nationes tam diverſæ terram eandem incolant, tanta concordia, & animorum conſenſu inter ſe ſe ſint, ut mirum nihil magis, & ſi interdum tumultuari contigerit, quod etiam inter fratres ſolet evenire, mox externo emergente hoſte in mutuam gratiam redeunt, ſeque & ſua mira dexteritate, & arte tutari, quod vel his tot Hungarorum cladibus, Regumque mutationibus licuit cognoſcere, ſemper enim hactenus incolnlumem patriam a ferro, & flamma ſervavere. Omnes autem per ſe in ſeptem ſedes diſtinguuntur. Siculorum hæ ſunt: Udvarhely, & Kereſztur, Chik, & Gyurgjo, Maros, Kisdi, Sepſi, Orbai, Aranyos. Saxonum: Száſzváros, Sebeſſ, Zerdahely, Zeben, Olthan, Syngh, Kisdi. Hungari comitatus vocant: Albenſem, Küküllöen. Colos, Doboka, Zolnok, Thorda, & Hunyad, quibus ſingulis apud Siculos & Hungaros comites, viri, qui & jura callent, & magiſtratibus obeundis ſufficiunt, præficiuntur; apud Saxones judices Regii, unde ſervato in hunc modum ordine, ſive ad bellum expeditio ſit, ſive Regii cen-

ſus exigantur, aut quid tale in communi agendum ſit, citra omne negotium, & parvo tempore quæ volunt, perficiunt, atque arbitror hanc ſeptem ſedium cujusque ejus diſtinctionem a ſeptem caſtris, vetuſto Tranſylvanorum nomine, proveniſſe, nam ut chronici Hungarorum tradunt, exeuntibus Hunnis magno cum cætu hominum e Scythia, intrantibusque in provinciam, quæ nunc Erdewl, vocatur in ſeptem exercitus ſe ſe diviſere, quorum unusquisque ex 30 millibus armatorum & 857 conſtabat, datique ſunt ſingulis ſinguli duces, & aſſignata totidem loca, in quibus erectis terreis caſtellis uxores, & liberos conſervarent, donec in Pannoniam proficiſcerentur, hallucinantur itaque illi, qui ſolos Saxones lingua eorum Sibenburgenſes dici volunt a ſeptem civitatibus: Colosvario, Cibinio, & aliis, quas ipſi ædificarunt, & auxerunt, ſed etiam omnes Tranſylvani hoc nomine appellari debent, ab illis ſeptem Hunnorum terreis caſtellis, quæ ubi fuerant caſtrametati, erexerant. Sed ne exiguum opus in magnum caput excreſcat, hujus provinciæ is ſtatus, hæc conditio eſt, ut Transalpinam, & Moldaviam tam Turcæ, quam Tartari omni ex parte ita urgent, ac premunt, ut etiam Tranſylvania de pilo pendeat.

XIV.

Caſtigationes Ant. Verantii in Jovium Fragmentum.

Habeant, filius eius non periclitetur. Meminiſſet, parentis erga ſe beneficiorum, foreque ſorte fortuna, ut eo conſervato, ipſi quoque periculo exi-

eximantur. Sed hæc Legatio aditus difficultate non eſt perlata ad proceres. Erat autem Reginæ ſententia, priusquam Buda exiſſet, ut diſſimulata filii ægritudine, eotum non mitteretur ad Cæſarem. Proceres, poſtquam una periclitari libuiſſet, adirent eum cum muneribus, ibique excuſato puero, cetera quoque omnia, quæ e re communi fore iudicaſſent, decernerent. Si illis commode ſucceſſiſſent, ac perſpexiſſent, non eſſe metuendum a Cæſare, de quibus in dubium venerant, ſe poſt eos filium quoque dimiſſuram pollicita, ſin incurriſſent ipſi quodpiam infortunium, incolumitati pueri, in quo reſtaret adhuc patriæ ſalutis aliqua ſpecies, non ægre paterentur conſultum iri, quum patriæ charitate, et pro ſalute Principum ſuſtinere aliquid, ſemper apud mortales glorioſum eſſe conſuevit. At illi, in re ad deliberandum tam difficili, neſcientes prorſus conſilium capere, ſeque in tanto æſtu periculi dum diutius torquent, iamque et convitio pene ad reſpondendum per aſſiduos internuntios coguntur, nunciatum, eos cum Cæſare tam leviter agere non debere, impudentiæ, & temeritatis maximæ eſſe, ſi exiſtiment, Cæſarem ex ipſorum deliberatione, his præſertim de rebus, quæ ipſius iuris eſſent, vel tantillum pendere opportere, quippe quem & Deus, & fortuna ad maiora Auſpicia avocarent, quam quæ ab eis magna cum indignitate ſua poſtulare voluerit, quum eripere potuiſſet. Magis itaque ex hac inſolentia conſternati, & prope hauſti metu ita ſunt, ut eos verba quoque deficere viderentur, illud ſolum trepidi, ac tumultuarie deliberant, ne prorſus Budæ hoſti faciant poteſtatem, quacunque ratione, ſive caſu eſſet peritura, & potius quiquè mortem oppetere non recuſent, quam id impietatis in pa-

triam committere velint. Plus Patriæ, quam vitæ tribuendum, ſimulque Paſſis nunciant, paratos ſe eſſe ad reſpondendum, ingreſſique in Tabernaculum, in hunc modum loquuti ſunt. Conſtare orbi universo, Joannem Regem, quamdiu vita comite uſus eſt, inviciſſimi Cæſaris Solymani, quo authore ad Regnum redierat, perpetuo beneficiorum meminiſſe, proque amicitia, & fœderum religione fidem ei firmam ſervaviſſe, nec ullis unquam argumentis defuiſſe, quibus ex tam laceris etiam, & diſtractis regni opibus potuerit, ut gratitudinem in illum declaret. Cuius inſtituti perſeverantiam, ut extremis quoque officiis teſtaretur, nequaquam extitiſſe ſimulatam, moriens, & uxoris viduitatem, & filii orbitatem, nullis omnino nec amicitiis, nec affinitatibus paternis ſubnixi, ſoli Cæſari tutorio iure ex teſtamento tradidit, & commendavit. Nobis, qui eum proſperis ſimul, & adverſis rebus iuxta coluimus, atque ſequuti ſumus, illique, cognita naturæ, ac morum ejus clementia, & lenitate Dominationis, aſſidui ad perdurandum in ſocietate Cæſaris, quod alioqui ultro ſemper faciebat, fuimus ſuaſores, quam quidem rem ipſum invictum Cæſarem experientia effectum cognoviſſe non dubitamus, vos vero Paſſæ inclyti & fateri, & teſtes eſſe poteritis, quibus authoribus geſſimus omnia. Proinde idem Joannes præcepit nobis, ut nos quoque vota, ac ſtudia noſtra ad ipſum Cæſarem deferremus, filium ejus ita educandum, atque inſtituendum curaremus, ut in omnium illorum, quæ a Cæſare puer acceperat, non ſcientia modo, ſed etiam ſtudiis adoleſceret, & demum virilem quoque maturitatem aſſequutus, parentis loco haberet, & coleret, neque ſive fortunam, ſive ſtatum ſuum, ſi a paternis hoſtibus in-

infeſtaretur, cujuspiam alterius ope, amicitia, conſilio, ductuque, ac viribus ſuſtentaret, quam ſolius Cæſaris Solymani. Ad hæc ipſe etiam Cæſar, accepta Joannis ultima voluntate, & collaudatis omnibus, quæ decedens perfecerat, quemadmodum partim ex hoc inſigni viro Collega noſtro Stephano Verbucio, tunc his de rebus Oratore, partim ex ipſiusmet Nuncii, literis cognovimus, eadem ratione & uxorem, & filium Joannis una cum populo gubernandos, conſervandosque nobis commiſerat. Illa potiſſimum imperans, ſi ſalvi eſſe vellemus, eſſemusque quum propria, tum libertate vetere gaviſuri, ne imprimis ei, deinde matri, ac filio fide defuiſſemus, populos vero, qui noſtrarum erant partium, puerique fortunam ſequerentur, ita contineremus in officio, ut ad rebellionem non tumultuarentur, neque nos ipſi cum Germanis quicquam commercii, aut communionis haberemus. Quæ omnia & vivente, & extincto Joanne, quanta voluntate, fide, conſtantia, ſedulitate, pertinaciaque præſtiterimus, propter quod nunc & omnibus Chriſtianis capitaliter inviſi, ac veſtro nomine per ignominiam Turcæ appellati, vel hoc ſolo tempore, ne ſingula enumeremus, potuit Cæſar meridiana luce clarius diſpicere. Annum enim obſidionem pertulimus, occiſi ex nobis multi ſunt, vulnera pene cuncti accepimus, hoſtes bis in muros, pluribus ſimul locis cum vexillis transgreſſos, & vexillarios ſpectata virtute confecimus, & ereptis ſignis quamplurimis, reliquam turbam, non ſine miſerabili omnium caſu, præcipites deturbavimus. Eosdem proditione quorundam ſceleratorum Civium in ipſa Urbis viſcera noctu illapſos, fortiter eiecimus. Proditores, quos in poteſtate habere potuimus, digno cruciatu,

ac nece affecimus. Reliquorum opes direptæ, agri occupati, ipſi in perpetuum exilium acti, propoſita etiam publico Edicto præmia, qui aut captos adducerent, aut e vivis ferro ſuſtuliſſent. Jam in hoſtium globos pro moenibus inſultantium, quoties erupimus, & cum eis conſertis manibus, quantos non cecidimus, fudimus, captivos fecimus? clara in Urbe exſtant teſtimonia, equi, loricæ, galeæ, clipei, enſes, & carceres Germanorum pleni, foris late fuſa cadavera, & cruore ſtagnantes agri, cœlum denique infectum fætore peſtilenti. Commemorentur & murorum ruinæ, quorum magna pars hic illic horrore tormentorum incredibili ſolo æquata, ita urbem operuerant, nudarantque, ut nihil ad ingrediendum hoſti patentius eſſe potuiſſet. Ubi quum & materia ad obſtruendum eos hyatus omnis jam defuerat, noſtris quidem pectoribus vallum obiecimus, omnique prorſus alia ratione reſiſtendi deſperata fiducia, continenter in mortem dimicavimus, hoſtibus ſummotis ſemper, cæſis quam ſæpiſſime. Et ne hoc uno afflictaremur periculo, quod tantum nosmetipſos ſibi videbatur vendicare, uxorum, & liberorum cura vulnerabat. Qui enim ex magnitudine, & frequentia ictuum tormentorum, quibus nec dies, nec nox ceſſationem fecerat, faſtigiaque domorum petebantur, tegulis, tignis, lapidibus, & reliquæ ruinæ fragmentis domi obruebantur. Plures & ex nobis, qui armati per vicos in hoſtem ad muros ruebamus eo caſu deſiderati, adeo nusquam licebat tutis eſſe. Auctæ poſtea hoſtium copiæ, militeque totius tum Urbis, tum Arcis radices quaquaverſus inſeſſæ, & ſub ipſis mœnibus actæ foſſæ, quibus abdebantur, quemadmodum vosmet vidiſtis, ne quid ſuperne paterentur,

tur, hoſtile, ita fuimus incluſi, ut & Danubii aditu, & importandæ materiæ, commeatuumque comparandorum facultate prohiberemur. Quæ tria extremas prope nobis attulere difficultates. Paſſi tandem omnia graviora, & maiora, quam credi poſſint incommoda, ut vilitatem, & inſueta hominibus genera cibariorum, exhauſtis commeatibus, præterea, quibus veſci cogebamur, varia quoque pollicitatione ſollicitati, ut Urbem dederemus. Quæ quidem res quamquam in ultimis rebus homines conſtitutos facile multa, quæ nec ipſi antea probavere, perpetrare adducat, idque omnino non ſine juſta, atque honeſta excuſatione, ubi pro humanis viribus ſat & virtuti, & fidei datum eſt, tamen tantum abeſt, ut his vel malis, ducti deſperatione, a recto dimoveremur, vel promiſſis, quantumvis maximis, ad defectionem ſeduceremur, ut etiam magis ambobus his velut gloriæ calcaribus ad firmiorem conſtantiam, & fortiorem tolerantiam irritaremur, quum ſolam fiduciam, Cæſaris auxiliorum, haberemus præ oculis, qui ſæpe iam & Regem, & gentem noſtram per hæc tempora, magna cum laude ſua, eripuit Germanis, nosque etiam ipſos ea ſpe eſſe voluit, ut eum contra omnes adverſarios noſtros certum vindicem haberemus. Hoc beneficium, hanc munificentiam, & ſingularem Cæſaris pietatem, quanti ſemper fecerimus, vel ipſi vos, quod oramus, teſtificari non aſpernamini, & in memoriam revocate, quam crebris nunciis & vos, & Cæſarem de his omnibus, quæ patiebamur ab hoſtibus, quæque aut poſſemus, aut non poſſemus ſuſtinere, fecerimus certiores. Cavimus alioqui omni cura, omni conſilio, quamdiu conatus noſtros ſpirare ſenſimus, ne illi oneroſi, atque moleſti eſſemus, ſuppetias

Digitized by Google

poſtulando, quem ſciebamus hoc anno difficulter expeditionem poſſe in Hungariam ſuſcipere propter tumultus Perſicos. Verum ſimul ac ad extrema virium noſtrarum ventum eſt, vimque hoſtium adaugeri conſpeximus, non ad alium pro ope accurrimus, quam ad Inclytum Cæſarem, eumque quamvis moleſtia gravi affecimus, intempeſtivo anni tempore in arma commoventes, tamen pro illa ſubiectione, ac fide, qua ei adhæremus, graviſſime læſum a nobis exiſtimaſſemus, ſi illi ſuos, ac ſua defendenda non deſerremus. Sic igitur a nobis evocatus, quum venit, vicit, cæſisque, & diſſipatis hoſtibus late & ſua, & ſuos liberavit, plurimum ei, & ultra omnium hominum fidem gratulamur, proque tanto beneficio eas gratias agimus, quæ quam maximæ a fidelibus ſubditis agi debeant, precantes a Deo optimo maximoque reliquorum etiam ſucceſſuum omnia pro voto fauſta, atque felicia. Creſcebat in hanc formam Proceribus Oratio, & pergentibus innocentiam ſuam purgare conſtantiæ, fideique rationes redere, viduæ, pupillique commiſerationem ciere, ſecuriore quodam ſpiritu adniti; porro, & quid inquiunt, aut ii infelices orphani tum a Deo, tum ab hominibus atroci plaga vulnerati? quid ipſi nos, malis extremis omnibus circumventi, commeruimus, ut ea Urbe, quam in ſpem certiſſimæ poſſeſſionis toties ab Invicto Cæſare nova donatione & Joanni Regi, & huic eius nato confirmatam acceperamus, nuncque etiam noſtris capitibus, noſtro ſanguine defenſam, atque retentam, exigeremur? quid chriſtiani Principes, quibus cum Cæſari intercedunt fœdera, colitur amicitia, tenetur ſocietas, & conſuetudo, cogitabunt? ubi fama emanabit, nos ſub fide & nunc tam firmiter, & antea tam frequenter

data,

data, ſub tot demum juramentorum ſacramentis, literarum teſtimoniis, & quod etiam dictu durum eſt, a Tutore violatos, dicturi ſint? ſcire ſane, & conſiderare vos celeberrimi Paſſæ non ambigimus. Neque ob id prolixius de his loquemur, operæ tamen pretium eſſet, ſi Cæſar, hac in Urbe nobis extorquenda, cupiditatem ſuam orbi non declararet, a qua hactenus ſemper eſt habitus alienus. Ubi vero eam jacturam Tranſylvana Provincia & Hungariæ parte transtibiſcana penſaturum dicitis, agimus gratias immortales, nec enim parum eſſe debet, de re tota naufragium paſſis, ſi vel in ſola trabe altum enatarint, ſed quid hæc, quæſumus, ad tuendam tum Reginæ, tum Regiæ ſtirpis exiſtimationem? quos utique ſalvos Cæſar, & Regio cultu, atque ſplendore vult haberi? quid ad poteſtatem, populos, vetere jam & ſua, & maiorum virtute, ac nobilitate præferoces in officio continendi? quos jubet a tumultibus, & novarum rerum ſtudiis prohiberi, quosque hactenus etiam, ſi verbis noſtris fides adhibetur, nulla vis, nulla arma, nullum Imperium, ne Joannis quidem lenitas, & mille ingenia, quibus, ut in otio ſine iniuria cujuspiam regnare poſſet, vſus eſt, continuere a tumultibus. Solius quidem Budæ incolumitati hanc vim, hanc neceſſitatem referunt, non dubitantes, capite ſtante, membra quoque ſibi conſtatura. Meminiſtis præterea, quod Joanni olim cum Cæſare de poſſidenda Urbe hac conuenerat, quam ſæpe alias nihilo minore ſtudio, jure autem multo meliore repetiit, quando adhuc Joanni Regi non donata erat, ſed commodato data, quave ſpe idem Joannes gentem ſuam toto tempore ſui regiminis de ſtatu ipſius Budæ ductarit, omnia firma, lætaque pollicens. Sciebat enim haud dubie,

adem

adempta regno Buda, Majeſtatem quoque ejus ſublatam, deiectum decus, deformatam ſpeciem, nomen diſtractum, honorem, & exiſtimationem proculcatam. Leges, Jura, Sacra omnia ſceleri, ac licentiæ omnium expoſita, & ſuam demum tenuem, infirmam, atque informem fore Dominationem. Quæ nunc, niſi Cæſar mutarit ſententiam, haud multum abeſſe cernimus. Primum enim amiſſa Clementiæ, fideique Cæſaris fiducia, Primores diffiſi rebus, quique ſua ſibi inſtituent ſtudia, alii aliis fidem non habentes, ad ſeditiones inteſtinas conferent animos, ad Germanos ab hoc puero meditabuntur transfugia, nobilitatem, plebemque quisque potentior, atque audacior in ſuam temeritatem arceſſet, adhærere nolentes, divexabit miſeris modis, ac diripiet, ſequentes ſervitute utique premet, ad mille latrocinia impellet, atque inſtigabit. Quod reliquum erit, ſummam inſaniæ in Joannis filium, & in nos exercebunt, tanquam ab hoc, & a nobis Buda vobis tradita, ferrum quoque, ac faces, ad evertendam prorſus patriam eorum, nos iræ, atque furori veſtro attuliſſemus. Etenim hunc ipſum infelicem natum contemnent, rejicient, perſequentur, tolli procurabunt. Nos inviſi illis, inviſi cunctis gentibus, & abominabiles, proditores Budæ, everſores Regni, Principum ac nobilitatis parricidæ nuncupabimur, prohibebimur cœlo, terra, igni, aquis, negato etiam hominum commercio, in vaſtitate ſalitudinum erit exulandum, qui nusquam gentium tuti eſſe poterimus, illeque felix homo cenſebitur, qui nobis iniuriam afferet, qui vero mortem, feliciſſimus. Ceterum & extinctis Deum ultorem imprecabuntur, ne poſteris quidem noſtris parcentes, ac toti generi. Nihilo in vos, ac fines veſtros erunt mitiores,

illud-

illudque fiet, ut in hoc regno difficiliorem fortunam Cæſari efficiant, ubi in hunc modum ſoluti fræno ſocietatis eius, ac fœderis, ſibique alia rerum ſuarum ratione, ac ſpe propoſita, vires, arma, animos ad Ferdinandum conferent, & Hungariæ demum corpore in integra ſtudiorum, ac voluntatis membra reſtituto, eidem reddent & ſpiritum. Qua quidem opportunitate nihil unquam ei Regi eveniret deſideratius, gratius, lætius. Hortati ſub hæc & Paſſas paucis, ut his omnibus conſideratis, diſuadeant Cæſari, ne id voluntatis perficiat in immeritos. Budæ caſum perinde, ac tacto ulcere, magis iras genti ad ultionem excitaturum, quam quicquid hactenus amiſerint, aut ſi quod reliquum fortuna fecit, amittere deberent. Equidem nos ex fide, qua ſumus Cæſari obnoxii, malumus vera dicere, dum utilia, quam blandis, & placentibus verbis utentes, damni, ac periculorum non admonere. Mehemetti Belgradenſis Sangziacchi conſilia calumnias eſſe in Hungaros. Diu iam ſeſe noviſſe eius in perniciem noſtri nominis transverſos animos. Sæpe multorum Principum magnas bene gerendarum expeditionum opportunitates impeditas, audito furore unius impotentis ambitioſi, ſive invidi, idque facile Cæſari quoque poterit evenire, quod Deus avertat maximus, ſi a ſolita clementia, alienum ingenium ſequutus, receſſerit. Evagati latius Proceres, et plura adjicere volentes, nulla interim mentione facta de reſtitutione Budæ, quam ſe exiſtimabant Paſſæ in peroratione audituros, qua etiam vel unica cauſa verboſiorem eam orationem tamdiu, ſolitoque patientius pertulerant, non paſſi eos longius dicere, primum, quod in has reprehenſiones quasdam, & conſilia minime opportuna, & ad id temporis facien-

cien-

cientia inciderant, deinde quod Turcæ in orationibus, ac ſententiis ſuis oppido breves, & expediti conſueverunt eſſe, omnique procul tum artis, tum eloquii habito lenocinio, nudam, & ſuccinctam rem, æque ab ſuis, atque ab exteris requirunt. Ideo hic juſſere deſinere, multa inſuper per convitium intemperanter loquuti, eos jam ea fortuna, eo loci non eſſe, ut ſeu improbent Cæſaris voluntatem, ſeu commutent conſilium, tantum abeſt, ut decretum turbent. Mehemettum autem virum bellicoſum, ſi Cæſari fidelem, illis nulla injuria obnoxium, nullum nec apud ſe, nec apud Cæſarem facere negotium. Dictum jam ſatis, quid ipſi deliquerint, quid Cæſar vereaatur, quid idem eos velit. Ne igitur tergiverſentur, finem mendaciorum adveniſſe, verborum vanitate, atque involucris non agerent, curarent placandum Cæſarem, vim non operirentur, parerent moniti, ſi vitam velint, cervices jam ſub enſe habere, & iſthic ingrata auditu Cæſari, ſibi necquaquam profutura, haud pergant ultra dicere, Budam Cæſarem velle. Viſa Paſſarum obſtinatione magis, ac magis indurata, & re, illatis jam injuriis, ad vim inclinari, novus terror ſuper veterem, & quidem exitii certior omnes inceſſit. Memores tamen magis futuræ famæ, quam præſentis periculi, cui jam ſe ſe nequibant eripere, quid amplius, inquiunt, nobis expectandum, poſtquam exoramus reſtat nihil, quam ut ultima adeamus. Sive enim dicemus, Budam nos daturos, ſive non, utraque via occurrit pernicies, ſiquidem honoris altera, altera ſalutis jacturam faciemus. Et ſi omnino neutram committemus, Buda nihilominus periclitabitur, conſilium Turca non mutante, quum nos ipſi, quantum reſiſtere poſſit, non ignoremus, præſertim noſtrum neminem in ea exiſten-

ſtente. Igitur incedentes inter utrumque vitabundi, rati, hoc unicum eſſe tum notæ, tum periculi effugium, dicunt, optimates in Regno & Nobilitate, & authoritate, & dignitate eminentiores ſe, longeque plures eſſe, quam ipſi eſſent. Budam non tantum in eorum poteſtate conſtitutam, ea de re paucos deliberare non audere, non fas eſſe, flagitium, & Capitale haberi, ad jus id publicum, & ad omnes nobilitatis Ordines pertinere. Orant poſtremo ſupplices, ne ab eis, qui ceterorum erant pauciſſimi, nullaque fungerentur privata Dominatione, tanta res exigeretur. Daret illis Invictiſſimus Cæſar habendorum Comitiorum facultatem, polliceri ſe, eam in his operam votis eius navaturos, ita omnium animos erga illum conciliaturos, ut longe maiora de Hungaris eſſet ſperaturus, quam ſi ſic per iniuriam accerſos, vi ſibi vendicare conaretur. His multo ardentius ſuccenſi Paſſæ, reſponderunt, eos nunc demum pravitatem animorum ſuorum plane declarare, Cæſarem ferro ſuo non Budam modo, ſed Hungariam etiam totam acquiſiviſſe. Ceterum nemini aut nobilium, aut primorum Pannoniæ Gentis Budam tradidiſſe, niſi ſoli Joanni, atque illis, Joanneque ipſo vita functo, ab eis eandem, quam utique ipſi ſuis auſpiciis contra Germanos tenuerant, repetere, atque habere, velint, nolint, decreviſſe. Id eloquuti, cum indignatione, abiere ad Cæſarem, Procerum voluntatem relaturi. Ibi haud magno temporis ſpatio commorati, exeunt a Cæſare, & in aliam partem ejus tentorii ſecedentes, Nicolaum Turcovium Budenſium Judicem, hic enim in ea Urbe, ut in plerisque eius Regni aliis, cum centumviris, quos more maiorum probos vocant, ſummus eſt Magiſtratus, celerrime ad ſe accerſunt. Cui mox in-

ingreſſo, talari toga aurei panni iniecta, Cæſaris voluntatem exponunt, ac ſimul præcipiunt, mature ut ad Cives ſuos proficiſcatur, & Budam ſine mora Cæſari tradendam curet. Deſignatos iam eſſe milites, & ſecum ituros, qui eam recipiant. Ingentes ignis, ferri, vaſtitatisque omnigenæ adjectæ minæ, ſi vsquam aut in Portis, aut in ipſa Civitate vi illis reſiſterent. Armis, manibusque omnino temperarent. Et ſi hac in parte Cæſaris imperata facere prætererint, ne uxoribus quoque ac liberis eorum parſuros. Hoc momenti conſiderata plebei Judicis conditione, quamvis alioqui viri probi, cordati, in Aula verſati, & literarum non ignari, ratique ob id parum authoritatis habiturum, apud milites, qui diverſa Urbis loca præſidio tuebantur, caſtrenſi iure, atque audacia Civibus etiam ſuperiores, jubent adeſſe & Petrum Marcum, hominem nobilem, ſed militaribus ſtudiis ad primorum Ordinem provectum, Judicique Turcovio hiisdem cum mandatis, minisque comitem jungunt. Eodemque ſtatim advocant & Aggam unum, qui paratus ad imperium in veſtibulo aſtabat tentorii, ſic enim Janizarorum Duces appellabantur, illique ſolo nutu facta ſignificatione abeundi, tum demum perſpexere dolum, & longe antea fuiſſe transactum de forma Budæ intercipiendæ, quam cum Proceribus agi cæptum eſſet. At Agga cognito ſtatim, quid facto opus erat, Judicem & Petrum Marcum cum cohortibus aſſequutus, ad Urbem usque, quæ a Caſtris ferme II. millibus paſſuum diſtabat, ita in terga hæſit, ut veſtigio veſtigium urgeret, atque una, nullo cujuspiam ex Urbe conſulto, aut facultate ingrediendi poſtulata, Portam, cui Sabbatinæ nomen eſt, irruperit. Hos alia, atque alia continenter agmina

ſub-

Digitized by Google

ſubſequuta, acieque eodem loci inſtructa, ſecuri eam Urbis partem tenuere, donec majore numero ſociorum augerentur. Juvere hanc opportunitatem, animosque iis addidere Equites, quibus erat imperatum, ut ſolito plures ea die ſedato gradu, alii fori ſpecie, alii vero aliis de cauſis, qua per hanc, qua per illam, atque illam portam Urbem intrarent. Juſſi inſuper, ut nonnulli aggrederentur per intervalla, quo & ſuſpicio doli demeretur, & ea occupatione ultro, citroque commeantium omnes Portæ opportunitati meditati facinoris ſervarentur. Budæ autem Portæ tres ſunt. Joannis, Judæa, Sabbatina. Prima in Ortu eſt ad Danubium, ſecunda verſus Promotoria Vinearum in Occiduo. Tertiam habet Septentrio, & in Auſtriam tuetur. Eas quamquam occluſas, & cuſtoditas habuerint, Turcas tamen arcere ab ingreſſu non ſunt auſi, propter Procerum, & filii Regis periculum, quum alioqui aliis quoque temporibus ſocietatis, atque amicitiæ lædendæ metu nunquam, ne illis quidem, quibus Joannes vixit fuere Urbe prohibiti, adeo prorſus omnes diffidentiæ ſuſpiciones evitandas curatum. Sine itaque magno negotio equitum quoque ſatis multi, & neque intellecti, illapſi in urbem, pars circa portam Sabbatinam ex compoſito oberrabant, ut Janizaris advenientibus, urbanam cuſtodiam, facto impetu, ſi animum reſiſtendi præſetuliſſet, ſummoverent, & portis reſeratis, aditum patefacerent. Sed fortuna ſponte ſua nefario ſceleri ſuffragata, facili, atque fauſto eventu ipſa perfecit fraudem, & Solymano Budam dedit. Effuſi mox per omnes vicos pari furore Janizari, atque equites, clamitatum imprimis late, ne quis ferrum ſtringeret, neve vim, aut contumaciam me-

meditaretur, ſive ſit ille miles, ſive ſit civis, iique domos ſuas, illi hoſpitia peterent, atque omnes ſe ſe limine ſine metu continerent, Cæſaris Solymani & urbem, & regnum eſſe. Omnes demum, qui ejus dominium ultro ſuſcepturi eſſent, gratiam vitæ, libertatis, rerumque omnium habituros, quæ omnia multiplici metu, quoniam nimia multitudo confluxerat, Turcoque erant plena omnia, ab univerſis mature exequuta, eoque etiam maturius, quum uxoribus, ac liberis erat proſpiciendum, & res familiares abdendæ. In diſcurſu mortalium nemo interfectus, vapularunt aliqui, aliqui in tumultu protriti, mox nemo chriſtianorum viſus in publico, de feneſtris cum ejulatu cladem ſuam proſpectabant. A Sabbatina porta ſedulo ad reliquas, quæ propius arcem erant, procurſum, hisque magno præſidio inſeſſis, ſingulorum quoque civium domibus appoſita obſidio, procerum omnes dedita opera occupatæ, & direptæ, facileque ea re creditum, quicquid de eorum incolumitate timebatur. Cives a limine tantum cuſtoditi, nec in fortunas cujuspiam ſævium, poſtrema cura ſtationum in muris habita eſt. Regina interim arce diligentius obfirmata, auctis cuſtodiis, filium deplorat, mille veretur pericula, nec quicquam expectat mitius, quam ut ipſa quoque ſimile aliquid ceterorum fortunæ experiatur. Hæc dum in urbe ſic gererentur a prætorianis, dies jam a meridie longius proceſſerat, nunciatur Cæſari, jugum Budæ impoſitum, firmatam ejus præſidiis, nihil in ea non domitum, non pacatum eſſe, metu ipſius cuncta teneri, ſolam reſtare arcem, eique parſum Reginæ gratia. Ceterum de ea quoque quid fieri velit, imperium expectare: lætus hoc Cæſar nuncio, extemplo ad ſe

afferri

Digitized by Google

afferri puerum jubet, ut illi dato commeatu, matri reſtituat, ſed antequam remitteretur, quid ſecum eorum actum ſit, non puto ſubtrahendum eſſe memoriæ. Mehemettus Prætor Belgradenſis, de quo etiam alibi memoravimus, mira ſollicitudine atque ſolertia Hungariam urgebat in caſum, eamque ut aliquando ſuo impulſu in præceps actam videre potuiſſet, nihil non ſive fraudis, ſive flagitii, ſed ne perfidiæ quidem committere audebat, & quum ad militarem laudem, qua erat ſui temporis prima, callidiſſimi quoque, peritiſſimique veteratoris ante omnes, qui & tunc, & olim præerant finibus, opinione, famaque vigebat, idque vel eo maxime, quod illi omnia, quæ ad illud usque tempus his artibus appetierat, feliciſſime provenerant, præſertim in criminando Joannem Regem, ac ſubditos ejus occultis delationibus apud Cæſarem, quibus adeo validis, atque aſſiduis ipſum eſt inſectatus, ut de abroganda illius amicitia ſæpe tyrannus cogitarit, filii quoque ſucceſſionem pervertere, atque impedire tentavit. Ultimum hoc illi invidiæ irritamentum reſtabat, ſupereſſe ſcilicet adhuc genus, quod in Hungaria eſſet regnaturum, ſibique ſeni jam, & homini melioribus annis perfuncto, tardum eſſe, ad ſpem tam longinguæ victoriæ anhelare, atque hæc fallacia, quam voti ſui conſequendi principium, ſollicitudinis vero ſinem eſſe exiſtimabat, ne non poſſet illi procedere, fidesque ex plurium accuſatione major haberetur criminatori, Reginam etiam pueri matrem cum optimatibus ſuis in ejusmodi commenti reprehenſionem attrahebat. Porro Cæſari, Paſſisque perſuaſerat, prolem hanc, quæ Joannis eſſe ferebatur ſub nomine filii, non marem, ſed fœminam eſſe, etſi fortaſſe marem conſtitiſſet, non e

Joanne prognatum, ſed ſublatum alienæ matris & huic ſubdititium eſſe. Id vero impoſturæ hos ipſos, qui aderant, optimates magno artificio excogitaſſe, Cæſarique, indignum facinus, fucum feciſſe, vel ea evidentiſſima ratione, ut Joanne hoc ſtatu temporis exempto rebus humanis, non defuiſſet genti materia retinendi regni, quandoquidem non ignoraverint, Joannem olim ſæpe a Turca monitum ſpecie benevolentiæ, ut uxorem duceret, prolique ſuſcipiendæ navaret operam, ne, ſi quo caſu ſine hærede decederet, Pannoniæ res alio deciderent. Hæc autem techna eo ſpectabat Mehemetti, ut eam prolem, ſi fœminam eſſe deprehendiſſent, tanquam inhabilem vetuſto Hungarorum jure ad regni ſucceſſionem, cujus collatio in electione nobilitatis conſiſtit, Cæſar ſine ſollicitudine, dimiſſa matre cum rebus incolumi, filiæque ejusmodi dote perſoluta, (nec enim ſecus aut timeri, aut ſperari poterat a tyranno propter amicitiam, quæ illi cum patre Poloniæ Rege colebatur) proceribus libertate exutis, vel etiam privatis vita, reliquis quoque potiretur ex toto, ut victis, adeoque dicitur Cæſar iſta credidiſſe, quum alioqui ultro etiam placere debuerit occaſio, ut nemini eam cognitionem permiſerit. Igitur accepto comiter in manus puero, tamdiu fertur illi blanditus, ut infantibus ab iis fieri ſolet, qui filios habent, donec proprii tactus experimento, virilem ſtirpem eſſe cognoverit. Idque adeo caute aſſequutus eſt, dum ſecum intra manus colludit, & purpuratos ſuos alloquendo, mente, atque oculis in diverſum agit, ut ab alio tanta res, quam a Hruſtano & Nutrice non eſſet animadverſa. Erat enim hæc proba, & ſagax mulier, proque ſua ingenuitate, ſumma vigilantia alumno intendebat. Hoc

Cæ-

Digitized by Google

Cæſaris facto, quum multi admiratione ducebantur, nec facile fidem habuerant, poſtea rebus omnium in ſpem, & faciem lætiorem adductis, cognitum eſt a Hruſztano, ſic ſe rem habuiſſe, fuiſſeque omnes magno in diſcrimine, præſertim proceres, qui jam in caſſes hæſerant, ſed agnito ſexu in puero, totaque patris imagine, rejecta Mehemetti vana calumnia, ſervatus nihilominus, ſi Diis placet, felicioribus; nulla enim Turcæ perfidia, nullis mendaciis, nullis dolis, quos in chriſtianos expendunt, deteriores fiunt apud ſuos. Puer ipſius Cæſaris teſtimonio, Joannis filius declaratus, & tunc velut denuo in lucem ſuſceptus, memoria quoque parentis auguſtius excitata, quanto iniquius æmulorum invidia petitus erat, in ætate adhuc ad peccandum non idonea, tanto uberiore meruit a Solymano complecti beneficio, cœleſtium miſeratione opitulata; adepta enim libertate, ac decore Regio, regni quoque adjutus non exigua, de toto bene ſperare juſſus. Sic tandem Turca in Joannem, Joannis filium, inclytæ, & conſpicuæ, veræque Regiæ indolis puerulum, concepta firma benefactoris, ac tutoris voluntate ſpecioſa, & jam oratione domonſtrata, quaſi nova initia Ottomannæ, & Sepuſianæ ſocietati jeciſſet fundamenta, dimiſit eum ad filios, nuncians, ut paulo ante amici, ac beneficiarii Regis domus Ottomannæ, nunc jam & ſuum, & ipſorum pupillum agnoſcerent, ejusque olim ſuo exemplo curam complecterentur. Apud filios pari affectu exceptus, & cumulatus officiis, magnifice illi ſtudia, atque benevolentiam obtulere, ſeque in eo tuendo, conſervandoque paternum geſturos animum polliciti. Data deinde munera: duæ veſtes ex auro ductili pretioſæ, & gemmis onuſtus, magnique,

 atque

Digitized by Google

atque eximii operis Baltheus. Relato inde in Tentorium, afferuntur & illi, & proceribus epulæ, ſed ſeorſum utrisque, & comiter ad edendum omnes invitati. Neque enim adhuc cibum attigerant, & jam diei XXII. hora exceſſerat. Ajunt, inſigniter proceres puduiſſe præ confuſione triſtiſſimi caſus, taciteque dapes horruiſſe, pretio penſatas minime comparando, & prius ad veſcendum quam induci potuiſſent, quidam eos illiberales dicere, & ingratitudinis arguere non dubitarunt, perinde, ac ſi Cæſarianas dapes, non omnibus impartiri ſolitas, contempſiſſe viderentur. Inviti itaque epulati, exacto prandio, iidem duo apparitores, de quibus ſupra memoravimus, advenere, duos ſecum aulæ Cæſaris clara conditione viros adducentes, retulereque, Cæſarem imperare, ut proceres in caſtris maneant, eſſe adhuc, quod cum illis agatur, puer per hos ad matrem deducatur.

Abductus itaque puer, honeſta militum ſocietate comitatus, & matri hora jam noctis circiter prima ſoſpes redditus, dici non poteſt, quam inſperato, miſeræque dolor impoſterum mitigatus, reſtinctæ lachrimæ, & rerum ſpes facta certior, minime tamen ſublatus timor. Proceres in caſtris VII. dies detenti, donec conſulitur, quid de Regina, quid de filio, quid de ipſis proceribus, ac demum de tota regni re fieri debeat, variatæque omnium purpuratorum magna contentione ſententiæ, parumque ſane in omnibus præſidii, ac pietatis inveniſſemus, adeo tum ſaluti, tum libertati noſtræ ab omnibus adverſatum, niſi conſueta in Cæſare benignitas priorum operum tenorem retinuiſſet, quum enim omnium propemodum is conſenſus eſſet, ut deducto ſecum puero Conſtantinopolim, ibique ve-

te-

terum inſtituto, ut filios principum ſolent, in ſpe paterni regni curaret educandum, ſervandumque melioris fortunæ occaſionibus, quæ illi fatorum benignitate jam in ea orbis plaga ampliſſima oſtendebatur, nunc quod libens, atque ultro abtuliſſet, mature totum recipere non recuſaret. Raro bis eadem a fortuna offerri hominibus, quæ initio prætermiſſa cognoviſſet. His Cæſar a clementis ingenii conſtantia minime abduci paſſus, ſed ſolitæ integritatis, pactique memor, quod olim cum Joanne, poſtea vero cum filio quoque pepigerat, in hanc vocem, chriſtiano etiam principi uſurpandam, prorupiſſe fertur. Leniora velim purpurati, non enim principum eſt, in viduas, & in pupillos ſævire, urgere vero ad extrema, quos & Deus, & fortuna ipſa dereliquit, etiam impium, nedum inhumanum eſſe duco. Satis Budæ privatione, qua ſine gravi diſcrimine imperii noſtrii carere nobis non licebit, beneficiarios noſtros afflictos, & qui vel irato mihi, ſolius innocentiſſimi hujus infantis conditione, miſerabiles eſſe deberent. Sic animi purpuratorum in poſteritatem Joannis Regis bonitate tyranni redditi mitiores, dimiſſum conſilium, & ad reliqua peragenda, quæ integrius Budæ ſubigendæ reſtabant, converſi. Quid autem ſingulis diebus VII. qui ei cladi dati ſunt, actum ſit, non prætermittam paucis recenſere, ſi prius de duobus ſuperioribus attigero, XX. ſcilicet VII. & XXVIII menſis Auguſti, quibus imprimis ex eo campo, qui a meridiana regione ſubjacet Budæ, Kelemfeöld genti appellato, hoc eſt, tranſitus terra, quod eo loci olim Hungari, pulſis e Pannonia Romanis, primum Danubium trajecerant, caſtra veterem Budam, propter aeris, ex cadaverum tabe infectionem, tranſtulit, quamquam

hoc prætextu verior prætenſa cauſa, quia timebatur, ne quid ex Auſtria belli repararetur, & in opportuno loco manibus conſerendis, ſi res ita cecidiſſet, viſum eſt hoſtem opperiri. Lati enim ibidem campi protenduntur, hinc complexi montibus inde circumfuſi Danubio, & Sicambriæ, Romanæ quondam civitatis, a colonis Sicambrorum conditæ, apparentiumque adhuc ruinarum monimentis, inſignes ſunt. Miſſa deinde puero munera, idemque, & proceres evocati ad Cæſarem. Jam XXIX. ab iisdem in caſtra itum, Buda intercepta, & filius Reginæ redditus, XXX. Regina Cæſari per legatos de reſtituto, ac liberaliter habito filio egit gratias, obſequia ſtudio filiali de ſe obtulit, conjugi Hruztani torquem aureum gallici operis, & gemmatum monile ex ſuo cultu dono miſit, ipſum precata impenſe, ſuſciperet ſui patrocinium, ac filii, proceres periculo tum vitæ, tum ſervitutis eximeret, atque oraret Cæſarem, ne ſe, ne filium velit iis privare neceſſariis, ſolos eſſe reliquos, quibus proſtratæ res eorum, & Joannis poſteritas, genusque niti poſſit, fiducia in aliis dubia, & novam fidem, novos amicos comparare, in hunc modum rebus inclinatis, nimis jam ſerum. Solymanus inde homo olim natione Dalmata, patria Clitienſis, qui primus in ea urbe ſub titulo Paſſæ iniit præturam, Budam venit, illicoque pulſui campanarum interdixit, arma deinde civibus æque, atque militibus ademit, nec illa in forum comportari paſſus, more victorum, tumultus timebatur, ſed manipulatim ſingulorum tecta rimati Satellites, nihil prorſus teli relictum, quo corpus feriri poſſet. Juſſi poſt milites, indicta pœna capitis, proxima luce intra urbem non expectata, faceſſere, cives in fidem re-

cep-

Digitized by Google

cepti, ac tum demum ſecure cum eis juncta hoſpitia, & Buda pleno jure poſſeſſa, cæptumque dominari popularibus, XXXI. Miſſus a Cæſare ad Reginam legatus, oblata ei tyranni gratia, promiſſum patrocinium, ad exporrigendam frontem hortata, & ad ultimum facta ſpe reliquæ libertatis, ac firmi ſtatus penes filium, filio Tranſylvania, eaque pars Hungariæ donata, quæ a Tybiſco flumine Tranſylvaniæ copulatur, hisque provinciis domicilio demonſtratis, arx ab ea modeſte poſtulata. Prima Septembris miſſus Agga, de quo jam ſupra dictum eſt, petitum arcis portas, quæ tum illi non conceſſæ, ſuperſedere interim monitus, donec Regia Gaza, atque ſupellex, ceteraque impedimenta muliebris mundi, atque aulici comitatus ad iter expedirentur. Sed moleſtius inſtante Barbaro, & dictitante, tum ſe, tum eos gravem Cæſaris indignationem adituros, niſi primæ ſaltem, vel ſolius ejus perſonam facerent compotem. Sic enim jubere Cæſarem, & de ſe ipſe ab omni vi, doloque malo tutos fore polliceri, tantummodo ibi, ut eſſe poſſit ſine comitibus, quo Cæſar imperio ſuo ſatisfactum eſſe intelligat. Perſuaſi metu magis majoris mali, quam ignoratione Turcicæ perfidiæ decepti, admittunt hominem, ſed prius, de his, quæ promiſerat, accepta fide. Interim procedente die, & omnibus occupatis, partim rerum efferendarum ſollicitudine, partim tumultu ferocientis hoſtis, qui jam cuncta replerat, portarum etiam cuſtodia neglecta, ac Janizari intenti ipſi quoque muneri ſuo, ſenſim poſt Aggam ſuum hinc inde modo unus, modo duo, mox plures, ac plures ſubeuntes portis, alii alias cauſas ſimulantes, tamquam mandata ferrent, atque referrent publica, non elapſo magno tempo-

ris ſpatio, egreſſi numerum noſtræ cuſtodiæ, faciunt ſibi animos, & porta tum prima, tum ſecunda potiuntur. Nec ultra ad tertiam, qua intima Regiæ petebantur progreſſi, habita utique Reginæ ratione, ipſique poſthac arcem cuſtodivere magis, quam noſtri, nemine tamen prorſus aut vi, aut injuria affecto. Sic eluſi, & in fraudem per incautam credulitatem inducti, viſa arcis quoque captivitate, tolerata patienter Aggæ perfidia, quia alioqui paulo etiam poſt ultro tradenda erat, e veſtigioque jubente Regina, quum importunius efflagitabatur, ne ſeditio circum impedimenta barbarorum indignatione excitaretur, & impetus in opes fieret, claves etiam totius arcis traditæ. Sumpta ex hoc firmiore audacia, ſine mora tormenta bombardica, aliaque belli inſtrumenta, & quicquid munitionum, telorumque in armamentis fuerat, commeatuumque in horreis occupant primum, dein ſolutis noxiorum ergaſtulis, eoque profundiſſimo carcere, qui eſt in mutila turri, ſic vocata, quia imperfecta, & a Sigismundo Imperatore condita, Turcas his premi Mehemetti inſtinctu exiſtimantes, qui ubique proceribus pedicas opponebat, captivi liberati, & incolumes abire permiſſi, Cæſareanæ, ut ajebant, ſalutis ergo. Nec Turca inter eos repertus, proceresque ex hoc apud Cæſarem excuſatiores habiti. Hæc in arce celeriter exequuta, in civitate delecta ſacra ædes, quæ omnium erat celeberrima, & divæ Mariæ virgini Theutonicæ monumento ſui nominis a Theutonibus dedicata, qui olim frequentes Urbem illam una cum Hungaris inhabitavere, & excoluere omnibus nobilioribus ædificiis, judicumque magiſtratu quotannis usque ad principatum Joannis Regis æquo jure cum ipſis Hungaris invicem

fun-

ſuncti. Ex ea, per ſacerdotes Mahometicos quicquid chriſtianæ religionis inerat, ejectum, ac ſuo ritu expiatum, nuda nimirum, & ſine aris relicta cuncta, nec oſſibus quidem in monumentis conceſſa quies. Eruta enim, & una cum divorum noſtrorum imaginibus igni conſumpta, & abjecti in ventum cineres. Suggeſtum inde ſpecie cujusdam throni opulenter exſtructum, & ſic eminenter erectum, ut per plures gradus conſcenderetur, Cæſari ad victoriam poſſeſſæ Budæ felicibus auſpiciis dedicandam, in medio templi poſuere. Ferunt hoc genti ſacrificium eſſe, idque ea lege a Mahometto inſtitutum, ut quibuscunque in locis, atque urbibus fuerit celebratum, iis eas ipſas urbes, locaque, quibus ſunt adempta, nefas ſit unquam reſtituere, nec eo alii, quam bellorum ductores, ac nationum, rerumque domini defunguntur. Qua ex re quid de ultronea Budæ reſtitutione ſit ſperandum noſtris Pannonibus, ſi arma non affuerint, vel ex hoc ſciri, facile poteſt. Secunda ſeptembris Cæſar cum duobus liberis Budam intravit, ædem recta petiit, & in ſuggeſtu ſublimis, ac late conſpicuus ſacris eſt operatus, hisque abſolutis, haud mora in caſtra rediit, nullibi vel tantisper firmato greſſu. III. collatis, & expenſis ſingulorum Paſſarum ſententiis, easque tum pro dignitate, tum pro ſecuritate ſua appoſite moderatus Cæſar, uti tu Jovi luculenter, veroque ordine cuncta eſt proſequutus, decrevit, quid de Regina, de filio, de proceribus, de Buda, & de toto regno fieri debeat, IV. Donati Reginæ, ac remiſſi ceteri proceres, Valentinus Turcus Turcæ captivus factus, Stephanus Verbucius paulo captivo felicior, Budam dicundo juri patrio delegatus. Poſtea, quum jam apud Reginam verſarentur proceres,

&

& abitioni ex urbe Buda ſe ſe expedirent, miſſa vexilla ſingula. Regiæ imprimis proli provinciæ Tranſylvaniæ, deinde Georgio Utiſſenio, & Petro Petrovio, ut præcipuis ceterorum procerum, inſignia ſcilicet earum ditionum, quibus præerant, ſub titulo Sangiacatus, officiaque in procuratione ipſius prolis, ejusque matris nominatim aſſignata. XVIII, tandem Regina Buda exceſſit, & Lyppam ſe ſe contulit. Hoc modo, his cauſis Buda intercepta. Sed adhuc una reſtat, ceterarum facile, mea quidem ſententia, validiſſima, quæ vel ſola fortaſſe Cæſari excuſando poſſet eſſe ſufficiens. Mox enim initio obſidionis tractatum Budæ veteri de reſtitutione regni, Budæque potiſſimum, per ſummos utrinque delegatos viros, idque magno conatu, atque conſenſu partium. Dubioque procul adverſa pars potiebatur tunc temporis rerum, ſi ſtatui Reginæ, ejusque filii paulo largius, atque honeſtius proſpicere voluiſſent. Etenim quum Regi Romanorum nondum in Hungaria paratis rebus, atque edomitis, ingens erat negotium, e tot regulorum manibus liberare Joannis patrimonium, quemadmodum in Varadienſi pace ſancitum erat, omnino tamen offerendum fuit, aliquid majus, quo & ipſe Rex potiretur votis ſuis, & Joannis filius commode aliquando conſequendi patrimonii ſpem ſuſtinere poſſet. Sed & Regiis commiſſariis omnia intra modum aſtringentibus, & Noſtris filium Regis ſui, cui ſe ſe, ut patri in omnem eventum devoverant, a Regia forma, atque fortuna deducere nolentibus, fruſtra utrinque conatum. Nam primis congreſſibus ſatis diu per faſtum ab adverſariis cunctatum, tandem XV. millia aureorum nummum Hungarici ſigni in ſingulos annos ablata, & ſive Buda, ſive

Caſ-

Digitized by Google

Caſſovia pro ſede, ac domicilio placuerit, permiſſa, ſed ſic, ut Regiis præſidiis cuſtodiretur. Purpuratis, ac publicorum officiorum præfectis honeſti pro ſua cuique conditione ſtatus, ſpes, ac fides facta. Quod quum indignum viſum eſſet majeſtate Regia, atque hoc pacto Regina in inquilinæ cujuspiam ſortem aditura, filius vero captivi diſcrimen aditurus eſſe videretur, alia quum honeſtiore ratione, tum & plura, & majora offerri poſtulata. Ventum ex hinc ad Poſonii tum arcem, tum urbem, & neſcio, ad quas, alias arces patrimonii, non emolumenti magni, pecuniæ nihil adjectum, & eo tota tractatus ratio directa, ut quam minime Buda exigerentur. Habita igitur abſurda omnia, ceſſatumque a tractatu. Turca vero de his per Mahomettum Prætorem Belgradenſem factus certior, indigniſſime tulit, fidesque procerum inſimulata. Non ſtetiſſe ſcilicet per eos, quod Germanis Budam non tradiderint, ſed quod ab eis, quæ petebant, non receperint. Nec de hac parte plura.

Quæ de Valentini caſu vulgo narrantur, equidem vera eſſe non inficior. Alia tamen, non hæc, potiſſimum, eum in ærumnam Turcicæ captivitatis conjecerant. Quamvis enim & acer animo, & manu fortis eſſet, plurimumque judicio militari polleret, & cum Turcis ſæpius pugnarit feliciter, in eoque non poſtrema laboranti patriæ, tum ſpes domi haberetur, tum hoſti foris virtus timeretur, tamen & aliæ addendæ cauſæ, nihilo his leviores. Erat ei cum Stephano Mailato, qui in Joannem, paulo antequam obierat, conjurarat, ingens amicitiæ vinculum, adeoque longo, & magno officiorum uſu confirmatum, ut quum frater Georgius Utiſſenius tutor Joannis filii tumulaturus Regis corpus in Hunga-

gariam, e Tranſylvania proficiſci cogeretur, ac Valentinum toti illi provinciæ, aſſentiente & Regina, & collegis ejus omnibus, vellet præficere, quo eam filio defuncti Regis a vi conjuratorum tueretur, non aſſumpſit, ne ſe amico, & fœderato injurium demonſtraret. Edidit hac re non parvam de ſe apud omnes ſuſpicionem, qui deteſtantes conjuratorum inſaniam, ſaniore conſilio jus atque fortunam pueri promovebant. Aſpirabat etiam Valentinus ad ſupremam regni gubernationem, huncque in uſum multorum ſtudia, atque amicitias plane comparabat. Turca item redacta in poteſtatem Buda, ac Peſtho, jamque & Strigonio, & Albaregali, & Quinqueeccleſiis, & omnibus comitatibus, qui Balatone lacu, Dravoque, & Danubio fluminibus terminantur, vis eſſet appoſita, hisque in regionibus ſolius Valentini maxime ſtrenui, & irrequieti adverſus Turcas bellatoris nomen extaret, Caſzunus, & Mehemettus, qui oræ illi undique infeſtiſſimi imminebant, perpetua ſollicitudine apud Paſſas inſtiterant, ſummoveri debere Valentinum, ſi ea Pannoniæ inferioris parte abſque negotio Cæſar potiri cogitaret. Unum eſſe Valentinum, cujus ſpectata bello dextera, multorum animos, vires, audaciam ſuſtentaret, eſſetque imprimis idoneus, qui viros in arma ciere poſſet. Non illi militum amor, non populorum officia, non opes, non munitæ arces deeſſent, & ſtudio, uſuque Turcicum fundendi ſanguinem, ceteros omnes ordinis ſui duces antecelleret. Magnum ex his Valentini præconium, illuſtre nomen, celebris fama. Sed crebræ antea tranſitiones, quas inter duos Reges fecerat, dum utriusque movetur largitione, & partes experitur, oppido æſtimationem ejus, atque conſtantiam ſuggillaverant. Unde

de

de magnopere viri formidatum ingenium, eoque ſolo diſcrimen illi properantius comparatum. Actus enim, & varius animus, amicitiaque Mailati, quam tanto rerum faſtigio prætulerat, conſiderata, timorem, barbaris incuſſerat, ne aut amico, invadenti jam in Tranſylvaniæ dominationem, operam, viresque commodaret, aut tale quippiam auderet, conſueta ingenii mutabilitate, atque ferocia, quo & ſui conatus retardari poſſent, & Joannis filii ſtatu infirmato, Ferdinandi fortunæ adderentur incrementa. Conſtitit hoc vel ex Mailati feſtinata captivitate, quæ haud ita multo ante captam Budam, per fraudem Petri Moldaviæ Vaivodæ procurata, utrumque apud Turcam eodem carcere conjunxit.

XV.

FRAGMENTVM

RERUM HUNGARICARUM

ANNI M. DLI.

Antonio Verantio Autore.

Dedita Regi Ferdinando Tranſſiluania, ac Temesvaro, diu Turca Solimanus, longe aliter de animo, & voluntate Fratris Georgii Heremitæ, quum erga ſe, tum in poſteritatem Joannis perſuaſus, renuit magna conſtantia, id facti deipſo credere, quamquam hinc Reginæ, illinc Petrovii creberrimis nunciis tempori adhuc admoneretur, Heremitam procul dubio rejeciſſe Tutoris Officium, miniſtrique conditionis obli-

oblitum Regi Ferdinando adhæſiſſe, cui & Tranſylvaniam tradere, & ſe, una cum Pupillo, qui ante omnes alios, quibus a Patre fuit commendatus, uni illi potiſſimum datus eſt in tutelam, extorres facere decreviſſet, quo nova hujusmodi calliditate, mutato Domino, ſolus jam licentius, & ſine Cenſore Præturam ejus Provinciæ in reliquum quoque vitæ ſuæ tempus obtinere poſſit; Turca tamen non prius ad credendum, & Beneficiariis ſuis opem ferendam, quam ſumma ſedulitate implorabant, induci potuit, quam Regis vires in Tranſylvaniam penetraſſe cognovit. Sic tandem publicæ ejus rei famæ fides habita, primumque omnium Joannes Marius Malvetius Regis Orator interceptus, & cuſtodiæ traditus, inde quinquennalibus induciis, quæ cum Rege Barbaro erant, annusque integer ad exitum earum reſtabat, renunciatum, poſtremoque emiſſis late per Imperii ſui Provincias, in Hungariam contra Regem Ferdinandum edicta expeditio, tanquam Rex ipſe violaſſet Inducias, accepta ſub earum tempus Tranſylvania, non autem miles Turcæ ipſius limitaneus, qui eas ne menſem quidem unum toto jam exacto quadriennio integra fide ſervarit. His peractis proxima cura finium erat, viſumque eſt operæ præcium fore, ſi præſidibus quibusdam commutatis, & auctis præſidiis, terrores quoque ex populationibus per Hungariam augerentur, donec jam edictæ expeditionis tempus adoleviſſet; igitur, quoniam Cazunus, qui ad hoc tempus Budenſem Præfecturam ceterarum in Hungaria maximam adminiſtraverat, minus jam ob ſenectutem tuendis finibus videretur eſſe idoneus, quum alioqui aliis etiam quibusdam defectibus obnoxius, nec in Tranſſilvania ſuperiore anno profectus cum exercitu Reginæ, filioque Joannis auxilio, quicquam præclari

gesſ-

Digitized by Google

geſſerat, nec fines creditos ſibi promoverat, & interim Zolnokinum etiam Propugnaculum erigi in Tybiſci rippa magno, & dedecori & impedimento finium ſuorum ignaviter militando permiſerit. Milites inſuper prædandi ſtudio non exercuerat, & ipſe etiammet veluti armorum, & militiæ oblitus, domi ocioſus intra Urbicos parietes, non foris in tabernaculis deſederit, abrogata eſt illi præfectura, & Aly Paſſæ, homini Eunucho attributa, miſſus eſt, & Beglerbégus Traciæ, cui Mehmeto nomen, in Syrmium cum imperio ſummo belli gerendi, eique adjutor conſiliorum datus Achmet Paſſa primus tyranni a Hruſtano id temporis Conſiliarius, quem Vezirium Turcæ vocant, mandatumque Beglerbego dupliciter, ut, ſi Regina nondum de concordia cum Rege transegiſſet, neque deceſſiſſet Tranſylvania, & ſibi fideret firmiter, quemadmodum proximis nuntiis ſuis oſtenderat, ſine ulla dilatione auxilium illi ferret. Curaretque rebelles ejus puniendos, Heremitam capiendum, & ad ſe Conſtantinopolim vel vivum, vel occiſi caput mittendum, ſi vero acceptis Regis conditionibus Tranſylvania Regi ceſſa emigraſſet, ea Regina Sirmii ſe ſe contineret, eoque Anno ibidem hibernaret, reliquum finium ſuorum ad inſequentem Annum tutaretur, & Ditiones hoſtium pavoribus & diffidentia rerum diſtineret, ſi poſtremo clementior Authumnus contigiſſet, & inquieti hoſtes pertinacius urgere pergerent, oblatos a fortuna ſucceſſus, omnino in hoſtile ſolum traduceret exercitum, & ante brumam de recipiendo Temesvaro, Becskereko, Bechew, Lippa, Solymoſio, & ibidem alia loca ejusmodi, quæ munitiora, & majoris momenti eſſe cognoviſſet, omnem induſtriam, ac vim adhiberet, quibus damnis atque injuriis, ſi forte laceſ-

ſiti

ſiti Chriſtiani, tantum ſe, & virium, & animi habere exiſtimaſſent, ut dimicaturi ei occurrere non vererentur, acerrime imperatum, ut in aciem deſcendat, & cum illis confligat, ceterum ad ſe, niſi victor, non reverteretur, ſi vitam vellet, turpe id ſibi futurum Tyrannus ducens, ſi, quos ſena, cui ipſe præfuit expeditione alias confuderit, & in ultimas Regni ejus partes compulerit, etiamnum lacertos movere pateretur, neque his tam exiguis reliquiis ſubjugandis per tantos Duces, qui tantis copiis ſubnixi eſſent, ſufficeret, & cogeretur adhuc ipſe in perſona ſub ſenium certare cum Hungaris, quos dudum exarmaſſe ſe, & deleviſſe putaverat. Aly Paſſæ hæc ſuere mandata: fines Regis Ferdinandi quotidianis excurſionibus vaſtaret, ferro, & igne cuncta proſterneret, quæ in prædam agi nequirent fines ſuos propagare niteretur, & quicquid ad Auſtriam, & ad Carpatos montes reſtat Hungariæ, prædatorum latrociniis infeſta redderet, verum Beglerbegus, & ſi, ut alii rumores volunt LX. alii XL. M. hominum III. vero M. peditum Janiczariorum jam hoc tempore Sirmii dicatur habere in Caſtris, adhuc tamen nihil movit, virium tantum opinionem ſpargit, & modo in Temesvarum trans Danubium, & Tibiſcum intendit animum, modo in eum Sclauoniæ tractum qui ad Stiriam, & Carinthiam in Occidentem recedit, minas contorquet, & his fictionibus tempus terit. Secus rem aggreſſus agit Alibaſſa ſed tam infeliciter, quam audacter, ubi venit Budam, & Præfecturam iniit, cognito ſtatu Provinciæ, militeque finium recenſito, ante omnia curauit bellicoſi Ducis nomen tam inter ſuos, quam apud hoſtes evulgandum, ſed id temere, & per ſuperbiam hoſtium præſidia contemnando immodice

per-

ſuis imperans, & neminem præſidum, centurionumque, quos in Provincia repererat, non inceſſendo injuriis, tanquam imbelles redditos Cazzuni Ocio, & jam ſub ſe reſumpturos animos militares. Magna Eunuchi ex his fama prodierat, adeoque principio moverat in animis multorum ſui æſtimationem, donec experimenta præbuit, ut revera ſollicitudinem finitimis allaturus crederetur. Ea enim ſola, & dies & noctes mente dicebatur agitare, quæ ad vexandos fines noſtros ſpectarent, & gravis erat omnis mora, quacunque diſtinebatur ab incepto. Mox itaque nullo ferme dato tempore perſpiciendis hoſtium rationibus, aut capiendis maturiore judicio rerum gerendarum conſiliis, raptim in campum, (genti noſtræ Rákos apellatum) qui Peſtinum agrum a Vacienſi dirimit, jubet præſidia limitis ſui armata convenire, ibique ſimul ac affuere, habuit concilium, in quo animis omnium pro concione in Barbaricum furorem irritatis, arma, prædam, ignem, vaſtitatumque omne genus in fines noſtros edicit. Oſtentata ſub hæc, & ſpecie apparatuum magna cura, modo caſtra transferendo, modo Bombardas in hanc, atque in illam partem Danubii tranſportando, & id genus alia belli ingenia ſedulo commovendo & inſtruendo, conſcripti & currus agreſtium magno numero, & imperata populis materie Sylveſtri copioſa, tanquam Zolnochum, aut Agriam, aut Jaurinum eſſent oppugnaturi. Poſtremo nulla denunciatione, vel ſaltem nutu ipſo facta, pro juſta rei militaris ratione, quod violaturus eſſet inducias, quas Ferdinandus ſumma conſtantia & religione ſervabat, nolens vel minimam cauſam expoſtulandi hoſti porrigere. Mox ex iis, qui convenerant, deligit IV. millia, remiſſisque aliis ad Præſidiorum ſuorum lo-

Digitized by Google

ca cuſtodienda, hos quadrifariam diviſit, omiſſaque & Zolnochi, & Agriæ, & Jaurini oppugnatione, quæ loca ſciebat fortiſſimis viris eſſe cuſtodita, de improviſo in eas Regni Partes vim eorum immiſit, in quibus minus irrupturi ſperabantur, parsque eorum in ſiniſtro latere Danubii longo tractu, etiam ad Præſidiorum noſtrorum loca,ad Schemnicienſes usque montes, ubi aurariæ in ſuperiori Pannonia excoluntur, & ultra Nitriam trasgreſſi, quo loci nondum hac tempeſtate quicquam hoſtile ediderant, Pars vero in dextrum latus juſſi contendere, quatuor loca, uti in quatuor manus diviſi fuerant die XIX. menſis Julii, uno conſenſu, atque uno tempore, nimirum ſub ipſum ortum auroræ prædam, & populationem egerunt, igne potiſſimum ubique debachati. Fuerunt autem Duces eorum ſummi ejus Oræ, quæ Turcica Dominatione obtinebatur, Præſides, Arzlanus Hatvanenſis, Velibegus Strigonienſis, Velizanus Albenſis, & Dervisbegus Quinque-Eccleſienſis. Eaque loca quilibet eorum populanda ſuſcepit, quæ cujusque finibus exſtitere viciniora; nam tractus ille, qui eſt inter amnem Hypolium, & Granum, Hatvano oppido oppoſitus, ceſſit Arzlano; terra, Mátyus Földe genti noſtræ nuncupata, Granoque, & Vago fluminibus interjecta, ac Strigonienſi agro proxima, Velibego; Zaladienſis Comitatus, ab amne Zala, quo præterlabitur, nominatus, & Balatoni lacui ad Occidentem ſitus, in quem ab Alba facillimus tranſitus patet, Velizano, Simegienſis, qui a Balatone ad Dravum fluvium pertinet, cui Civitas Quinque-Eccleſiarum, in Baronienſi Comitatu adjacet, Dervisbego. In his excurſionibus Pagi, atque Oppida magno numero devaſtata, hominum fere V. millia in captivitatem acta, occiſi non

per-

perinde multi, iique tantum, qui partim recuſavere captivitatem, partim, qui inciderunt in eos ætate imbecilles. Sed non & ii impune tanta auſi, & Aly Paſſa, qui male perſpectis Hungarorum ingeniis, intempeſtive, imprudenterque præcipitaverat latrociniorum hujuſmodi initia, nihil prorſus agit pro magnitudine ſuſcepti muneris, editaque in publicum tantæ exiſtimationis ſuæ fama, multi enim ex iis in reditu interfecti, multi capti, coactique non poſtremam partem prædæ relinquere, primusque e noſtris, quorum virtus in iis profligandis enituit, occurit Laurentius cognomento Zoltay, miles non incelebris, Præfectusque Præſidii Arcis novæ, quæ his temporibus, juxta Nitræ flumen, in Ditione Strigonienſi, ad arcendas ſubitas hoſtium incurſiones ædificari cæpta eſt. Is enim redeuntibus cum præda CCCC. Turcis, qui terram, quam dixeramus Matyus Földe appellari, fuerant depopulati, oppoſuit ſe cum LXXXXIII. Equitibus ad pagum Barth duobus circiter milliaribus Strigonio proximum, ibique facturus in hos impetum, quos fortuna obtulerat, & ſi paucitate ſuorum videretur nonnihil a congreſſu detineri, tamen conſpicatus hoſtes, & laſſitudine laborare, & gravari præda, quibus de cauſis majori etiam ſtudio fines noſtros excedere maturabant, ac ſtatuerant, uti poſtea cognitum eſt, ſilentio Laurentium præterire, ſumit animos, venitque in eam ſpem victoriæ, ut ſecum de invadendis hoſtibus deliberaret, & periclitaretur. Comilitones itaque momento temporis ad conſtantiam, & fortitudinem cohortatus, propius ipſe hoſtes accedit, rogat, atque efflagitat, ut ſi ſint ſtrenui, ſi viri fortes, dimicare ſecum non detrectarent, ſe enim eſſe illum Laurentium Zoltay, qui nunquam non fracta lancea,

 ferro-

Digitized by Google

ferroque ſuo cruentato Turcas prætermiſit, in quos incidit. Mira viri confidentia. At ſæpius etiam dehinc hoſtes in hanc ſententiam alloquutus, nihil de conflictu impetrabat. Id reſponſum tantum, ſervaret ſe ſe id temporis generoſus miles, & aliam occaſionem opperiretur, vicinos fatigatos nunc non laceſſeret. Conſequuturum illum brevi, quod expeteret, acrius his Laurentius inflammatus, inſtare, urgere, & probra in eos graviora conjicere, ac demum imbelles feminas, & ſcorta appellare, niſi in pugnam deſcendiſſent. Laceſſiti eo convitio Turcæ in pudorem, ſiſtunt pedem, faciuntque Laurentio pugnæ poteſtatem, & ne hic deſit, quod admirari poſſit, expectatum ab utrisque, donec arma expedirentur, & dirigerentur acies, moxque Laurentius ex cohorte, quam habebat 93. Equitum, deſignatis 24. in præſidio vexilli, quod in patulo quodam explicuerat, ubi ad conſerendas manus intonuere claſſica, tanto animo, atque virtute cum reliquis 79 Equitibus in cuneum contractis, concurſus eſt adverſus 400. ut ſepties, primo congreſſu perruptis, & pervagatis hoſtibus, in fugam etiam adegerit. In ea dimicatione XXVIII. hoſtium occiſi, plurimi vulnerati, capti XV. ſigna recepta bina, pagus Barth ab excidio liberatus, & magna ex parte recuperata præda. Deſiderati etiam ſunt ex centurionibus quos Agas vocant duo. V. abiere vulnerati, qui vero ex reliqua colluvie in itinere ex vulneribus conciderunt, antequam Strigonium perveniſſent, relatum eſt LVII. exſtitiſſe. Inciderat & Velibegus Præſes in noſtrorum manus, eratque ſane cumulate glorioſa futura ea victoria, ſi in veteranum incidebat, verum quod Tyroni ſupra vires obtigerat captivus, ammiſſus

eſt

eſt magis inſcitia novi militis, quam vi hoſtium ſupervenięnte liberatus.

Ex noſtris V. interempti, vulnerati pauci, major in Equis facta jactura, in quos Turcæ ferro ſævierant, ſed gloria tantæ victoriæ ingenti lucro noſtris æſtimata.

In eo dimicationis ardore, quod præterire nefas putarem, Nicolaus Filés unus ex commilitio Laurentii, terno jam alias ſingulari depugnato certamine habitus clarus miles, invectus caſu in Agam unum, ubi haſtas fortiſſime ambo perfregiſſent, ventumque eſt ad gladios, omiſſa framea, & arrepto enſe, qui in veruti craſſioris formam acuminatus, & oblongus, punctimque magis, quam cæſim valens, equitis noſtri huſſaronis hac ætate inventum, ita medium transfixit Turcam, ut ſtatim moribundus equo laberetur, quod in admirationem non pono, vulnera enim etiam ignavi ſepenumero inferunt fortiſſimis viris. At quæ poſtremo geſſerit, etiam memoria dignum judico, diſcurrebant, & dimicabant alii, Nicolaus in medio fere pugnantium, confecto hoſte conſtitit, & quum opulentior veſtium, armorumque apparatu inſtructus erat, ne porrecta a fortuna etiam cum periculo vitæ deſpexiſſe videretur, ex equo deſilit, hoſtem exarmat, ſpoliat, vincit, & captivum ſuum eſſe dicens aſſurgere, & ſe ſequi jubet. Ille ut læthali percuſus vulnere, quum victorem ſequi minime poſſet caput ſibi amputari oravit, obtemperatumque haud mora victo. Inde collectis hoſtis ſpoliis illæſus in ſuorum ordinem conceſſit. O inſignem audaciam, dubiumque, virtuti, an fortunæ aſcripſeris, quod perfecit, certe temeritatis ſugillatione non caruit, commendatus nihilominus eſt, & memorabile nomen apud ſuos conſequutus, at Lau-

Digitized by Google

rentius, dirempto prælio hoſtium fuga, inſequutus eos pluſculum, donec adhuc eis prædæ nonnihil detraheret, poſtmodum deſtitit. Et quamquam Turcici cruoris avidus, longius illos inſequendi animus foret, expenſo tamen hinc hoſtium, hinc ſuorum numero, maluit uti conſilio, quam temeritati fortunæ jam adeptam victoriam committere facile enim futurum arbitrabatur, ut reſumpto animo, pudore inſtigante majore vi, atque ardore, honorem Turci recuperaturi, & ulturi damna, in tam exilem manum, a qua perculſi fuerant, reverterentur. Collegit itaque ſe, & captivos omnes eodem loci juſſit obtruncari, ne, ſi foret fugiendum, eo impedimento gravarentur, inde lento gradu reverti cæpit; nec fefellit ea Ducem conjectura; vix enim VI. millia paſſuum viæ proceſſerat, & ſtagnum quoddam, quod eo loci erat, transierat, quum Turci infeſti redeunt, & Laurentium magna vi inſequi pergerent. Laurentius jam extra periculum opportunitate ſtagni conſtitutus, nihilminus quam fugam fecit, at Turcæ ſtagnum attingentes, prohibiti longius progredi, in ulteriore parte ſubſtitere; firmavit ſe & in citeriore Laurentius, ibique ſimul militari comitate mutuo colloquuti, digreſſi ſunt.

Albenſes depopulata parte quadam Zaladienſis Comitatus inoffenſi redierunt.

At Quinque-Eccleſienſes, & ſuæ, & horum utrorumque audaciæ, ſufficientes pænas dedere, mille, & quingenti equites Duce, & Præſide ſuo Dervisbego Rignam flumen tranſierant, Babolcſianum agrum depopulaturi, nec prius id cognitum eſt præſidio arcis Babolcſiæ, quæ eſt Andreæ Báthorii ad II. M. paſſuum juxta Dravum fluvium ſita, quam onuſti præda redire dicerentur. Mox igitur equi-

tes

tes LXXXXV. pedites CCXXV. ſclopis armati, Turcis ſe ſe eo loci, quo ad Rignæ vadum iter eſt, oppoſituri, in inſidiis Babolcia erumpunt, præmiſſoque maturato curſu toto pedite, ut inſidiarum locum commode ante occupent, quam hoſtis adveniret, equites, ne feſſi tam numeroſum hoſtem invaderent, lento gradu ſequebantur, at Turcæ errore Ducis itineris provecti longius ab eo vado, quo venerant, nam ad eundem etiam reditum deſtinarant, in avia, & in Paludem quamdam, quam Rigna fecerat, inciderunt, ibique tranſeundi difficultate comprehenſi, cæperunt non mediocriter laborare, eoque magis, quod Præſes Dervisbegus una cum equo prolapſus in paludem, omnibus fere negotium attulerat, dum cum limo, & paluſtribus aquis luctanti, omni ex parte ſuccurritur, ſupervenientes itaque eo momento noſtri pedites, faciunt in hos impetum, tantaque ejaculationum ſclopetarum frequentia obruere, quod & præda, & palude, & caſu Ducis impediebantur, ut eos in duas Partes diremerint. Eaque ſtatim effuſa in fugam, quæ jam propius erat paludis exitum advolat, & equitatus noſter, non majore numero, quam ſupra diximus, junctoque ſibi pedite, tantaque impreſſione in alteram partem, quæ adhinc palude tenebatur, incubuerunt, ut necatis obrutisque in palude aliis, quos cænum magis hauſerat, alios, qui paludem ſuperaverant ad flumen usque ceciderunt. Nec hic finem cladis habuere, nam cum iniquo, & inexplorato loco Rignam trajicere cogebantur, quod flumen ſimiliter, ut Palus, ubique limoſum, & lutulentum fluat, duplicatum eo caſu & equis negotium, & inſeſſoribus periculum. Ita demum multi deſilientes ex equis, natatu flumen transmittendo evaſerunt, qui qui potuere. Magna tamen

eorum pars deſiderati, & capti, equi, qui partim in palude, parti in amne, & pro amne relicti ſunt, cæno obſiti, & luctatione paludis fatigati CCCCXL. prope obtenti, argumentum victoriæ non exiguum. Dervisbegum Proſangſiacus ejus, quem Thychacam Turcæ nuncupant, in paludem ſic, ut veſtitus, & armatus erat, pedes irrumpens, clipeis militum limo exemptum, equo ſuo imponit, fugaque ilii flumen verſus poſt ceteros demonſtrata, ipſe & multi alii, qui vitam Ducis, & Præſidis ſui ſervaverant, ibidem vi ſcloporum ſuam amiſere.

Inſequenti nocte iidem Turcæ aliam perpeſſi cladem, elapſi enim fuga, alii ad oppidum Kalmancyechum, alii ad arcem Geresgallum, loca Turcis ſubdita, Mathias cognomento Ally, qui in Corotnæ vico, haud multum longe a ſtativis hoſtium ſito, finium ejus Regionis partem præſidio tenebat, cognito caſu, atque adventu Turcarum, ſtatuit ipſe quoque fortunam ſuam tentare, in eosque, qui in oppido conſederant, intendit animum, quod ſe loco nulla munitione firmato, crediderant, ſecunda itaque noctis vigilia profectus cum equitibus LXXXV. præmiſit, qui ex ea Oppidi parte, qua in hoſtes erat irrupturus, domus aliquot incenderent, quo confertius hoſpitiis ad exſtinguendum ignem excirentur, & ipſe in eos, partim ſtudio ignis exſtinguendi occupatos, partim nocturnæ lucis ſplendore hauſtos, & perſtrictos, minusque ultra ignes quicquam viſu diſcernentes, majore irruens ex tenebris afficeret conſternatione & malo; ſucceſſit viro conſilium, ſiquidem ubi validus ignis emicuit in oppido, conſurgunt Turcæ, & laturi opem ſociis, turmatim incendium invadunt, Mathias vero ipſos Turcas, ibique edita cæde, majorem, quam pro ſuorum numero, fecit

Digitized by Google

cit etiam prædam tam hominum, quam equorum licet non æque, atque putarat, & illæſus tandem a nemine inſecutus, Corotnam rediit.

Paucis diebus poſt Bartholomæus quoque Croata Præfectus præſidii Gyarmatini, inſigne animi ſui facinus edidit, non tam fortaſſe juſta militaris conſilii ratione, quum tam repente uni transfugæ non erat fides adhibenda, quam ut obloquio, publice de ſe evulgato, occurreret. Sparſerat enim latius ſuo more fama, Barholomæum Croatam eorumdem Turcarum partem, qui jam memorata loca vaſtitate affecerant, inſpexiſſe tantum redeuntes, minimeque laceſſitos, abire pertuliſſe, at oblata occaſione excutiendi oneris tantæ vulgi injuriæ, per temeritatem etiam periclitanti famæ ſuccurrere ratus eſt, a militari viro non eſſe alienum audaces enim fortuna juvat, & non tentare caſus, licet quidem longævi, at inglorii tamen obſoleſcimus. Prima itaque die Auguſti tranſiit ad eum ex arce Zonda Turca perfuga, isque ſe illi Arcem eam cum toto præſidio in poteſtatem daturum polliceri, jurejurando fidem facere, nihil ſe doli, nihil fallaciarum machinari, & in celeritate ſitum eſſe dicere, quicquid confectum iri ſperaret, adjiciebat, & modum & rationem, in munimenta loci penetrandi, eſſe in vallo a poſtico Domus ſuæ foramen prorſus ocultum aliis, ſuis duntaxat latrociniis prorutum, per quod cum paucis illius peditibus priorem ſe ingreſſurum, & uno tempore injecto in ſuam primum, deinde in alienas domos incendio, portas quoque, ſubito impetu interemptis earum cuſtodibus, patefacturum offerebat. Grata initio viſa Duci præclari facinoris occaſio, Turcæ tamen non ſtatim creditum propter perfidiam, cujus ei genti ſtudium, vel

a

Digitized by Google

a prima origine conditorum, ſemper fuit peculiariter inſitum, inſidiæ enim timebantur, verum quum facilitas rei benegerendæ ſumma eſſe videbatur, ſuadebatque animus audere, quod in votis erat, convocat Bartholomæus comites, quid agendum, conſulit, moraque omnis procul habita, decernitur, ut confeſtim clam perfuga emittatur, qui loca circum Zondam accipiendis inſidiis non ignorata, cuncta explorent, & equi interim ſternantur, atque armetur miles. Summa hæc omnia celeritate, & fide exequuta, perfugæ etiam poſt multam quæſtionem non tam recto judicio, quam ardenti quadam cupiditate hoſtes invadendi, fides eſt habita, & reverſis iis, ſub hac ſollicitudine apparatus etiam iis, qui exploratum profecti fuerant, nihilque inſidiarum usque inveniſſe ſe renuntiantibus, extemplo cum centum equitibus, peditibus 25. nocte prope concubia profectus Zondam Bartholomæus, ipſe ſe e regione portarum opportuno, & propinquo loco, quantum licuit, cum toto equitatu ſubducit, perfuga cum peditibus in munitionem per fatale Turcis foramen penetrat, & indit late ignem domibus. Ad portas feſtinare pedites, ubi offendentes cuſtodes ſopitos ſomno, citra contentionem, uno fere tempore omnibus obtruncatis, reſeravere portas, & Tuba rei perpetratæ ſignum cecinere, eo ſigno audito Bartholomæus irrumpit, cædem inclamat, deditionem imperat, fit tota munitione conſternatio, hoc momento prodeunt, & Turcæ hinc, atque inde trepidi, & ſemiſomnes, nihil de hoſtibus ſuſpicantes, quos non præſciverant, ſed incendium ſopituri, at utroque malo circumventi, quum & ad arma, & ad equos concurrerent, paſſim hinc ferro, illinc igne corripiebantur, & cædebantur, ſic jam & flamma, & ho-

hoſte totam munitionem late pervagante, ceſſere Turcæ victoribus, aliique in vicinum montem, & ſylvam, & in agros profugerunt, alii in arcem conceſſere, ſed non multi, quod & hoſtis, & incendium illis eo receptum intercluſerat. Conbuſta itaque in hunc modum tota munitione Zondina, & dejecta, combuſtis equis, armis, & ſupellectili ejus Præſidii univerſa ex CL. Turcis, qui eo loco præſidere dicebantur, vix in arce XV, foris XL. beneficio tenebrarum ſalvati, reliqui intra vallum exſtincti. Prædæ pauxillum quiddam relatum, idque ſolum, quod ereptum flammis, poterat auſpiciis Regis Zonda retineri, ſed quum Turcæ magno numero ad oppidum Hatvanum nunciabantur eſſe in caſtris, veritum, inſtaurationi munitionis ejus ſpatium hoſtes non daturos, dedita opera deſtituta eſt, eisdemque hac neceſſitate relicta.

Emicuit per hos dies, & plebeorum noſtrorum virtus, quæ quum apud nos vetere jam majorum noſtrorum indulgentia, atque uſu, non ſolet eſſe invidioſa, facileque Regum munificentia attollitur ad illuſtria, nulla vetuſtarum nobilitatum refragante proſapia, nobilium, & militarium horum virorum geſtis ſubjiciatur. Celebre Forgáchiorum oppidum eſt Comjatum, ad Nitræ flumen ſitum, quod cum pars illorum Turcarum, quos ſupra memoravi, prædæ cauſa invaſiſſent, nihil prorſus longa contentione effecerunt, ſoloque ferme ejus loci incolarum, hominum inquam aggreſtium conatu rejecti ſunt. Unus erat in iis, qui ſe in ſervanda uxore a Turcarum raptu, geſſit non inſtrenue, irruperant in veſtibulum ædis ejus duo Turcæ, ubi correpta uxore, quæ formoſa erat, & ætate integra, ipſi etiam marito vim afferre contenderunt, at hic, nihilo illis in armis ſegnior, quum

etiam

etiam fide, & amore conjugali juvaretur, ſtricto in raptores gladio, eam in utrumque hoſtem impreſſionem fecit, ut dimiſſa viro conjuge, vulnerati, & fugati receſſerint, ſex deinde nulla mora interjecta acriore impetu rediere, aggreſſique fortem ruſticum, erepta fæmina, negotium fecere illi non exiguum. At is in hos quoque invectus ferro & forti animo, nemine illi, præter uxorem, aſſiſtente, quæ vociferabatur, ejulans, ne ſe chariſſimus maritus abduci pateretur, ſimili virtute valuit, erepta enim, & protecta conjuge Turcas repulit, regreſſi X tertio, unus contra X. minime conſternatus pugnam iniit, demumque, quia res, ut in ardore bellico præcipitantur, agebantur, nec licebat hoſti urgere pertinaciam, quum jam receptui ſigna ceciniſſent, & Chriſtiano ſuppetias veniebatur, acceptis fere ſinguli vulneribus, receſſerunt, X. ab uno victi, victor redempta uxore, ter depugnato intra parvum ſpatium certamine, & adverſis VII. vulneribus, oſtendit etiam plebeo exemplo, Turcas poſſe vinci, in eosque non tam viribus maximis, quam generoſis animis belligerandique aſſiduitate, & pertinacia opus eſſe.

XVI.

Digitized by Google

XVI.

De itinere, & legatione ſua Conſtantinopolitana Antonii Verantii cum fratre ſuo Michaele Dialogus.

Fragmentum.

Michael: ſalvum te, ac ſoſpitem Antonii frater a legatione Turcica rediiſſe plurimum gaudeo. Ant. Gaudeo & ipſe quoque Michael! quod te tum ſalvum, tum incolumem invenerim, verum quid de ſene parente noſtro, quid de reliqua domo noſtra tota, ac tuis liberis, ſatin ſalvi ſint omnes? Mich. ſatis ſane, tuique, ſuper omne, quod charum habent, videndi cupidiſſimi, nimirum quos de ſalute tua, tam diuturna ſollicitudo vexavit. Ant. narras mihi quidem gratiſſima, vos tamen tanta ſollicitudine macerari quid attinebat, quum vos per creberrimas meas Epiſtolas curarim, & de ſalute mea, & de ſtatu fieri certiores, ſciebam enim mea vos ſollicitari peræque. Mich. recte pol ais frater, ſed id curæ impietati noſtræ erga te non dabis, de cujus ad eam gentem abitu, non aliter, mihi crede, doluimus, quam de eorum, qui aut ignem prudentes petunt, aut in aquas ſe ſe præcipitant, quotus enim quisque oratorum noſtrorum elapſi temporis fuerit, qui vel morbi aliquid immedicabilis, aut quam breviſſimam vitam e Turcia non reportavit. Ant. ſane quidem. Mich. Et niſi hunc diem lætiſſimum, qui te retulit nobis, nephas eſſet triſtium commemoratione attingere, quum tuis omnibus nullus unquam ad id tempus, ſi me hoc pro modeſtia tua dicere pateris, candidior illuxerit, poſſem ex-

templo

templo haud multum paucos enumerare, ſilentio tamen prætereantur, ſolatioque tui reditus, nobis quidem certe gratiſſimi, toto genio, atque integris animis perfruamur, proinde jam de tuo tam longinquo, difficilique itinere, deque aliis, ſi quæ ſcitu digna, vel navigatione Danubiali, vel apud Myſos, apud Triballos, Thracesque obſervaris, cognoſcam aliquid, rogari te frater, quæſo patiare, ſi enim vetus tui ingenii inſtitutum probe teneam, quod tibi ſemper fuit ad indaganda vetera, eaque novis conferenda, oppido pronum, facile mihi perſuadeo, ſummo te, & ſtudio, & attentione ea loca omnia pertranſiſſe, ac hic oram Syrmianam, illic Belgradum, & Smideronium, mox Scardi, Orbelli, Hæmique montium exceſſus, Strymonisque, & Neſtri, & Ciabri, & Hebri curſus amnium conſideraſſe, quos & amnes, & montes, tametſi ſummi omnes Geographi ſcriptis ſuis celebravere, tamen quum ab iis audire, de his referri, quod viderunt, neſcio quo pacto, ſed multo profecto luculentiora eſſe, videri ſolent, quam quæ e lectione tantum aſſequntur, ex te mi frater, ſi ejusmodi cognovero, rem mihi feceris omnium jucundiſſimam. Ant. Et rogari Michael abs te, de his lubens patiar, tibique ad ea, omnia, quæcunque annotarim, haud gravate reſpondebo, quid tamen exacte præclari his de rebus poſſim tibi polliceri, ne te grandi aliqua expectatione ſeducam, tanquam Priami fortunam cantaturus, ſane non video, idque non, quod non occurrerint infinita memoratu digna, ſeu vetera exegeris, ſeu nova. Verum quia duo obſtitere, indicantium barbaries, ac perplexitas, & quod in curſu rapta omnia nec ſufficienti mora, & conſideratione examinata, minus ea etiam me ipſum fuiſſe aſſequutum

tum, fateor, quam pro ſtudio, & deſiderio meo. Michael: quid quæſo narras frater? Ita Edepol eſt. Nam omnia & vetuſtarum urbium, & montium, & fluminum, & rerum ceterarum, ac locorum nomina peregrino imperio, alia prorſus deleta, & diſtracta, alia partim oblivione involuta, partim ſitu, ruderumque aggeribus hauſta, novisque linguis immutata pauca ſuperfuere omnino, quæ priſco habitu, & per ſe ſe agnoſci poſſint, ſi autem paſſim greſſum firmare, circumſpectare, & fixius ſingula expendere, ac rogitare de omnibus, vel a delectis hominibus, vel quos ubivis caſus obvios fecerit, ſubito exploratoris ſuſpicione perſtringeris, calumnias inferentibus etiam comitibus itineris, adeo male tuta eſt hominibus noſtris omnis apud eam gentem de locorum ſitu mora indagandi, & inquirendi ſedulitas. Indicem vero peritum, atque idoneum ad edocendum invenire, tam difficile, ac rarum eſt, quam quod vel ab ipſa natura etiamnum deſideratur, ſi autem a Turcis, aut a mercatoribus, quod fortaſſe ſuaderes, quis velit diſcere, parum ab utrisque conſequetur, quod illi, & ſi quid norint, dicere concepta de te ſuſpicione, paulo ante memorata invidia ſupprimunt, ac ſe neſcire ajunt, nec alioqui multa cura tenentur, ſatis ſibi eſſe exiſtimantes habere, & ſubactis frui. Mercatores pallidiores, & magis auro] ſuo timidi agunt, maxima per Harpochratem, ſcire tantum contenti, communicare cum aliis veriti; reſtant plebei ſoli, a quibus petas, ſed & ii adeo perplexe, varie obſcure, atque abſurde referunt omnia, ut vix X. quæſtionibus uni rei ſatis faciant, nec ex toto perſpicue, adde, quod crebro etiam in tam rudes, atque aggreſtes incides, ut ne locorum quidem, quæ inhabitant, aut nomina, aut cauſas reddere valeant,

Digitized by Google

ant, nedum de rebus circumjacentibus quippiam memorare. Montes duntaxat, montes, flumina, flumina, & in hunc modum reliqua generali vocabulo nominantes, quo fit, ut complura conſpecta tantum præterire cogaris. Non hæc tamen ideo a me tibi recenſita arbitrare, quod omnino nihil de his tecum vellem, dudum enim credo animum, ac voluntatem meam perſpexiſti. Mich. perſpexi equidem, ut ad extrema tibi primum reſpondeam, nec dubito, te pro deſiderio meo morem mihi hac in parte geſturum; frater enim es. At audivi, niſi me fallit memoria, etiam alias ſic referri, de hujus gentis incommodis inſtituta, arbitror tamen Principum Oratores largiore haberi libertate. Antonius: Immo ſane verum, eos, qui ab amicis, & fæderatis adveniunt hoſtium, honeſte magis, quam libere tractari, ceterum, etſi utrisque mox in primis limitibus cuſtodes adjungantur, nimirum duces itineris, & quorum vigilantia, quum a periculis, tum a jactura rerum facienda proteguntur, tamen arctius ſic dies, ac noctes aſſident, ut ab eis omnia inviſentium arceant commercia, interdictoque prorſus etiam Epiſtolarum uſu, nunc quoque a ſuis Regibus vel recipere, vel ad eosdem mittere omnis facultas adimitur, & ſiquid interim eos præclarum pro officio, ac fide ſua gerere contigerit, ut ſedulo oporteat furtim prope, nec enim dicendum aliter eſt, & clandeſtine gerunt. Mich. O conditionem Legatorum duram! Ant. immo duriſſimam, & nulli libero, ingenuoque homini expetendam, quamvis ſubeundam, quo & optimis principibus obtemperetur, & Patriæ ſaluti, commodoque conſulatur. Mich. plane ſic decet, at ægre. Ego quidem ex te frater diſco ejusmodi, multo ab aliis maluiſſem, quod angore

gore mihi minore tibi tum labore, tum periculo conſtitiſſet. Verum poſtquam ſic tua tulit res, & jam te habemus reducem, poteriſque illud non immerito dicere forſan, & hæc olim noviſſe juvabit. Deo. Opt. maximo gratias agimus immortales, boni omnia conſulentes, quæcunque ille fieri voluerit. Ant: quid ni? omnia enim Dei providentia gubernantur, multoque ea, & ſpecioſiora, & gratioſiora fieri ſolent, quæ jam ſuperata ſunt pericula, & labores exantlati. Tu tamen jam aggredere, & quid me velis roga. Mich: recte tu quidem mones, ſeduloque ipſe tuæ voluntati parebo, ne, ſi quo a me ſubito Reipublicæ negotio avocaberis, opportunitatem amittam hujus temporis, imo & loci qui nobis obtigit amæniſſimus, quare tria ſunt, quæ initio ſcire pervelim, cauſam primum legationis hujus tuæ in Turciam, deinde ſatis ne ea functus es, ex ſententia, Tertium, quid otii, quid ſecuritatis, quid pacis a tanto hoſte nobis retuleris. Poſtea ad iter deſcendamus Ant: legatione quidem functus ſum magis ſtrenue, quam ex ſententia, ex quo de otio, de ſecuritate, de pace cognoſce reliqua, & cauſam ejus ſume pluribus. Mich: ut lubet. Antonius puto ſiquidem te meminiſſe frater, quanto ſemper ſtudio, quamque vario, & multiplici conatu jam inde ab ipſis Regni Hungariæ ſumptis auſpiciis, inclytus Rex noſter Ferdinandus mentem, ac vires ſuas exercuit, ut certam firmamque aliquam rationem inveniret, qua memoratum Regnum, quod jam tum armis Turcarum graviter labefactari inceperat, allevare a calamitatibus, & in priſtinum ſtatum reſtituere poſſet, nihil prorſus vel occaſionum prætermittendum, quæcunque illi ſe ſe oportune obtuliſſent, nihil intentatum bello vel

pace, amicitiæque officiis reliquendum, necdum tamen ejus regni fortunam ob ſeditioſorum partim quorumdam procerum intemperias, partim ob imperium hoſtile, nimis jam in ipſius regni viſceribus illatum, eo potuit perducere, ut conquieſceret, diſcriminique eximeretur; nunc igitur denuo, quum ad renovandam cum eodem hoſte eam pacem fuiſſet provocatus, quam haud ita pridem deditio turbaverat Tranſylvaniæ, etſi nec bellatoribus viris, nec opibus ſic eſſet exhauſtus, animumque ad belligerandum deſpondiſſet, ut viam armorum urgere vel nequiret, vel non auderet. Quis enim Regum id temporis aliorum, qui cenſentur chriſtiani, & diutius Turcæ reſtitit, & conſtantius nunc eodem Rege noſtro reſiſtat. Conſideratis tamen cladibus, quibus fere aſſiduis, & continentibus ab exceſſu Regis Ludovici ea gens fatigatur. Viſum eſt non alienum fore a ſua magnitudine, & cura ejusdem gentis reparandæ, ſi uſu armorum ſepoſito, & ſuis ipſius viribus inſtaurandis navaret operam, & eam ipſam gentem otio potius nonnihil, & quiete reficeret, quam bellorum gravaret pertinacia. Non ignarus, quod genti, bello diuturno implicitæ, plurimum emolumenti ad augendas & firmandas vires afferre conſuevit, temporaria laborum & dimicationum remiſſio, quapropter habito mature cum purpuratis, & proceribus ſuis de memorata pace, calendis Martii anni M. D. XLIII. conſilio, oratores ad Solymanum Turcarum principem decrevit mittere. Mich. Cauſa quidem certe digna, omnique etiam ſollicitudo laude proſequenda. Antonius: probe ſentis, ſed interim, dum de pace Conſtantinopoli tranſigatur, opus erat induciis, quo & oratores apud Turcam ſecuri de incolumitate forent, & in ambarum partium

limi-

limitibus a graſſatione ceſſaretur. Mich: oportebat id quidem fieri, ſed ubi, quomodove actum eſt de his induciis. Ant: Budæ, Turca enim bellum geſturus contra Perſam, in Aſiamque profecturus cum exercitu, pacem optabat relinquere in Hungaria, quo uni duntaxat hoſti intentus, omni alia ſollicitudine vacaret, igitur demandata hujusce negotii provincia Paſſæ Budenſi, quem nos Primatem, & Præſidem vocaremus Aly nominato. Ipſe in Aſiam transmiſſis copiis, fixisque ad Calcedonem caſtris, exitum rei Conſtantinopoli operiebatur. Aly vero, quod etiam noverat ejusmodi cauterinam, cautis interim quibusdam modis animum Regis curavit explorandum, ſic demum re utrinque explorata, & in medium producta, Aly Regem fecit certiorem, ſe & induciarum ſecum feriendarum habere facultatem, & ſi ſerio ad pacem quoque ipſam animum appellere voluiſſet oratores ad ſuum principem decernendos, ſuam inſuper operam cura diligenti interpoſiturum ſe ſe, ut ea poſſit confieri, recepit. Mich: recte omnia. Ant: plane, verum ubi Rex de his edoctus eſt, & rem geri placuit, me ad Aly Paſſam, Paulo Palineo decurione ſuo adjuncto deſignavit, dimiſſusque ex urbe Gratiana, Styriæ metropoli, Budam, Aprilis die VII. veni, ibique rei tractandæ, & conficiendæ biduo duntaxat dato, quod Paſſa ad principem feſtinato proficiſci cogebatur, ubi de induciis tranſegiſſet, XVI. ejusdem menſis ad Regem in Civitatem Novam cum ſemeſtribus induciis regreſſus ſum. Mich: Budam tu quoque induciarum cauſa miſſus es? Ant: etiam, & non ſciviſti? Michael: ego non. Res enim ut apparet, acta eſt, & paracta celeriter, proinde cum a te in patriam receſſeram, nondum in famulatum, ac fidem

Regis te adſcitum eſſe conſtiterat, quo magis mirari non deſino, unde tibi res tanta credita ſit. Ant: ſic viſum principi, ſic patronis, imo & Deo optimo maximo, qui me & illinc amovit, providentia ſua ineffabili, ubi cum iis, qui ſine Turcis ſtare non poterant, non aliter Turciſſare cogebar, quam qui juxta vetus proverbium cum luppis ululant, & eo loci collocavit, in quo neque conſcientiæ, neque honori, neque fortunæ meæ firma deeſt ſecuritas. Et ſi rem ipſam bene introſpicias, & divinorum arcana altius expendis, facile mecum Michael illud ſacri carmen decantabis, non fecit taliter omni nationi. Quid enim fuit aliud ſtatus ille, quam in alieno fundo ædem ponere, ſpe alienorum ætatem inaniter conſummere, & ſcienter perperam facere, ſic quum me Deus ſtatuiſſet ſegregari ab illis, qui per omnia abrupta, & præcipitia patriam rapiunt in periculum, hac prima ſervitute in pacis conciliatione fundata, quod omen habeas non obſcurum, in optimi Regis gratiam inſinuavit, quo iis me adjungeret, qui & patriam ſalvam volunt, & chriſtianum nomen non perſequuntur. Michael: novi equidem jam inde ab annis pluribus animum iſtum tuum frater, tuamque in religionem noſtram, vel ab unguiculis bene habeo perſpectam pietatem, unde & nobiſcum, quia tecum, optime eſſe actum, ipſe etiam confiteor, & tuæ iſtius apud Regem fidei aſpicio mirifice gratulor, cui ut omnia fauſte, feliciterque impoſterum quoque conſequantur, Deum immortalem precor. Verum jam ad legationem Turcicam tranſire geſtio, Ant: ego vero etiam feſtino, quod vel ex hac mea brevitate orationis facile potes conjicere, quid enim juvat tenuibus, ac nudis immorari, expedite ut fiant, perexi, quan-

Digitized by Google

quandoquidem & res per ſe id a me poſtulat, & quia ſic ante, quum loqui ordirer, profeſſus ſum, Mich: non diſplicet modeſtia, ſcito tamen omnia, quæ de his recenſueris mea gratia, ductorum me maxima, alios, qui rerum ſimilium tenentur ſtudio, habituros gratiſſima, quapropter quum jam induciis utrobique receptis Regi oratores in Turciam mitti placuiſſet, quo pacto tota res acta fuerit, ſcire cupio. Ant: refero, delectus initio voluntatum, de aſſumenda memorata legatione non hominum magno labore, & conatu habitus, nec enim vel ſenatus, vel ipſa tanti principis Regia ſummorum, & peritiſſimorum virorum, ad quas velis functiones obeundas, indiga eſt. Sed tentati, & rogati fuere plures, qui hoc munere digni habiti ſunt, & munus ipſis, imo a quibus etiam omnia optima ac maxima ſperare patria potuiſſet. Ii tamen omnes ſumma contentione, periculum metuentes, deprecati electionem, ne a Rege quidem adacti ſunt nolentes, ut libertas cuique in regno ſalva foret, gratuita, & fide, & operis ſuorum magis lætus, quam exactis. Mich: o Regem! quibusdam ſuis non intellectum! Ant: de quibus hoc? Mich: non de iis equidem, quos Turcarum terrent commercia, verum de illis, quorum hæ legationes culpa delegantur, quique chriſtianorum incolumitatem in Turcis ponunt. Ant: genium habes, & ſane ita eſt. Mich: ſic exiſtimo, ſed quæſo cæpta proſequere, nec enim eo hic conſedimus, ut malefacta perditorum judicemus. Ant: ubique malis, reor eſſe occurendum, nec ſinendum, ut vires ſummant, & erumpant non intellecti. Te tamen morari multis nequaquam volo, ubi enim ab iis, quos & virtus tanto munere dignos faciebat, & imprimis genus, ac patriæ pietas hor-

Digitized by Google

tabatur, impetrari non potuit, quod rogabantur, in Franciſcum cognomento Zay, virum nobilem cordatum, & Naſzadarum claſſis Danubialis minoris ſummum ducem, atque in me apud Regem omnium minimum viſa ſunt ſuffragia, fortaſſe inopia illorum, ut apud homines fieri ſolet, quos hoc munus magis concernebat. Tametſi hoc ſolo de me ipſo dictum velim, de collega vero meo ſumma omnia, quæ de ſummis. Michael: de te ipſo utcunque, tu te noris. At ego Regis, & patrum judicio multum gaudeo, quum omnes non principatus, & magiſtratus ſolum, ſed cujusvis etiam mediocris dignitatis primatus non adeo commode auſpicio duorum geri conſuevit, propter illam philauciam, quæ ſua cuique eſt, mortalium malum ſane natura inſitum. Summum fuit momentum ad bene, feliciterque legatione iſta defungendum, eum collegam, & tibi & collegæ tuo contingere, quem cujusque veſtrum genius, animus, voluntas non complecti ſolum citra omnem ſimulationem, ſed etiam tollerare citra diſſimulationem potuiſſet, qua ex re ſimul ac de memorata legatione ejusmodi accepi nuncium, tibique Franciſcum Zay collegam obtigiſſe cognovi, divinitus id factum eſſe judicavi, & ſecurus mihi redditus ſum, nihil eorum inter vos eventurum, quod ſocietatem veſtram ſollicitare debuiſſet. Ant: non falleris frater tuo judicio, quia ejus candore, atque prudentia, mea vero, quantum fieri potuit, modeſtia ita ſocietatem mutuo coluimus, mutuoque nobismetipſis obtemperavimus, ut & rei principis pro fide non obſcuram operam impenderimus, & nos, ſi pavores pene quotidianos de moribus gentis exceperimus, nihil prorſus laboraſſe putemus. Mich: fortunæ tuæ immo & collegæ tui op-

oppido gratulor, poſteaquam is & tu obveneris, & ille tibi, ut inter vos tam belle, tamque amanter idem velle & nolle convenerat. Verum quid demum poſtea? Ant: hæc rei initia. Prenſati dein comiter patrum ſuaſionibus, & prehenſi haud magno negotio, ſed non, quod eo ambitu teneremur, verum, quod jure obſequentes Regi & patriæ eſſe debeamus. Me novitas etiam mea, & Regis quum gratia erga me non vulgaris, tum ingens, & vere Regia liberalitas, quæ præceſſit merita, hortabatur. Etenim eo tunc primum in ejus fidem conceſſeram, & ad Epiſcopatum Quinqueecleſienſem ab eodem evectus, permiſſaque mihi & Pornenſis Abbatia, & Præpoſitura Tranſylvana, quam Heremita avaritiâ in ſuo peculatu detinuerat, reſtitutâ. In ſenatum quoque illius aſcitus ſum, quæ vis non tibi Michael magna videtur ad amandum principes, non valida ad perſuadendum, ut de eisdem per labores, atque pericula bene mereamur? Mich: imo vero maxima, & validiſſima. Ant: recte, non omnino tamen hæc laus tota noſtra eſt, quum enim pondus tantæ legationis utrique noſtrum grave videretur, magnitudine ejus, & difficultate conſiderata, cui nos prorſus impares eſſe exiſtimabamus, ipſi quoque non exiguo conatu aliquot dies imbecilitate ingenii noſtri obtenſa reſtitimus, & munus tantum ſuſcipere deprecati ſumus. Ego ſiquidem partim occaſione ſacerdotii ſubterfugere nixus, quod ad eam gentem decentius profani mitterentur, quam ſacræ profeſſionis homines, partim, quod & Joannis Regis, & poſteritatis ejus fueram ante partium, verebar, ne eorumdem fieret calumniis, ut minus pro commodo Regis mei rem geſturus eſſem. Nihil tamen exoravi, ſed adſtrictus, quantum & pro clementia Regis de-

Digitized by Google

bebam, & meo ſtatu illius temporis admonebar, ceſſi, ac provinciam, vitata in utramque partem arrogantia, ſuſcepi. Par modeſtia collegam habuit, nec defuere cauſæ, quibus ſe ſe ſubducere potuiſſet, primum quum adverſa valetudo (podagræ enim erat obnoxius) tum deinde liberorum adhuc impuberum, reliquæque rei familiaris cura, ut in regno parum bene paccato, quod cum Turcis etiam ab adoleſcentia ſemper hoſtiliter contendiſſet, quippe quod hoc etiam temporis, finium partem præſidio tueatur, latens incommodum verebatur ab hoſtibus, omnibus tamen his commodo patriæ poſtpoſitis non libenter modo, ſed etiam prope lætabundus, prope liberis tantum chariſſimis Deo & Regi commendatis, acceuſus eſt. Mich: ſi, ut jam memoraſti, tam anguſte, totque cuſtodiis oratores noſtri apud Turcas circumſcripti teneantur, mirandum non eſt, quod & vos, & quidam alii ante vos legationem iſtam declinarint, verum illud maximopere, quod, qui ſubire voluerunt, reperti ſint, non veriti exempla prædeceſſorum. Ant: habes jam cauſas, ceterum quem unquam hactenus aut legiſti, aut vidiſti principem, cui forte defuiſſent, qui pro ſe, & ſua gratia periclitarentur, & occumberent, quod quidem quotidianis exemplis edocemur, quum hodie alii, cras alii, & quique per alienas mortes, vel inſpectantibus nobis, in ſuas ruunt. Nec id tamen omnes eadem cauſa, verum illi legitima, & plena laudis, qui pro patria, & pro gloria. Michael: teneo probe quæ recenſes, nec poſſum tibi non aſſentiri, in eo vero mirum etiam in modum ſatis ambo feciſtis mihi, quod una modeſtia, duplici vitata arrogantia, nec nimiæ propenſitatis accuſari; nec damnari contumaciæ poſſitis, quo magis ſperem, magnam quum

apud

apud Regem gratiam, ac patres benevolentiam, tum etiam apud omnes regni incolas honorem, & exiſtimationem aſſequuturos. Ant: id ne nos quidem deſperamus, Hungaria ſoſpite, & Regibus, quos jam hac tempeſtate, benignitate ſortiti ſumus, verum ad inſtitutum redeamus. Poſtquam deſignati, & pronunciati ſunt oratores, duo circiter menſes expediendis Turcæ muneribus, & ad iter oratorum neceſſariis, dati ſunt, intra quod tempus ea, quæ contigerunt apud nos, tradam tuæ notitiæ. Mich: non ingratum facies etiam, ſi forte in reditu meo e patria aliunde id ipſum cognoviſſem. Ant: ad digniores, pinguiores Epiſcopatus eo tum alii translati ſunt noſtri, præſules, alii creati novi, Nicolaus Olahus ſummus Regii archivi magiſter, ab Agrienſi Epiſcopatu ad Strigonienſem Archi Epiſcopatum, Franciſcus Ujlaky, a Jaurinenſi ad Agrienſem, Paulus Gregorianczius a Zagrabienſi, ad Jaurienſem, Paulus Bornemiſza, a Veſprimienſi ad Tranſylvanienſem, Mathias vero Zaberdinus a Tininienſi, ad Varadienſem. Mich: pinguiorem ne, & digniorem credam Zagrabienſi, Jaurinenſem. Ant: maxime, ſi tempus, & fortunam reſpicis. Mich: quid quæſo velis. Ant: vaſtatus totus eſt Turcarum populationibus. Mich: o deploratam Hungariam, quis majorum noſtrorum crediдiſſet, unquam id futurum, ut aliquando ultima primo honore, ac pretio nepotes dignaturi forent. Ant: facile imperia transferuntur, quæ inteſtinis ſeditionibus modum non imponunt, nullisque demum principibus ſatis contenti eſſe ſciunt, nec de his diſſerere hic loci convenit. Igitur novi epiſcopi fuere IIII. Andreas N. Veſprimienſis, Blaſius a Kamancz Vacienſis, Franciſcus Musnenſis Chanadienſis, & Antonius Verantius Quin-

que

que Eccleſienſis, idque annos natus XLVIIII, & illa ipſa die, qua homo in mundum prodiit. Mich: myſterium. Ant: ſi Diis placet. Mich: jocum cenſes. Ant: quin tu potius, verum creatus eſt per eos dies ſummus quoque præfectus oræ Danubii, quæ ſpectat Noricum. Franciſcus Tahy, & Vajvodæ Tranſylvani: Franciſcus Kendi, & Stephanus Dobo, cujus induſtria militari anno ſuperiori Agriam retinuimus. Hæc cuncta Majo, Junius alia attulit. Maximiliano Bohemiæ Regi, Regis noſtri filio XV. menſis memorati Herneſtus natus eſt filius, nec ita multis diebus poſt, motus quoque ſeditioſi nunciati ſunt e Tranſylvania. Mich: quinam? nondum ne? Ant: Harpocratem, ſcio, quid volebas. Mich: ut lubet. Ant: Petrus enim Petrovius ſuſcitata cum parte Tranſylvanorum, & cum quibusdam Hungaræ nobilitatis proceribus conſpiratione de reducendo Joannis Regis filio in Tranſylvaniam, Rege noſtro invito, ſua fide fraudata, & ſola in Turcarum ope, ſpe voti conſequendi collocata. Mich: nephas audio, & ſcelus metuo. Ant: utrumque decuplo majus. Mich: quid? audiam & metuam. Ant: etiam. Mich: tanta jam audet Petrovius? Ant: ſero quidem incæpit, ſed rerum perdendarum tempus nullum ſerum. Mich: num in deditione Tranſylvaniæ, & Temesvari, quam Regi cum Heremita, & matre pueri fecit, eidem more gentium fide per ſacra jure jurandum obſtrinxerat. Ant: obſtrinxerat etiam honorem, & humanitatem. Mich: interceſſere ne ſyngraphorum diplomata? Ant: ter maxima. Mich: pacta quoque & conditiones, & quæ ex his expectantur, omnia? Ant: nihil prorſus prætermiſſum, nec non ſatisfactum, ſive de his percontaris, quæ matri & filio debeantur, ſive, quæ Heremita, & Petro-

Petrovius cupivere. Hoc ſolum præter pacta exequutum, quæ Regi de pace cum Joanne interceſſerant. Mich: quid hoc ſolum? Ant: de quo parum lamentari decet, niſi calumniæ anſa quæratur, patrimonium puero reddi pacta jubebant, verum quum hoc partim a patre delargitum eſſe in eos, quorum ope, ac ductu regnum invaſerat, partim poſtea in Turcarum poteſtatem reciderat, minus ipſis pactis mos geri poterat, (pacta erant ſervanda, quomodocunque pacta ſubſecuta ſunt, largitiones anteceſſerant) Mich: in Turcarum poteſtatem reciderat? Ant: in Turcarum. Mich: in ſuorum amicorum? Ant: quæris ſupervacanea. Mich: quonam ergo pacto regnum erat ſervaturus, ſi nequibat bona ſua. Ant: precario atque ſerviliter, ad quam conditionem, ſi bene advertas animum, ſi ius quoque educatur. Mich: nollem equidem ſic regnare, ut hæredem Turcam haberem, verum quid puero pro paternis bonis repoſitum? Ant: diu Rex in eo fuit, ut memoratum ei patrimonium recuperare poſſet, & reddere, ſed quum id fieri nulla poterat ratione, niſi cum recuperatione totius Hungariæ, quod non in uno loco ſitum erat, duos ei ducatus in Syleſia contulit, patrimonii defectum ſuppleturus, promiſſa inſuper filia in conjugem, non eum generum tantum, verum filium ſibi fore decreverat, modo ſimili matri quoque in omnibus mos geſtus, quæ ad ejus dotes & ſtatum pertinebant, nec eſt hujus inſtituti pluribus ejus materiam tractare, verum & Heremitæ collati tituli, & dignitates, & Puniceus Gallerus, qui eum miſere etiam peſſumdedit, quod nimis ambierat, & Petrovio pro Temesvaro arce non obſcura, neque tenui, Munkách appellata, & in Maromaruſianis ſita, quam non mo-

do

do novis, ſed etiam veteribus ſtudiis ſæpe ante obtinere contenderat, penſatum. Mich: quid igitur nobiliſſimi regni tumultuatur excidio? Ant: non ſum divinus, timeo tamen, ne, ut Hæremita Budam, ſic hic perdat Tranſylvaniam, & id quidem multo ante, quam puerum in eam reducat, quamquam etiam ſi reducet ante, eodem tamen ſerius, ocyus laborabit diſcrimine. Mich: o egregios teſtamenti Joannis Regis curatores, o puerum, non quidem certe Junonium, ſed Paridem. Ant: quippiam prope ſimile. Mich: vident hoc Tranſylvani, & illi proceres Hungari juncti puero, & Petrovio, & tacent? Ant: plusquam Argus. Mich: vident? Ant: etiam ſentiunt, & hallucinari ultro libet, ſed de his nimis fortaſſe multa, & me neſcio, quo pacto avocas ſæpius ab inſtituto propoſito. Mich: non arbitror, hæc aliena eſſe a noſtro inſtituto, ſcis enim, plerumque in colloquiis familiaribus uſu venire, ut alia, atque alia obiter incidant, de quibus conferatur, nam verbum, verbum ducit, & ſermonem varietas non aliter oblectare ſolet colloquentes, quam flores oculos, quo fit, ut ſecure mea quidem ſententia liceat tibi ab iſto tuo itinere quandoque digredi, modo non multis paſſibus, & imitabere pictores, qui umbrarum, arborum, montium, & id genus aliis icones ſuas decorant, atque explent. Ant: aſſentior, quia cogis, quicquid tamen exceſſero judiciis alienis, eo ſolabor ſolo, quod domeſticis meis ſcripſi. Mich: tuto, ſed parva ſollicitudine multum angeris, verum, quid tandem de Petrovii motu? Ant: primo Rex mirari, non credere, non locum dare nunciis, & quæ vulgo dicebantur, rumores appellare, tanta enim, & fide, & conſenſu tota res utrinque acta, compoſitaque fuerat,

ut

ut adduci ad credendum non facile potuerit, Petrovium fidem Deo teſte datam ſibi violaturum. Mich: bonitas Regis rara, & vere Regia. Anton: et rara, & Regia Sed inſtitutum repetamus, porro ubi Rex ſatis pro ſua modeſtia graviter, & citra tumultum, omnes conatus petrovii cognoviſſet, & comperiſſet, haud dubie armis cœpta tentaturum, ipſe quoque ſeditioſo homini arma opponit. Ea tamen perturbatione minime avocatus, ut inſtitutæ legationis voluntatem abjiceret, ſimul ac & dona, quæ Turcæ deſtinarat, & res omnes, quæ uſibus oratorum viſæ ſunt fore neceſſariæ, fuerunt expeditæ XXI die menſis Junii juſſi ſumus Vienna diſcedere, & iter maturare, inde inſumptis apud domos noſtras diebus XXIII. dum ambo rem familiarem longe profecturi conſtituimus, Comaromium XIII. Julii. Strigonium XV I. Budam XVIII. applicuimus. Mich: pauca equidem conſequar, ſi ſic celeriter cuncta percurres. Ant: non exiſtimo in his tempus eſſe conterendum, quæ ſunt nobis præ foribus, ac prope domi, & de quibus audias quotidie. Mich: De Petrovii loquebar motu. Quum enim citra negotium, & populi chriſtiani periculum, ſolius Heremitæ repreſſa inſolentia, pueri rem tueri poterat Regnum, etiam noſtrorum commode ſervata benevolentia, ac patrocinio, deſes dormitabat. Idipſum modo, quando nequit, niſi cum pernicie, multorum, & forſan etiam illorum, quorum fortunam promovet. Herculem videtur mihi furentem agere, adeo intempeſtive, ut cui nullum jam tempus reliquum eſt. Ant: ſæpe hoc ipſe illi conſului, ſed necquidquam! Mich; memini, verum te etiam, atque etiam peto frater, ne graveris hos ipſos ejus motus a capite ad calcem, ſed laconice ante mihi exponere,

re,

Digitized by Google

re, quam deſcendes Conſtantinopolim, quod quidem facile, & oportune hoc loco poteris, nec moleſtam etiam aliis nobis aſſidentibus facies digreſſionem. Ant: poſtquam id omnino ſic velis, & tam ardenter cupias, non refragabor. Mich: amabo frater. Antonius: dum expeditio noſtra adornaretur, & haberentur publica Sopronii comitia, ad quæ etiam Tranſylvani legatos miſerant, qui potiſſimum a Rege, & a Senatu flagitabant, ut eis Epiſcopi, & Vajvodæ crearentur. Cauſæ erant legitimæ, nec ab animo Regis alienæ, etiamſi tam inſtanter ad id non ſollicitarentur. Ceterum etſi Rex cum Senatu ſuo, & de Vajvodis, & de Epiſcopo tam Tranſylvano, quam Varadienſi, cujus quoque virtus non parum viſa eſt idonea, quæ eo loci opponi hoſtibus debuiſſet, ante jam ſtatuerat, placuit tamen de iis, Tranſylvanorum quoque voluntatem intelligere, ut creando illis eos præſides, quos ipſimet cooptaſſent, nullam cauſam tumultuandi imposterum habere poſſent, quare introductis Legatis in Senatum, quæſiti ſunt, quemnam Epiſcopum, quos Vajvodas ſibi dari cuperent. Eum ipſum tam Epiſcopum, quam Vajvodas nominavere, qui jam dudum ſuffragio Regis, ac Senatus erant deſignati, nimirum Paulum Bornemiſzam Epiſcopum, Franciſcum Kendy, & Stephanum Dobo Vajvodas. Mich: memorandus utrorumque animorum conſenſus, quem arbitror non accidiſſe ſine numine. (Alveus eſt. Alveus, eſt). Ant: recte omnia, nam Rex ea ſola cura æſtuabat, ut in omnes eventus Tranſylvania in libertate, & procul a hoſtibus ſervaretur. Igitur in ipſis adhuc comitiis, & legati certiores facti de præſidibus, quos ipſi dixerant, ac dimiſſi, & Epiſcopis Vajvodisque imperatum, ut omni mora ab-

ſciſſa

ſciſſa diſcederent in ſuas Provincias, ſeduloque operam darent, ne quid detrimenti Regnum, illis e Regionibus publica res acciperet. Ceterum his in hunc modum actis, & profectis in Provinciam Legatis, Vajvodæ quoque cum Epiſcopis ad apparandam profectionem digreſſi ſunt a Rege. Cui apparatui expediendo, dum inſiſtunt diligentius, & de loco in locum migrant, contrahentes militem, & iter verſus ſuas Provincias ſine intermiſſione continuantes, motus, quos jam ſæpe attigimus, erumpunt, confirmanturque hinc inde plurium fidelium tum literis, tum nunciis, poſtremo certis etiam indicibus affertur, conjuratos jam Petrovii foris armatos vagari, & omnes vias obſidere, quæ in Tranſſilvaniam, & Varadinum ducunt, nitique omnibus viribus, ut & Vajvodas, & Epiſcopos penetrare in Provincias ſuas cum præſidiis inhibeant, donec Petrovius cum Turcarum auxiliis prodire poſſit. Sub hoc tempus, & nos iter noſtrum ingredimur, & Vajvodis, atque Epiſcopis ſimul acrius jubetur, ut validiores copias conducant. Intrare in Provincias maximis itineribus contendant, & rebellium conatus omni ope, & ratione antevertant. Non ſurdis imperavit. Verum cunctatione Turcarum non mediocriter adjuti ſunt ad vires contrahendas, quum enim Paſſa Budenſis nondum mandata a Principe ſuo accepiſſet, ut ſuppetias mitteret Petrovio, vota ejus, atque impetus morabatur, vanaque etiam conſilia reddebat. Noſtri vero uſi occaſione in re gerenda minime ſegniter, parvo ſpatio temporis, coacto milite haud exiguo, ſigna proferunt, & invitis conjuratis non ſine memorandæ virtutis commendatione in Tranſylvaniam, & Varadinum evadunt. Vires tum utrobique auctiores factæ, locisque oportunis præſidiis impoſitis,

ex-

Digitized by Google

exploratis omnium voluntatibus, ac ſtudiis conventum indicunt, in quem haud mora frequenti Provincialium concurſu facto, Regi ſe primum omnes tres nationes nova fide addicunt, & ſubſidio pecunias conferunt. Deinde Joannis filio, ac Petrovio, quietis omnium turbatore, hoſte pronunciato, de exigendis quoque, ac perſequendis Regi Rebellibus publico primorum conſulto, & ſcitu plebis decernunt. Sic ſtatu, & Tranſylvaniæ, & Varadinæ ditionis ſatis tunc commode reparato, videbantur omnia pacatum finem habitura, exactis Turcæ beneficiariis, ſi revocari, a ſententia nequiviſſent, breve tamen otium ea victoria ſecum attulerat. Petrovius enim a Regina ex Polonia, paulo poſt his confectis, adveniens in Turcarum ſinum, in pagis circa Tibiſcum ad Zolnokinum Caſtellum conſederat, Turmas conjuratorum ad ſe exciendo, & legationibus, qua magnum ipſum Turcam, & ejus conſilii Paſſas, qua Budenſem, & Temsvarinum Præſides, pro auxiliis fatigando temporis oportunitatem de recuperanda Tranſylvania, & Varadienſi regione ad moleſtiam usque ingerendo, huic ſecundo conatui, quem ob Petrovii, tum etiam ob Turcarum præſentiam priore majorem futurum eſſe conſtabat, & in Gyulam, ac Varadinum Arces, cum Oppidis inter ſe finitimis erat potiſſimum conflatus, quaſi his duobus locis captis, de Tranſylvania in reliquum expugnanda non laboraretur, majore vi Regi quoque ſuit occurrendum. Hæc

XVII.

XVII.

Antonii Verantii Fragmentum.

At Solymanus audita clade Perhati, quamquam militum cædem iniquo tulerit animo, quorum alioqui, ſi eos alibi cadere contigiſſet, neque fortaſſe meminiſſe curaviſſet, quum non ignorabat viros bello natos ſolere in bello occumbere, tamen quia tantæ jactantiæ ſuæ glorioſus miles nec virtute, nec factis reſpoderat, hoſtique, data hac, tam imbelli dimicatione audacia, etiam exiſtimationem ſuam Cæſar apud finitimos plurimum imminutam eſſe ſuſpicabatur, implacabili ira in Perhatum accenſus, leto eum addicit, atque ad ſe quamprimum acciri jubet. Ille, Cæſarum Ottomanorum moris non ignarus, etſi ſe non ad triumphum percipiendum vocari, ſed ad necem, illico cognoviſſet, paruit tamen actutum, & audacter iit in fatum. Verum, ne levi culpa cæſus eſſe diceretur, infortunio crimen adjecit, ac priusquam ipſe interficeretur, ſecum de occidendo Tyranno conſtituit. Itaque ſumpta ſica, & intra veſtem abdita, nemo enim Turcarum Cæſarem patenti ferro accedit, ad prætorium pergit. Ubi quum relatum eſſet, Cæſarem per hortum inambulare animi gratia, habito a prætorianis aditu, ingreſſus eſt. Aderant Cæſari tunc Satrapæ aliquot, & cuſtodes corporis, ſed remotius ab eo, dum ille huc, atque illuc incedit, ipſi quoque amœnitati horti intendentes, detinentur, Perhatum, aut advenientem non adverterant, aut rati ab eodem nihil inſidiarum Principi pertimeſcendum, utpote ab homine tanti habito, minus attente illi vacabant, quan-

doquidem nec adhuc cuipiam conſtiterat, quid in Perhatum animi concepiſſet. Solus mutus, qui inambulanti Cæſari ubique individuus adhærebat, caſu in venientem Perhatum conjicit oculos. Et quum illum confuſo greſſu vadentem, vultuque perturbationem quandam præſeferentem, quod fit in magnis facinoribus perpetrandis, conſideravit, nam & pallore ora perfuſus, deliberati cujuſpiam ſceleris, uti ex facie ſæpenumero æſtimatur, notas afferre videbatur, manum jam ad ſicam adaptando, quod magis mutum terruerat, mox arrepta Cæſaris clamide inſolitum quiddam, ac magno, & crebro mugitu cæpit infremere, ſimulque & Perhatum minabundo indice oſtentare, & ſignis fugam ſuadere. Vix ſe Cæſar converterat, quum inſpecto Perhato, qui jam propius invectus, telum in ſe vibraturus haud mora videbatur, adacto in fugam pede, & quidem celerius, quam par erat tantum Principem, de vita enim agebatur, & ſolus cum muto duntaxat longius ſeceſſerat, validius Janizaros inclamavit, qui repente facto concurſu cum Satrapis, quos affuiſſe, dixeram, imminentem jam Cæſari ſicarium inhibuere. Cui quum non ſucceſſiſſet conceptum facinus, eodem ſpiritu, quo in Dominum ferebatur, eum, qui ſe medium primus comprehenderat, mortali percuſſit vulnere, ipſe a ceteris in veſtigio confoditur. Sic ea tempeſtate potentiſſimi Tyranni vita duorum hominum diſparibus meritis a cæde redimitur, quippe alteri culpa, alteri fides lucem ademit.

Sed, quod ad mutum hunc attinet, referre non pigebit. Vetus eſt Turcarum mos, & longo jam uſu ſuperſtitionis in religionem verſus, ut mortales, quos aut aurium, aut linguæ officium, mentis

vero

Digitized by Google

vero beneficium deficit, a Deo favoris gratia his bonis privatos credatur, eosque ob id, & ſanctitatem quandam nondum exuta mortalitate, comitari, & fatidicos eſſe, ac pro ablatis ornamentis, quibus potiſſimum nitatur humana conditio, divina dona ex cœleſti pietate retuliſſe arbitrantur. Tanto igitur in honore paſſim habentur ab omnibus, ut eos lædere impium ducant, & improbitati adſcribunt, ſi ſummi, & illuſtres viri, tamquam minus divinorum cura flagrantes, hoc genere hominum caruerint.

Quare & Solymano is mutus hac ratione fovebatur, eamque illi fidem fertur habuiſſe propter inſignem vaticinandi ſpiritum, quo ethnica ſuperſtitione imbutum fuiſſe, proditum eſt, ut pauca in rebus arduis, quæque tum in Dei, tum in fortunæ manum reponebat, fuerit aggreſſus, de quibus muti prius Dœmonium non conſuluerit. Quum vero ad hæc & in exprimendo animi ſenſu facile, atque apprime propria declaratione ſignorum eſſet admirabilis, & urbanitate quadam, licet elinguis, nulli mimo, aut ludioni par putaretur, curasque Cæſaris ſubinde magna venuſtate recrearet, ita charum habuit, ut ab ſe vel veſtigium nusquam abeſſe paſſus ſit, idque fortaſſe non omnino ſine numine. Quippe cui tunc tam ingens Dominatus, atque potentia, imminente improviſo periculo, nulli uſui eſſe poterat, homo exiguitate ultima, isque ſurdus, & mutus ſalutis cauſam ſuppeditavit.

Digitized by Google

XVIII.

Summa ſucceſſus ultimæ actionis Legatorum Antonii Verancii, Franciſci Zay, & Augerii a Busbecche apud Principem Turcarum Zoleimanum habitæ. 1557. menſe Auguſto.

Ad Sacratiſſimam Regiam Majeſtatem Dominum ſuum Clementiſſimum.

Ea duo nos, Sacratiſſime, & Sereniſſime Rex, Antonius Verancius, & Franciſcus Zay expoſituri Majeſtati Veſtræ hoc noſtro reditu, quæ apud Principem Turcarum Zuliemanum, & Paſſas ejus cum collega noſtro Magiſtro Augerio a Busbecche ultima id temporis actione egerimus, ſingillatim omnia ſuo ordine referemus, idque hoc præſenti ſcripto, ut cuncta Veſtræ Majeſtati, & plenius, & facilius conſtent, quam ſi orerenus referrentur. Habuit enim eadem actio plurimum & contentionis, difficultatisque, & omnis ejus ratio videtur eſſe diligenter expendenda.

Quare, quum idem Turcarum Princeps Adrianopoli Conſtantinopolim ſuperiori Junio remigraſſet, eam ſolam nos ſollicite curam habuimus, ut, quæ poſtremo ad nos Majeſtas Veſtra per Michaelem Molnar tabellarium ſuum mandata dederat, ſine omni mora exequeremur. Jam enim ab adventu ejusdem tabellarii quatur menſes præterierant, quibus nihil egeramus, verebamurque, noſtræ negligentiæ iri imputatum, quicquid Paſſæ ſua fortaſſe pe-

culiari

culiari quapiam oportunitate, & Majeſtatis Veſtræ incommodo dedita opera differebant. Eos itaque, ubi primum aſſequuti ſumus, & connivere jam ad petitiones noſtras, de actione aggredienda nequivere, initio omnium aditum ad Hruſztanum Paſſam poſtulavimus, ut ei tam de ſuo, quam de Principis ſui ſalvo reditu, pro legatorum officio, gratularemur, habentes interim conſtitutum, ut eidem rem quoque noſtram cum dexteritate in memoriam revocaremus, & ejus finem totis viribus juxta mandatum urgeremus. Sic tandem Junii ejusdem IX. quum appuliſſet, tertio, duos potiores interpretes publicos Ibraimum Polonum, & Ferhattum Hungarum ad nos miſit, qui quum plura, & varia nobiscum contuliſſent, captati fortaſſe initio quippiam de his (uti plane apparebat) quæ ad agendum haberemus, ſubdidere tandem, Paſſam nunciaſſe, de aditu ad ſe nos non laboraturos, quippe qui nobis ſemper pateret. Si quid tamen novi ad tractandum haberemus, ſignificaremus illi, ſin minus, fruſtra nos eum cum veteribus adituros, quæ dudum intellecta probe tenerent.

Cum nos haud difficili conſideratione aſſequuti, quorſum hujusmodi jacularentur, quove res etiam noſtra eſſet evaſura, ſi, quæ ad ipſum Paſſam Hruſztanum privatim, publiceque ad omnes ceteros coram agitanda haberemus, ea non a nobis, ſed ab internunciis, hominibusque non noſtris, ſed eorum cognoviſſent, renunciavimus. Conſtitiſſe ei his etiam poſtremis a Majeſtate Veſtra allatis literis, ita nos hoc tempore eſſe ejusdem Oratores, ut a principio fueramus, habereque eodem modo, quod agamus nunc in hoc Pacis negocio, ut hactenus per totum ejus curſum habuimus. Eaque cauſa quia nos ad Magn. hujus

Principis, & ad ipſos Dominos ejus Paſſas, ſummos Vezirios, quorum ipſe Hruſztenſis Principatum teneret, miſſi ſumus, & non ad alios, optaremus ad eos deduci, ut coram audiremur, non autem per Internuncios.

Viſum autem eſt, ſic ei eſſe reſpondendum, quia ſæpius ante adventum Michaelis Molnár dictitaverat, nos veteres eſſe Oratores, nec jam quicquam neceſſariorum mandatorum habere, oportereque Majeſtatem Veſtram adhuc alium quempiam oratorem mittere, & ſubmittere oportuniora ad Pacem componendam mandata.

Die tum poſtero, quæ fuit X. Junii, quum fuiſſet Baſſa his aſſenſus, privatim nos admiſit. Ubi gratulationis officio perfuncti, hujusmodi eum compendio alloquuti ſumus: quoniam dudum ejus Do. perlegerit, quæ proxime ad nos Majeſtas Veſtra ſcripſit, exiſtimare nos, ea non eſſe jam denuo repetenda, & duo tantum Majeſtatem Veſtram his literis declarare voluiſſe, alterum, quod Majeſtas Veſtra etiam nunc eodem eſſet Pacis, atque amicitiæ hujus Principis deſiderio, quo jam fuit ab integro quadriennio, alterum, quod ea omnia eidem Veſtræ Majeſtati placuiſſent, grataque, & rata eſſent, quæcunque nos ad hoc tempus cum illis apud eorum Principem egiſſemus, agemusque etiam impoſterum, donec tota res finem ſortiretur. Poſtremo, quia quæ ad hanc ipſam Pacem componendam, quantum ad partes Majeſtatis Veſtræ attineret, honeſteque & commode pro utrisque fieri poſſet, ſatis abunde eis expoſuerimus, nullo adhuc reſponſo habito, nunc ad poſtremum juſſos eſſe, ut reſponderi nobis curaremus, adjectis ad hæc etiam aliis quibusdam, præſertim vero de fiducia Veſtræ Majeſtatis, quam in

eodem

Digitized by Google

eodem Paſſa haberet, oſtentati accuratius, totam rem in ipſo eſſe collocatam, ab eoque exſpectari omnia, conciliantes utique hominem noſtræ cauſæ. Nihil alioqui interim omittentes, quod ad tuendam, fortiterque eandem promovendam agere nos conveniret.

Quæ ad hæc Paſſa reſpondit, vultu ſatis placido, minimeque turbulento, ea paucis, curſimque fuere dicta, monitis nobis adhuc initio congreſſus, ut eo tum eſſemus breviores, quod nobis auditis, arduum quodpiam negocium illi incumberet, nec vacare diu nobis poſſet, quæ tamen attigit, ea hujusmodi fuere, notatu ſane non indigna. Jam diu nobis, ſi meminerimus, eſſe reſponſum, nihil videlicet Principem eorum hoc etiam tempore Majeſtati Veſtræ in Hungaria permiſſurum, quæ ad Budam Regno antea integro pertinuiſſe conſtarent, nosque ea cauſa omni prorſus cura Hungariæ poſthabita, his jam de rebus ageremus, quæ Auſtriam, Moraviam, & alias Veſtræ Majeſtatis provincias Hungariæ vicinas concernerent, ſi ejus pace, atque amicitia frui vellemus. Quumque illi, hoc ipſius orationis contextu, nos quoque daremus reſponſa, digna fide, atque officio noſtro, & qualia ab eo propoſita merebantur, haudquaquam ſuccumbendo, intulit, non omnino ſine aliqua latente, malique animi energia, eſſe Augerium Alemanum hominem, nec mirari ſe, quod rem Veſtræ Majeſtatis tantopere, tamque fortiter tueretur. Verum duos collegas ejus reliquos, Verancium, & Zay etiam indigne, minusque recte agere, quod, quum ipſi eſſent Hungari, ſubactique a ſuo Principe cum ceteris Hungaris forent, idipſum tamen agere pergerent, quod Augerius, nec agnoſcerent ſe ſe ipſius ſui Principis mancipia.

Digitized by Google

Ad hæc nos quoque, quod opportune potuiſſemus reſpondere, & ſi non deerat, ne quid tamen perturbationis attuliſſemus publico negotio, præſertim id temporis, quando jam nobis tota res in ipſo cardine verſaretur, temperavimus, atque ei ſic reſpondimus. Satis nos bene intelligere, quinam eſſemus, ceterum ea tantum agere, quæ ab Rege noſtro in mandatis haberemus, quæque ſciremus eſſe noſtri muneris, quibus ipſe non admodum attente exauditis, niſi forte ſimulaverat, ſubiecit, ſe nihil tandem his ex verbis noſtris percepiſſe aliud, quam quod redeundi poteſtatem peteremus, de quo poſtea plura eſſet nobiſcum loquuturus, hisque dictis, abitum nobis manu demonſtravit, nosque ab eo receſſimus, ſatis dubii quemnam eſſet res noſtra finem habitura. Quumque poſtea plures dies ſedentibus nobis inaniter elabi incepiſſent, nec quicquam omnino intelligeremus, quid eſſent acturi, haud dubie denuo nos diutius neglecturos, & rem novis dilationibus, ſilentio nobis impoſito, ſuſpenſuros arbitrati ſumus, quamquam alioqui non deſtitimus interim, quotidie fere cum antedictis interpretibus dedita opera expoſtulare, ut per eos querelæ noſtræ deferrentur, ſed quum hac ratione parum proficeremus, ejusmodi in Divanum ad eosdem Paſſas die Junii. XX. ſcripto deſtinavimus, nimirum quoniam duo jam menſes eſſent ab adventu tabellarii Veſtræ Majeſtatis, quem optaverant, nec adhuc tamen ab ipſis producti fuiſſemus ad agenda, quæ hoc præſenti tempore officium noſtrum poſtularet, valde nos metuere, nequid nobis æqualiter, tam ab ipſis Paſſis, quam a Veſtra Majeſtate imputetur, ſi diutius inaniter ſiluerimus, remque ac finem legationis noſtræ curare neglexerimus. Eos propterea rogare nos magnope-

gnopere, velint jam tandem adeundi ſe ſe facultatem facere, ut quæ haberemus cum illis ad agendum, ea tempeſtive ageremus, & transigeremus, ne, ſi ſub hac dilatione, & mora inopinatum quippiam apud confinia emergeret, omnis primum in nos Miniſtros, deinde in ipſam Majeſtatem Veſtram Regem, ac Dominum noſtrum, culpa conferretur. Nec fruſtra quod putamus, uſi hoc ſtimulo, XXVIII. dicti Junii, jam prope nihil ſperantes tale, Paſſa nos in Curiam cum munere, de quo proximis literis ſcripſimus, venire juſſit, nuncians, quod ad Principem quoque eſſet nos deducturus.

Profecti itaque in Curiam, munereque eodem pro decore, ac dignitate Majeſtatis Veſtræ illato, primum Paſſas, pro more gentis convenimus, hujusmodique ad eos verba habuimus, quamdiu videlicet, quamque diligenter, ſincereque Majeſtas Veſtra perſeveraverit hactenus in deſiderio, & petitione pacis hujus eorum Principis, ſatis jam abunde univerſo Orbi cognitum eſſe, nedum ipſis Paſſis, atque ipſorum Principi. Ideoque quia Majeſtas Veſtra ſemper, ad hoc usque tempus, fruſtrata fuerit hujusmodi deſiderio, & petitione ſua ſane quam ſincera, & candida, nec jam eandem poſſe diutius pendere dubiam, inter præfatæ Pacis ſpem, & deſperationem, nunc poſtremo tandem certior fieri per nos decreviſſet, ſi ſit memoratam Pacem habitura, nosve, miſſo huc, potiſſimum hac de cauſa præſenti etiam Nuncio ſuo cum literis, firmiſſime mandatum nobis, ut ſi eo modo dicta Pax Majeſtati Veſtræ non concederetur, qui modus ſæpe jam numero a nobis fuiſſet ipſis declaratus, etiam non impetrata ipſa Pace, dimiſſionem peteremus, & rediremus omnes. Nosque volentes hujusmodi Veſtræ

Ma-

Majeſtatis obedire mandatis, hæc omni cum honore, & reverentia eis exponere, rogantes, ut Pacem eorum Principe nulla ratione concedere volente, vellent ſaltem ipſi Paſſæ petitionem noſtram deferre ad ejus Mag. noſtroque apud eandem nomine intercedere, ut juxta Salvum conductum, verbo ſuo pro nobis Veſtræ Majeſtati datum, dignaretur tandem nos abſolvere, & dimitti benigne facere, ne hic diutius, hac inutili mora tempus, atque operam conſumentes, domi etiam Majeſtatem Veſtram graviſſime offenderemus.

Tum Hruſztanus, mirari ſe, inquit, quod quum diu jam continenter ab eis audiamus, Principem eorum nihil prorſus in Regno Hungariæ Majeſtati Veſtræ velle concedere, quæcunque antea pertinuere ad Budam, de hoc tamen nos nondum ceſſaſſe loqui. Ubinam aliquando vel legerimus, vel viderimus, elapſorum temporum Principes devicta Regna, atque Provincias hoſtibus poſſidenda remiſiſſe? vosque quonam pacto Imperatoris noſtri quæritis amicitiam, qui Regnum gladio ejus acquiſitum, & veſtigio equi percalcatum, veſtro jure, veſtraque poteſtate contenditis retinere, aliaque id genus plura, brevi in fine cohortatione adhibita, ut perſpiceremus bene ea, quæ nobis dicerentur, illud haud dubie innuendo, & inculcando, ut Pacem pro ipſius, atque ejus Principis arbitratu, & quæreremus, & acciperemus.

Ad quæ nos, vitando ea, ex quibus novæ, & prolixæ diſceptationes duci poſſent, quum nihil prope jam ſit relictum nobis, quod cum eis de Hungaricis rebus toties non excuſſerimus, paucis reſpondimus: Majeſtatem Veſtram jam inde a penetrata eorum Principis in Hungariam potentia, eo-

dem

Digitized by Google

dem Principe non invito, libenter, & pacifice prius viciniæ cauſa per amicitiam tantum, deinde per fœdera, muneraque honoraria Hungariam tenuiſſe. Sæpe etiam poſtmodum, eundem eorum Pricipem tum nunciis, tum literis ſuis liberam facultatem Majeſtati Veſtræ feciſſe, ipſam Hungariam poſſidendi, uti eam ad hoc usque tempus poſſedit, & modo etiam poſſidet, ſi Tranſs. Joannis filio, pro ejus Magnitudinis voluntate conceſſiſſet. Nunc igitur conceſſa eidem filio Tranſylvania, non quidem alia cauſa, quam duntaxat, ut Mag. ſuæ gratificaretur, cur in eadem Hungaria Majeſtas Veſtra impoſterum quoque jure non permanere poſſit, aut quam honeſte, quamve juſte ex ea detrudi debeat, præſertim, quum nos quoque, non ullo alio nomine huc transmitti voluerit, quam ut vobiſcum apud Suam Magnitudinem tractaremus, & conficeremus memoratæ jam toties Pacis reconciliationem, quantum videlicet ad ipſius Hungariæ rationes attineret, Veſtram demum Majeſtatem non eſſe ejus Magnitudini hoſtem, idque jam quadrienni Pacis petitione toti mundo palam feciſſe, & eos, ac eorum Principem non ignorare. Ceterum hoc etiam apertius eandem Majeſtatem Veſtram teſtificari, ab amicitia Magnitudinis ejus recidendi animum non habere, quod illius munificentia uti deſiderat, atque contendit, non aliter ab hoc ſuo ſtudio, & voluntate receſſura, quam coacta.

Eotum ſubjiciente quodam magis tumultuarie, & curſim, quod ad Principem ingredi omnes una feſtinabant, nosque videbant perſtare in propoſito, dixit, Majeſtatem Veſtram omnes cauſas porrexiſſe, atque in dies porrigere, propter quas eorum Principem non haberet amicum ex ſententia, quippe cujus voluntati necdum ſe ſe accomodare vellet.

Sub-

Subjunximus, nullas hactenus Majeſtatem Veſtram belli cauſas illis porrexiſſe, viaque armorum quicquid ſuperiori tempore viſa eſt attentaſſe, id & ſe,& ſua defendendi cauſa feciſſe, non conſilio lædendi aliena, quantum autem curavit accomodare ſe ſe voluntati ejus Magnitudinis, ex ceſſione primum Tranſylvaniæ conſtare, deinde ex eo etiam clariſſimum eſſe, quod hoc quoque tempore aſſidua finitimorum eorum hoſtilitate infeſtata, atque ad arma provocata, a voluntate tamen, & petitione Pacis, atque amicitiæ ejus Magnitudinis nondum deſtitiſſet. Hisque de cauſis facile ea Veſtræ Majeſtati ab ejus Magnitudine poſſe concedi, quæ poſtulat, nimirum, ut in illa Regni Parte co ſerventur adusque Tranſylvaniæ Limites, in qua permanſit hactenus, Magnitudinem eorum Principis ad ceterarum victoriarum preconia, quæ hucusque armis obtinuit, fore glorioſiorem munificentiam, & maximo ſuo tum honori, tum commodo facturam, ſi hinc Joannis filio in altero terræ pugno collocato, hinc in altero Majeſtate Veſtra permiſſa, æque utrumque amicum ſibi confirmandum cenſuerit.

Ad quæ nullo firmo reſponſo dato, ſurrexerunt, nosque ad Principem deduxere. Apud quem, quum habuiſſemus loquendi poteſtatem, ſæpe ante expetitam, hoc tempore ſumme etiam opportunam, quo Principem ipſimet per nos de ſumma totius rei coram ſerio alloqueremur, Augerius (uti aliis noſtris perſcripſimus) ſic ad eum verba fecit. Sereniſſimus Rex noſter, maxime, & potentiſſime Princeps, plurimam ſalutem, & felicitatem Magnitudini Veſtræ precatur, eidemque mittit munera, ut intelligat Magnitudo Veſtra, neque nunc deeſſe voluntatem Majeſtati Suæ, neque ad honorandam Veſtram Magnitudinem defuturam. Petit autem Ma-

je-

jeſtas ſua a Magnitudine Veſtra bonam Pacem, & amicitiam, & ut, quemadmodum Majeſtas Sua primo Voto Magnitudinis Veſtræ Tranſylvaniam libenter concedit filio Joannis Regis, ſic e contra Magnitudo Veſtra reliquam Hungariam ſub annuo munere honorario Majeſtati Suæ concedere non gravetur. Nihil enim tam magnum eſt, quod Majeſtas Sua a tanto, & tam magnanimo Principe impetraturam ſe non confidat, quod ſi tamen id obtineri non poſſit, quandoquidem aliud, quod amplius agamus nos non habemus, tunc ſummo ſtudio rogamus, ut ſaltem Magnitudo Veſtra nos Oratores ſalvos, & incolumes ad Regem, Dominum noſtrum, & in Patriam diu deſideratam redire permittat, ſecundum morem omnium gentium, ſecundum ſalvum conductum Magnitudinis Veſtræ, & ejusdem Magnitudinis Veſtræ laudatiſſimam conſuetudinem.

Quæ quum ſumma attentione, mitique, & ad benevolentiam quandam, vix unquam alias ita vultu erga nos compoſito, audiſſet, appareretque, quod plura etiam loqui nos, ſi voluiſſemus, fuiſſet paſſus, nos tamen veriti, ſecus eam nobis audientiam ſucceſſuram, memores Amaſianæ nimis ſeveræ, ac tetricæ, quod præſertim ne nunc quoque illius votis eſſemus morem geſturi, paſſurique in ejus voluntate pertrahi, mnudam rem, eamque paucis comprehendendam nobis eſſe duximus. Quamquam quæcunque alia his adjeciſſemus, verba tantum, & phaleræ extitiſſent, quæ quidem, quum apud hos nullum locum ſoleant obtinere, quæ eis adverſantur, ne umbram quoque eidem ſcilicet adjicere voluimus, ut ſimplicitate ſua efficacius animo ejus, quod vellemus inhæſiſſet, ſic demum & Peroratione noſtra, & relatione interpretis admodum benigniter expectata, paucis reſpondit, viſurum ſe ſcilicet, & reſponſurum nobis. Die

Die poſt quinta, quæ fuit Julii III. ad Hruſztanum, Paſſam accerſiti ſumus, ubi nobiſcum modeſte, placideque horam ferme integram colloquutus, eam tandem conditionem Pacis, quam ſuperioribus literis noſtris de Agria, Palota, & Zygeto attigimus, non ſine quodam artificio, prius per varia divagatus propoſuit, ſumpto ab his verbis exordio, ſi videlicet ſic eſſet, quod Majeſtas Veſtra tantam in ejus opera, atque amicitia fiduciam haberet, quantam nos diu jam eandem habere ſæpenumero teſtati ſumus, ac teſtaremur etiam tunc, par quidem eſſe, ut etiam conſilio ipſius uteretur, nosque pariter acquieſceremus, ſi rite utilitati ejusdem Veſtræ Majeſtatis proſpiceremus, aliaque id genus cetera, quæ quum literis noſtris ſuperioribus latius complexi ſumus, his eſſe repetenda non duximus, utpote jam abunde cognita, verum accuratius fuit, quod non ſcripſeramus, nobiſcum de nobis queſtus, per duritiem nimirum noſtram ſtetiſſe, quominus hactenus de Pace quicquam concluſum fuerit, quippe qui nunquam bene monenti aſſentiri voluerimus, in eas tandem erupit minas, ut Imperatorem eorum anno inſequenti cum tota ſua potentia, exſpectaremus in Hungaria, niſi conditionem his de tribus locis, ſæpe jam nominatis acciperemus, idque nobis eſſe faciendum, quod ipſe ſuaderet, ſi ſaperemus, & commodis tum Veſtræ Majeſtatis, tum ſubditorum ſuorum quieti, ſecuritatique conſulere ſatageremus.

Cui nos de induſtria reſponſo ad bellicas minas non dilatato, vitantes contentionem, ſæpe jam fruſtra cum illis habitam, ſive in Deum rejecto illius exitu, cujus providentia res etiam Chriſtianæ regerentur, & ſuſtentarentur, ſubiunximus, neminem melius commoda Veſtræ Majeſta-

tis,

tis, ac ſubditorum ſuorum quietem, ſecuritatemque cognoſcere, ipſa Veſtra Majeſtate, & ſubditis ejus, noſque in obeundis mandatis domini, ac Regis noſtri, non debere eodem velle eſſe ſapientiores, ſed tantum & ſapere, ſcireque, ac præſumere, quantum intelligeremus eſſe ejus voluntatis. Ut autem & ſubditi Veræ Majeſtatis, qui illam in Regem ſuum elegerunt, fidei, regiminique illius ſe ſe ultro publicis votis ſubdiderunt, vicisſimque Majeſtates Veſtra eisdem omnem ex ſe ſe tutelam, libertatemque vetuſto jure gentis concedi ſolitam repromiſerit, ita certe non aliam & ſubditorum Veſtræ Majeſtatis quietem, ſecuritatemque agnoſcere, firmamque judicare, quam qua ſub chriſtiano principe ſuo frui poſſint. Hincque fieri, quod nec Majeſtas Veſtra fideles ſuos ſubditos ulla ratione honeſte queat deſerere, nec eandem iidem ſui ſubditi, qui ſacramenti datæ fidei meminerunt, accepta autem a Majeſtate Veſtra Agria, Palota, Zigeto, & hæc intra loca, eidem limite poſito, quid hoc eſſet aliud, quam tota exceſſiſſe Hungaria, nempe quando ex urbe Viennenſi, & fines ditionis, ſibi factæ reliquæ, quotidie facile cerneret, & uno ſagittæ ictu pertingeret? quod majeſtatem ſuam facere, quam ſit abſurdum, vel ipſimet non ignorarent, qui tam mordicus ſua retineant, & tueantur, eaque cauſa ne nos quoque, ut voluntatis Veræ Majeſtatis bene memores, vel cogitare de hoc, nedum loqui audere, & poſſe.

Tum ille omiſſis, quæ nos dixeramus, ceteris, & quænam, inquit, iſta eſt Regis veſtri electio? nonne Imperator noſter devicto Rege Ludovico totius regni Hungariæ ſit factus dominus? (in quem lapidem ſæpiſſime impingunt, ægerrime ferentes, non

non ſolum eſſe Majeſtatem Veſtram, legitimum Hungariæ Regem, ſed etiam dici) unde nos hoc etiam tempore coacti nonnulla de conſuetudine, & jure quorundam regnorum inter chriſtianos attingere, quod eis eſſet in eligendis Regibus, adhibita obiter etiam hæreditariorum ratione, edocuimus eum non invitum, tametſi paucis, jus utrumque majeſtatem veſtram in regno Hungariæ obtinere, nec eo ſe poſſe dejici ſine magno & ſuo, & ſereniſſimorum filiorum ſuorum præjudicio, quo autem eadem majeſtas veſtra in dicto regno Hungariæ & jure ſuo, & principis eorum munificentia pacifice, libereque ſub annua muneris honorarii penſione permanere poſſit, ut permanſit hactenus, ad eas Majeſtatem Veſtram cum ſua Magnitudine conditiones deſcendiſſe, quæ jam dudum a nobis, ut ſufficientes, & idoneæ ad conſtituendam pacem tanto candore quæſitam, pronunciatæ, locum ſane merito habere a quadriennio debuiſſent, præſertim quum facta jam Tranſylvaniæ ceſſione Joannis filio, in ejus Magnitudinis deſiderium, duorum quoque annorum munus honorarium, quod belli cauſa, a finitimis ſuis moti, erat intermiſſum, jam dixerimus non eſſe eidem Magnitudini ſuæ negaturam; videlicet ſi ſuo etiam viciſſim voto ab eadem amice reſpondebitur.

Ad quæ, quum reſpondere diligentius velle videretur, ſubitoque quodam quaſi furore percitus, ab duorum annorum intermiſſione penſionis honorariæ ſumpto dicendi principio, nimirum quod merito ea penſione Majeſtas Veſtra obligaretur, uti debita, ejusdemque culpa a ſuo curſu impedita, forte Beglerbeghus Græciæ intervenit, inceptoque mox ſermone alio, oblivione, an ſtudio, neſcimus eum tamen ad ea vertit, quæ non admodum momenti

ma-

maximi, ad ſtatum peculiariter noſtrum attinerent, cauſa demum ſciſcitata, cur tam ſolliciti, dimiſſionem peteremus, eo eſt provectus, hoc, atque illud differendo, ut inferret, nihil nobis deeſſe, affatimque eorum principem omne genus annonæ, pabulique, & quod tum noſtro, tum jumentorum noſtrorum reliquo victui neceſſarium foret, ſuppeditare, & quædam alia hujusmodi, haudquaquam conditioni illius decora, præſertim teſte Beglerbego, & in faciem nobis.

Cui nos quoque convenienter reſponſum facturi majore nonnihil etiam ob præſentiam tanti teſtis, diximus, eo nos dimiſſionem ita ſedulo poſtulare, quod a Majeſtate veſtra juſſi eſſemus, quando jam hic tanto tempore fruſtra conſumpto, videretur nihil nobis de perficienda pace ſuccedere. Ceterum nos de bona tractatione Magnitudini ſuæ, & ipſi Domino Paſſæ ingentes habere gratias, verum eſſe nobis domi etiam noſtræ, quod edamus, & bibamus, eaque cauſa non veniſſe nos huc, ut ederemus, & biberemus, ſed ut de pace ageremus, eaque vel concluſa, vel non, mox poſtmodum ad Majeſtatem Veſtram rediremus.

Non obſcure hic erubuit, re tamen, ſubridendo, in jocum verſa, jactatis modo in Beglerbegum oculis, modo in nos, reſpondit, non ideo fuiſſe ſe ſic loquutum, quod hæc nobis exprobraret, aut quod ignoraret, domi nos non eſſe inopes; verum ſolere ubique gentium in oratores declarari, quocunque animo in eorum principes eſſent ii rerum domini, ad quos fuere miſſi, fierique ea in nos, quæ fierent non noſtra, ſed Regis noſtri cauſa, quæ quidem omnia æquum eſſet nos agnoſcere, & boni conſulere, minimeque etiam gravari hac dimiſſionis noſtræ mora,

ra, quum exſtet memoria, alias quoque Hungarum quempiam oratorem, per ſeptennium integrum apud eos fuiſſe habitum, idque non alia de cauſa, quam ut interim res utriusque partis commodius eum finem ſortiri potuiſſent, qui utrique ceſſiſſet ex ſententia, quemadmodum hoc etiam tempore nobiscum ageretur.

Nos hoc, ut jam ſæpe antea ab interpretibus auditum, ſine reſponſo præterire non paſſi, ne ratum habuiſſe viſi fuiſſemus, recte id eum quidem afferre in medium, ſubjunximus, ſic eſſe ſane, ut diceret, verum ſcire, nunc etiam Hungaris eam oratoris illius, qui fuit Barnabas Bellay nomine, detentionem in mentibus hærere, eaque non leviter offendi, & dolere pariter, quod illud exemplum vetus, ne tunc quidem in laude habitum, in nobis modo renovetur, tanto præſertim ſalvo conductu, & tanto principis verbo, ac bonitate fretis, quod certe fieri pro æquitate, & omnium gentium jure non deberet.

Tum ille induciis quinquennalibus, ſucceſſu Tranſylvaniæ, caſu Malveſii, noſtro tempore, & dehinc omnibus hujusmodi exteris ordine repetitis, & in diſceptationem adductis, omnes principis ſui inimicitiarum contra Majeſtatem Veſtram cauſas ex hisdem rerum interventis fuiſſe egreſſas, comprobare nitebatur, dicens, eundem principem ſuum pacem illam inducialem cum Majeſtate Veſtra, & cum Majeſtate Cæſarea non ſua neceſſitate, commodove aut ſuo, aut ſubditorum ſuorum, ſed Venetorum, Raguſinorum, Genuenſium, ceterorumque ſimilium partim amicorum, partim ſociorum ſuorum, inſulas, & oras maritimas incolentium, ſecuritati, atque otio conſulturum pepigiſſe, quod quidem nos haud ſci-

ſcimus quid attinebat de his tribus populis commemoraſſe, quum arma Veſtrarum Majeſtatum chriſtianos non ſoleant infeſtare, ſic ei tamen dixiſſe placuit, illud adjiciendo, pacem eandem non a ſuo principe, ſed a Majeſtate Veſtra fuiſſe interruptam, verum poſtea & Tranſylvaniæ controverſia, & Malveſii ærumnæ, & hæc demum noſtra diuturnior detentio, aliaque multa turbulenta in finibus noſtris fuiſſent cauſata, & conſequuta, contortaque ad poſtremum culpa omnium in Majeſtatem Veſtram, intulit, nullam eidem impoſterum fidem eſſe adhibendam, nihil etiam in Hungaria concedendum, jusque omne libertatis, vitæ, ac mortis noſtræ nec jam in Majeſtatis Veſtræ eſſe poteſtate, nec in noſtra, ſed in ipſorum principe, quo ne ſalvo conductu tantopere niteremur, nihil hunc jam prodeſſe nobis, ad ſex menſes illum fuiſſe datum, nosque his elapſis, mox in eorum arbitrium conceſſiſſe, foreque impoſterum, dum eorundem principi libuerit.

Hæc tam acriter circa finem colloquii enunciata, ſerione, an diſſimulanter gratia Beglerbeghi protulerit, quod haud dubie ita fuiſſe, alter interpretum ſuperiorum nobis affirmavit, nos omnino dubitavimus, at ne quid hoc ultimo ſtatu rerum muneris noſtri deceſſiſſe nobis conſtantiæ, nosque adhuc habere in arcanis, quod neceſſitate eſſet nobis remittendum, exiſtimaſſet, qua quidem ſpe, & cogitatione ad extremum usque deſtitui minime potuerant, ut potentia inſolentes, nos quoque paulo efficacius reſpondimus. Hæc nimirum verba ſi Princeps eorum ad Majeſtatem Veſtram plane perſcripſiſſet, quando nos ad ſe deducebat, ſciret ipſe Paſſa, longe alio conſilio Majeſtatem Veſtram fuiſſe nos huc miſſuram, aut fortaſſe ne miſſuram quidem.

Digitized by Google

De authoribus vero violatarum induciarum quinquennalium, quique inter Majeſtatem Veſtram, & Magnitudinem eorum principis diſſidiorum cauſas præbuerunt, eos nos, quia ſæpe jam in finitimis ipſorum eis demonſtravimus, nec putemus neceſſarium eſſe, toties hujus controverſiæ veritatem retexere, cui nunquam hactenus locum dare voluerunt, nunc nos omnia ſtudioſe præterire. Verum ſi præteritarum turbarum cauſas, de quibus ad nos nihil attineret, in nos Magnitudo ſua conjiciet, nosque ſalvi ſui conductus jure, & fiducia ſpoliabit, quo liberos, ſecurosque ad ſe venire voluit, liberosque & ſecuros ab ſe dimittere verbo ſuo promiſit, pace vel confecta, vel infecta, potentia id quidem poterit facere ejus Magnitudo (in ipſius enim manibus ſumus) an tamen juſte, honeſteque, & ſine ſuggillatione nominis ac famæ ſuæ poterit, videat.

Ad quæ dum reſpondere incepiſſet, digreditur Beglerbegus, indeque ab hoc argumento rerum abductus, denuo cæpit nos identidem monere, & cohortari, ut ſi rebus Majeſtatis Veſtræ rite conſulere vellemus, conſilio ipſius aſſentiremur, & ſic dum ipſe a ſuo inſtituto non recedit, in noſtro nos perſiſtimus, dimiſit nos, adjiciens, quod de his ad principem eſſet relaturus.

Toto tunc nos accuratius conſiderato, Paſſæ Hruztani habitu, quo ſe ſe nobis exhibuerat, ſpe jam dudum & e publicis, & e privatis locis non levium amicorum relatibus imbuti, quod illis ipſis Divanis expediri omnino deberemus, haud dubie ipſi quoque id futurum credidiſſe nonnihil videbamur. Tamen & his, qui tunc habebántur, & conſequentibus fruſtrati ſumus. Et quia dum hæc aguntur, allatum eſt, jam adventare oratorem Perſiæ, cujus

cujus fama ſub reditu principis hujus prorſus obticuerat, appulereque etiam Joannis filii nuncii, Temesvarum ac Lyppam, limites ſiquidem antea illi traditos ad Tranſylvaniam poſtulantes; denuo cæpimus de dimiſſione noſtra deſperare, exiſtimantes hinc nova impedimenta nobis exorta eſſe, verſique tota ſollicitudine ad inveſtigandum, quidnam ſe ſe expeditioni noſtræ tam repente interpoſuiſſet, forte Ibraimus interpres convenit nos tum eodem, quo ſumma diligentia rogato rei hujusmodi tam inſperatæ cauſam, reſpondit prorſus ſe ignorare, & nihil ſperaſſe tale, niſi ſi Paſſæ prius a nobis operirentur reſponſum de tribus locis, quam accerſeremur, ſeque putare, non alienum nos facturos, ſi eos ſcripto admoneremus noſtri negotii, Paſſa enim Hruztanus, poſtquam nobis Agriæ, Palotæ, Zygethique propoſuiſſet conditionem, ut Majeſtati Veſtræ clarius ratio de hac expectatione reſponſi exponatur, hortatus etiam fuerat nos, ut biduum, triduumve in hoſpitio deliberaremus, quid in hoc animi haberemus. Nos vero oſtenſuri Majeſtatem Veſtram omnes conditiones, quæ & juxta petitionem noſtram, ſæpius jam apud eos factam, & ſecundum mandata Veſtræ Majeſtatis tum initio, cum non ita pridem nobis data, de toto loquerentur, aſpernaturam, neve etiam ſpei quippiam injiceremus illis, quod non ægre adhuc poſſemus ab inſtituto propoſito dimoveri, quantulamcunque regni portiunculam veſtræ majeſtati promiſiſſent, modo conceſſa etiam pace, diximus, non egere nos ea deliberatione vel momento minimo temporis, quum actutum eodem loci paratiſſimi eſſemus ad reſpondendum, uti & reſpondimus juxta præmiſſa.

Uſuri nihilominus conſilio interpretis, & diligentia noſtra, minime ſegniter jam incepta ad obtinendam expeditionem, hæc ad Paſſas XII. Julii transmiſimus. Nimirum quia jam nos ad ea, quæ nobis proxime fuerant propoſita abunde, & finaliter reſponderimus, nec eſſe quicquam, de quo alia a nobis deliberatio ſuper illa re expectetur, poſtquam ea negentur nobis, quæ jam toties ab initio, uti promiſſa, atque adeo etiam debita poſtulaverimus, eorum nos illuſtriſſimas dominationes magnopere rogare, dignarentur tandem nobis a Magnitudine ſui principis, vel benignum reſponſum cum eorum conceſſione impetrare, quæ (uti jam diximus) diu peteremus, vel ſaltem juſtam dimiſſionem pro clementi Magnitudinis ſuæ promiſſione obtinere. Quandoquidem & tempus jam ipſum nimis ſane longum fruſtraneæ detentionis noſtræ, & omnis tam divina, quam humana æquitas poſtulet, ut hujusmodi dilationibus finis imponatur.

His noſtris literis in Divano lectis, quid tandem agendum Paſſæ de re noſtra cenſuiſſent, nihil prorſus intelleximus, quum ne verbo etiam unico quicquam nobis renunciare curarint. Ciaus Baſſy tantum, qui Divanorum tempore ſummi cujusdam apparitoris Paſſarum obſequia juxta morem gentis obire ſolitus, & literas noſtras intulerat, ſuo nobis renunciarat nomine, dixiſſe Paſſas, brevi ſe noſtro quoque negotio operam daturos. Quo reſponſo non contenti, ſollicitavimus etiam interpretes, quidnam dixiſſent Paſſæ ad noſtras literas, numve quippiam reſponſi per eos transmiſiſſent. Sed ne iis quoque habentibus, quod ex mandato eorundem Paſſarum referre poſſent, per totam interim urbem increbuit, deferrique etiam ad nos inceptum eſt, haud dubie

ex-

peditionem noſtram per id tempus futuram. Sed Paſſas duo expectare: feſta Bairani, quæ jam jam imminebant, & adventum Perſæ oratoris, qui etiam non longe aberat, fierique alterum partim propter exiſtimationem eorum, partim ut nos Perſæ potentia, Perſam vero noſtra territent, nihilo ſane diſſimilius quam Amaſiæ, utrosque in ſua vota pertrahere enixuri.

Alterum vero epuli gratia, quod legatis, cum quibus pacem jam habent conſtitutam, publico in Curia, expeditionis eorum tempore ſolent exhibere, quia tunc jejunii ſui religione prohibiti, quo noctibus duntaxat veſci morem habent, exhibere fas non fuerat, quod utrumque etſi non erat tale, ut magni fieri debuiſſet, quod & alterum frivolum duximus, & vehementer execrati ſumus, poſtquam unius, aut ad ſummum duarum horarum epulo tanti momenti rem in mora retinere oportuiſſet, quum tamen nec obtinere, quod vellemus, poſſemus, nec ulla nobis ad extorquendum vel via erat, vel ratio, coacti ſumus hoc etiam tempus operiri, & credere, quando ſic volebant, maxime his nos morari de cauſis. Cui moræ XII. diebus datis, Paſſas denuo ſub ipſo Bairano monuimus per literas. Multis nos verbis nolle jam eos moleſtare, verum pauciſſimis rogare, ut expeditionis noſtræ meminiſſent, & nobis juxta promiſſionem proprio ore principis eorum reſponderent, quum jam aliud non haberemus, quod nobis eſſet expectandum.

Verum ad hanc etiam petitionem noſtram, quum omnino ſiluiſſent per triduum, duximus eſſe excuſandos ob celebritatem Bairani, quod feſtum ſummum, & fere unicum toto anno habere conſueverunt. Prima tamen die Auguſti iterum ad ſollici-

Digitized by Google

tandos converſi, hæc ad interpretem Ibraimum paucis ſcripſimus, adiret privatim ſupremum Paſſam mox lectis noſtris literis, & cum ſumma inſtantia rogaret noſtro nomine, vellet jam tandem ſerio expeditionem noſtram promovere, ac ſcire detentionem noſtram ibidem ita diuturnam, atque indignam, nullum rebus communibus afferre commodum, quicquid interim aliud animo ſuo vel princeps ejus, vel ipſe volutaret, ceterum ut, quæcunque nobis reſpondendum commiſiſſet, id ad nos extemplo perferre non gravaretur.

Mature tunc functo interprete officio ſuo, Perſæ quoque orator appulit Scutarum, eaque adhuc ipſa die, poſtquam domum e Divano redierat, nos etiam juſſit ad ſe accerſiri, & his eſt verbis alloquutus. Vos quandoquidem Magnitudinem principis mei pro pace, & pro expeditione veſtra tantopere urgetis, ego quoque jam hoc utrumque vobis impetravi, ſed non ſine maximo labore, atque induſtria, quia & exteris Paſſis collegis meis inſciis, qui ad bellum magis, quam ad pacem inclinant, & opera, ac favore mulierum, aſſidue per tam longum tempus, quo vos hic apud nos habuimus, aperiendum, & inquirendo occaſiones, quibus animum principis mei ab expeditione contra vos facienda, quam omnino molitur, & habiturus eſt procul dubio, niſi meum conſilium receperitis, avocare, & ad pacis voluntatem transferre poſſem. Unum igitur Zygetum eſt in medio, quod ſi loco ſuo non ſummovebitur, pax quoque memorata nullo pacto componi poterit. Ea enim arx, quum in ſe ab initio ſemper Haidones, & Prædones foverit, & fovet etiam modo, qui latiſſime per ejusdem principis mei fines graſſantur, nec idem jam illam diutius poteſt tollera-

re,

re, decrevit omnino aut bello, aut conditionibus, pacis eradicandam.

Quare Augerio collega veſtro hicapud ſe retento dum res tota perducetur ad finem, curamque eorum habebit, quæ interim occurrerint, vos duos Verancium, & Zay jubet ad Regem veſtrum proficiſci, & referre illi: eſſe ejus magnitudinis voluntatem, ut primo quoque tempore, deductis ex ea ipſa arce Zygeth præſidio, ac munitionibus eandem etiam demoliatur, atque diſturbet. Miſſis deinde iterum oratoribus, & per eos duorum annorm munus honorarium, cujus erat intermiſſa penſio, ſic demum pacem ſecum perpetuam his conditionibus habiturum, quibus priorem habuerat. Eainſuper Hungariæ parte in ſua poteſtate retenta quam modo retineret, cumque his limitibus, qui conſtituentur poſtea inter ſuos, & Regis veſtri fines. De munere autem annuo impoſterum pendendo, quod vult ſibi augeri, deque omnibus aliis, quæ ad ipſam pacem attinebunt, cum iisdem oratoribus, & cum hoc, ſimul qui hic remanebit, tranſigetur, nimirum ſi Rex veſter his conditionibus annuerit.

Nos hisdem conditionibus non contenti, ut quæ haud quaquam convenirent cum conmiſſionibus Veſtræ Majeſtatis, perturbationem animorum noſtrorum non exiguam vultibus demonſtravimus, innuentes & indignas, & ab æquitate eſſe alienas, verum antequam ad propoſita ejus reſponderemus quicquam, primum omnium placuit de limitum poſitione, de quibus fecerat mentionem, clarius informari, quærentes, occaſionem, qua nos etiam pari ratione clarius eidem explicaremus, cum alioqui ſæpius antea declaratum, quosnam & princeps ejus Majeſtati Veſtræ in Hungaria limites promiſerat, remiſſa Jo-

annis

annis filio Tranſylvania, & quibus rationibus memoratam pacem iter ejus principem, & Majeſtatem Veſtram rite firi oporteret, quove etiam Majeſtas Veſtra animo eſſet acceptura diſturbationem Zygethi, interrogavimus, quibusnam locis, cujusmodique limites eſſent poſituri, reſpondit. Velle ſuum principem, ut, quæ Majeſtas Veſtra de regno Hungariæ in ſua ho tempore haberet manu, ea libere, pacificeque retineret, quæ vero ipſe, & ſui dedititii, ejusdem juris eſſent, ſuo pariter nomine tenerentur. Ceterum de limitibus partiendis, ac ponendis commiſſarios viſuros, qui utrinque viri boni, primates, & periti rerum, ac ſtatus regni delegabuntur in medium.

Ibi nos altero die de duobus, hoc eſt de dimiſſione vel cum pace honeſta, petitaque, vel ſine pace, ſi quæ minus æqua, ac decora offerretur, juxta Mandatum Veſtræ Majeſtatis ſolliciti, diximus, longe nos æquiores conditiones ad eam pacem componendam a Magnitudine ejus expectaſſe, quam eſſent hæ, quas nobis propoſuerat, alios enim fines Majeſtati Veſtræ vi ſua, & rebellium opera adimere, alios per conditiones pacis ultro ſibi concedi poſtulare, quid hoc eſſet aliud, quam manifeſta impedimenta eidem paci opponere, hunc in modum limites Majeſtati Veſtræ aſtringere, & fines ejus ditionum ſibi patefaciendo, & reddendo armis ſuis obnoxios, rem nimirum contra verbum ſuum committendo, quod ab inito tractatu pacis memoratæ, ſemper haſtenus unum illud extiterit, ſe Majeſtati Veſtræ eam Hungariæ partem, quam tunc poſſidebat, quæ nos huc pacis ejusdem gratia deducebat, permiſſurum, ſi Joannis filio Tranſylvaniam conceſſiſſet, motam itaque Majeſtatem Veſtram Magni-

gnitudinis ejus benevolentia, atque amicitia, verboque ejus maxima fide habita, & oratores ſuos initio ad eundem miſiſſe pacis gratia, & poſtea Tranſylvaniam quoque Joannis filio conceſſiſſe, ſperans ſibi Magnitudinis ſuæ verbum, Hungariæ ratione datum, non defuturum, hujusmodi conceſſio Tranſylvaniæ, quum per os noſtrum publice in Divano Magnitudini ſuæ fuerit facta, meminiſſet idem D. Paſſa quanam ratione, quove tenore verborum illam fecerimus, inveniet, quod non alio, quam ut Majeſtati Veſtræ Sereniſſimæ idem ejus princeps liberam pacificamque Hungariæ poſſeſſionem usque ad limites Tranſylvaniæ permitteret, intra eosdem limites, & Giulam, & Varadinum, & quæcunque alia in illis partibus ſunt loca, intelligendo, quæ nec tractu Tranſylvaniæ comprehenduntur, nec unquam ad Tranſylvaniam pertinuere, ea vel princeps Georgius, vel quicunque alius tenuiſſet antea. Et quia Tranſylvania pueri nomine petebatur, Majeſtas quoque ſua petitionem hanc de ſola Tranſylvania ſemper ab initio intellexit, quam ſolam etiam per nos oratores ſuos, tali proteſtatione præmiſſa, reſtituit, ut niſi viciſſim Majeſtatem Veſtram ejus Magnitudo in poſſeſſione Hungariæ ita permitteret, quemadmodum & tunc ei declarabamus, & ante ſæpius declaraveramus, eadem Tranſylvaniæ conceſſio, per nos videlicet facta, fruſtranea, invalida, atque irrita foret. Ceterum alia nos ne nunc quoque a Magnitudine ſua poſtulare, quam ut Majeſtas Veſtra in hisdem Hungariæ limitibus permittatur, qui ei a Magnitudine ſua fuere promiſſi. Sic enim Majeſtatem Veſtram putaturam, pacem memoratam, & ſibi honeſtam, & Magnitudini ſuæ honeſtiſſimam futuram. Quam ſi hunc in modum ejus Magnitudo conceſ-

ſe-

ſerit, ei nos, ut oratores, & miniſtri Veſtræ Majeſtatis ſubſcribemus, ſin minus, plane ediceremus, nos his propoſitis conditionibus non aſſentiri, nec audere etiam; eas ad Majeſtatem Veſtram perferre, quandoquidem expreſſe juſſiſſet nobis, ut infectis etiam rebus rediremus, ſi cum integris, & promiſſis ab ejus principe regni limitibus pax non ei concederetur, eaque propter, alterum nos de duobus inſtanter poſtulare, ut jam tandem, ſi Magnitudo ſua pacem velit, aut pacem ipſam expedite faciat, eſſe enim jam tempus diſceſſus, aut ſi nolit, id quoque ejus Magnitudo expedite facere dignaretur. Ad utrumque nos pro mandato Veſtræ Majeſtatis eſſe paratos, nec licere ulli noſtrum hic remanere infecta pace, confecta vero, etiam juſſum eſſe, ut remaneat unus, qui hic negociis fungeretur. Fecimus hoc loco etiam de penſione duorum annorum intermiſſa mentionem, non oportere Magnitudinem ejus eſſe ſollicitam ipſius pendendæ Penſionis cauſa, quam nos ei promiſiſſemus, venturam haud dubie ſubito, ſi res pacis juxta & Magnitudinis ejus verbum, & pro voto Veſtræ Majeſtatis concluderetur, ſin ſecus, eam nos non polliceri.

Hic interloquutus Paſſa dixit, eam *Promiſſionem* Hungariæ factam quidem eſſe Veſtræ Majeſtati a ſuo Principe, & ſtaturum etiam fuiſſe promiſſis ſuis, ſi tunc Tranſylvaniam Joannis filio remiſiſſet, quando petebatur, quia tamen ſerius eam remiſerit, & quidem eo tum, quum jam ipſius eam Populi tradiderant, Principem quoque ſuum abſolutum fuiſſe illius temporis promiſſo, & alioqui liberum ei eſſe ſemper de ſuo agere, quæ libeat, nimirum alia dare, alia adimere, & ſubinde Poſſeſſores etiam ditionum

tionum ſuarum commutare, atque hujusmodi plura more conſueto, ſatis inſolenter.

Paucis ſubjunximus, redire ad rem feſtinantes, poſſe quidem Magnitudinem ſuam licite agere cum ſuis ſubditis, cum amicis aliam eſſe tenendam rationem, & Regem quidem noſtrum eſſe Magnitudinis Suæ amicum, ac propterea eundem æquam, honeſtamque pacem ab eadem poſtulare, exigere promiſſa, ut ab amico, & confœderato Principe. Nec malitioſe, aut animo inimico Majeſtatem Veſtram feciſſe, quod ſerius Tranſylvaniam remiſerit. Sed fretus fiducia amicitiæ, quam ſe in ejus Magnitudine habere exiſtimabat, diutius tentavit, ut eam liberalitate ejus potius, qua armis ſuis retineret, ſi armis uti voluiſſet, num totam eam Provinciam tueri contra adverſarios ſuos nequiviſſet, quibus unica, vel ad ſummam duæ arces reſtiterunt, donec Benignitate Majeſtatis Veſtræ juſſæ ſunt deditionem facere. Verum omiſſis hujusmodi conditionibus, ad quorum finem eſſet jam perventum, ad Zigetum, & ad alia noſtri muneris rediimus, diximusque, petitionem de diſturbando Zygeto, fore Majeſtati Veſtræ moleſtiſſimam, nosque plane ſcire, hanc conditionem Majeſtatem Veſtram nullo pacto accepturam.

Reſpondit, ſi non acceperit, bellum habebit, quod meus Princeps, quum in Hungariam deduxerit, quomodo ei, & Zygetum, & totum reliquum Hungaricum reſiſtet, ſub cujus potentia terra etiam contremiſcat, ideoque timendum illi erit, ne arcis unius cauſa totum Regnum amittat, vosque, qui homines prudentes ſitis, bene iſta perpendite, ac perſpicite, veſtroque Regi ita conſulite, ut damnum unius arcis tam exiguæ, maximam jacturam

non

non faciat, & quia vobis data eſt conficiendæ Pacis hujus authoritas, cavete, ne Regi veſtro cauſam belli pariatis, neve pedes illi ante tempus ſuccidatis, & hujusmodi plura.

Reſpondimus, Principem illorum eſſe ſane potentiſſimum, ſemperque habere facultatem quum vult bella ſuſcipere, & gerere. Verum noſtros etiam Principes tutelæ ſuæ, & ſuorum gratia belligerare conſueviſſe, & ſcire, amicitiam tamen veſtri potius, quam inimicitiam ſemper ſinceriter deſideraſſe, & deſiderare etiam nunc, ſi modo animum ejus perſpectum habeat, ceterum alia nos non poſſe agere, quam quæ nobis ſunt commiſſa, & ſciamus eſſe Majeſtati Veſtræ tum commoda, tum honeſta, eaque cauſa niſi optatiora nobis tam de Zygeto, quam de Hungarorum memoratis limitibus idem Paſſa protuliſſet, redituros quidem nos ad Majeſtatem Veſtram, ſed de propoſitis conditionibus nihil relaturos, niſi tantum, quod infecta Pace rediiſſemus, optantes, ut hac ratione omnes tres ſimul abire paterentur.

Reſpondit, optatiores conditiones dari nobis non poſſe, ceterum poſtquam nos his ipſis jam oblatis conditionibus eodem loci ſubſcribere, & aſſentiri non vellemus, nec poſſemus, ut ſaltem duo nos Verancius & Zay eas ad Majeſtatem Veſtram perferremus, & eandem de voluntate Principis ſui edoceremus.

Qui nec hoc ipſum quoque adeo facile ſuſcipere volentes, quum diceremus, eſſe illi peculiares homines, qui ejusmodi res ad ejus Principem pertinentes, poſſint ad Majeſtatem Veſtram deferre, curantibus ea duntaxat nobis, quæ vellemus ſolida

fieri,

fieri, & non dilationibus involtæ, ac ne ſpeciem quidem revera futuræ Pacis hbentia.

Subjecit, idque non ſeml, ſed ſæpius, ſecus nequire fieri, quam ut dictas onditiones ad Majeſtatem Veſtram perferremus, ſi Majeſtati Veſtræ commodius futurum, ſic velle uum Principem, qui omnino antequam quicquai ſecus agat, cuperet intelligere, quid ſit Majeſta Veſtra ad easdem conditiones reſponſura.

Tum nos, viſa Paſſæ de 1oc pertinacia, hæſimus aliquantulum, quaſi cogitaundi, quidnam in re tanta, tamque improviſa eſſemus acturi (durum enim erat, quod objecerat nec ſe ratio ulla certa exhibebat, qua ſubito delierari poſſet, præſertim, quod cum dexteritate nobi agendum cum furioſo, & inſolenti foret, volentque eotum, omiſſa interim contentione de Zygto, ad alia, quæ reſtabant particularia deſcender (uti ad Majeſtatem Veſtram non ita pridem ſcriſeramus) rupit colloquium, nosque ab ſe dimiſit, dicens poſtea ſe plura nobiſcum loquuturum, quum alioqui ſatis multa etiam eo congreſſu transgiſſemus cum illo, ſed tantum de Zygeto, in qo tangi nolebamus, & de limitibus generaliter, verque ea nobis dilatio peroptata, quia perſpecta hnc in modum ultima ejus Principis voluntate, & uaſi formula eorum, cum quibus erat nos dimiſſuns, melius nos præparavimus ad ea, quæ poſtrem agere, & concludere debebamus.

Die itaque poſtmodun octava ejusdem Auguſti, juſſit nos accerſiri, ubi iterrogatis nobis, quid decreviſſemus de his, quæ paulo ante propoſuerat, reſpondimus de Zygeto & de limitibus a Principe ſuo Majeſtati Veſtræ promiſſis, ea ipſa, quæ prius,

quum

quum alia ſententia eſſe non poſſemus, niſi ſi mandatis Veſtræ Majeſtati contrarium agere vellemus, verum quandoquiden ita fuiſſet Principi ſuo conſtitutum, ut nos duo Verancius, & Zay ad Majeſtatem Veſtram rediremus eam de propoſitis ad finem conditionibus pacis huusmodi edocturi, id quidem nos facturos, reſtare tamen adhuc nobis plura, quæ huc faciunt, & de quibus cognoſcere nos oporteret, quo plenius de tot re Majeſtatem Veſtram poſſemus informare, igitur eundem Paſſam interrogavimus, quid de Giwla de Varadino, & de aliis locis in eadem Regni Hngariæ parte coſtitutis, & intra præfatos limites Majeſtati Veſtræ promiſſos, comprehenſis reſpondere nobis, nos enim antea etiam egiſſe pro hisdem locis ſumma diligentia, agereque etiam modo, qandoquidem eis Majeſtas Veſtra nollet privari, &par eſſet, ut eidem Veſtræ Majeſtati pacifice permittrentur juxta ejusdem ipſius promiſſa Principis, quæ illi fecit, quum eandem de poſſeſſione Hungariæ aſſecuravit, ſi Tranſſilvaniam Joannis filio conceſſiſſet, nunc enim intercepto contra omne jus, ac ius induciarum Varadino, Giulam quoque adverſarii ejusdem cum auxiliis ipſius Principis dicantur velle oppugnare, quum ſimili modo arcem etiam Huſzt nterceperint, nulla ratione vel induciarum habita vel verbi ipſius Principis, quo omnes Regnorum, ac Provinciarum Veſtræ Majeſtatis fines eo usque ſecuros fecerit, donec de memorata Pace tranſactum foret.

Reſpondit, omnium hujusmodi locorum interceptionem, & diſturbiorum quæ poſt adventum noſtrum ad eorum Portam exorta ſunt, cauſam a Veſtræ Majeſtatis finitimis proceſſiſſe, & juſto bello acta ab eis fuiſſe omnia, quuminterim & finitimi Veſtræ Maje-

Majeſtatis paria facere ubicunque, & quandocunque potuerunt, non prætermiſerint, ideo quæ Majeſtas Veſtra per id tempus amiſiſſet, amiſſa putaret; alioqui Principem ſuum ea nequaquam concedere, aut conceſſurum, quæcunque vel in Hungaria, vel in Tranſylvania Joannis filii nomine poſſeſſa antea fuiſſent, ea ipſa velle etiam impoſterum ſui juris, ac poteſtatis cenſeri, & eſſe.

Subjunximus: ubi igitur promiſſa ejus Principis, quæ Majeſtati Veſtræ fecit, locum ſint habitura, ſi hisdem promiſſis obtenta ab eadem Majeſtate Veſtra Tranſylvania, illi etiam Hungaria adimatur, quæ tota erat in promiſſis ſecundum eas partes ejus, quas in ſua poteſtate habebat, quum nos cum hac Legatione in Turciam expediverat.

Reſpondit paucis: actum eſſe de his, nosque fruſtra conari, ac verba facere, & Majeſtatem Veſtram ea jam parte contentari debere, quam illi Princeps ejus conceſſiſſet, quum eam etiam negare conſtituerat, niſi ipſe cum mulieribus ſe ſe apud eum pro Majeſtate Veſtra interpoſuiſſet.

Tum nos, & de arce Huſzt, & de rebellium Bonis quid agendum foret quæſivimus, nam & Huſzt alieno tempore, in magnam injuriam, quum induciarum, tum ipſius ejus Principis ignominiam verbi raptum eſſe, & rebellium ditiones, ſive bona non debere ſimili ratione a Jure Majeſtatis Veſtræ reſcindi, & abalienari quocunque rebelles ipſi a fide Veſtræ Majeſtatis excidere voluiſſent, Regnum eſſe Veſtræ Majeſtatis, & pro improbis, atque infidelibus ſemper poſſe probos, & fideles reponere.

Reſpondit: idem Principem ſuum de re rebellium ſentire, ac velle, quæ de aliis ad Joannis filium pertinentibus, neminem præterea eundem Prin-

Digitized by Google

cipem ab ſe rejicere, & indefenſum relinquere ſolere, quicunque ad eum, & ad tutelam ejus ſe ſe contuliſſent, propterea nec de his quoque loqui nos oportere, ea nunquam Principem ſuum Veſtræ Majeſtati redditurum, pro quibus inſtaremus, niſi ſi præter religionem ſuam, & præter morem majorum ſuorum agere velit.

Venimus poſt hæc ad Monkacz, meminiſſet, inquientes, arcem illam non bello fuiſſe captam, ſed per compoſitionem Petro Petrowyth traditam in permutatione Tranſylvaniæ, & Temeswari cum Regina, atque ejus filio transacta, eaque cauſa ſuadere omnem, & divinam, & humanam æquitatem, ut, poſtquam Majeſtas Veſtra Principi ejus de Tranſylvania gratificata libens fuiſſet, eidem reſtitueretur.

Subjunxit: non ſatis ſibi conſtare ſtatum cauſæ arcis Monkacz, egiſſe nos de hoc cum Ahmet Paſſa, verum cum alios Oratores Majeſtas Veſtra miſerit pro concludenda Pace, illum per eos informabit, & tunc quicquid erit æquitatis, & juſtitiæ, de ipſa Arce transigetur, quanquam alioqui neſciret, quonam pacto reddi poſſit, ſi, quum Petro Petrowyth pro Temeswaro fuerit data, nec Temeswarum idem Petrowyth cæpit a Veſtra Majeſtate, ſed Princeps ejus, tamquam arcem ſuam, quæ male Majeſtati Veſtræ tradita fuerat, nullam culpam in Petrowyth conjici, & conſequenter neque Arcem ipſam Monkacz ab ipſo repeti poſſe, verum de hoc etiam poſtea erit agendi tempus, vos tantum cum his ad Regem veſtrum properetis, & curetis, ut intellecta Principis ſui de Pace voluntate, quam citiſſime fieri poterit, eidem renunciet, quicquid animi ad ipſam pacem habuerit.

Nos

Nos hoc loco, etſi omnia, quæ cum Petrowith in collatione arcis Monkacz acta ſint expoſuiſſemus, declarato inſuper, & Chyrographo ejus fidei, qua ſe Majeſtatis Veſtræ in perpetuum obſtrinxerat, Jus ejusdem Majeſtati Veſtræ ſuper arce illa defendentes, nihil effecimus, rem Paſſa in aliud tempus differente, & ſic, reſponſum ei ad alia facturi, diximus, in proficiſcendo ad Majeſtatem Veſtram nullam nos moram commiſſuros, ceterum jam nunc plane nos videre, uti & coram fateremur illi, quem ſit ex his conditionibus animum Majeſtas Veſtra habitura, quum nullam agnoſceremus talem, ad quam poſſet accedere, quum aſtricta Majeſtate Veſtra in tam exili Portione Regni, quæ quaſi pugno comprehendi quiret, & annuum munus honorarium Princeps ejus augeri ſibi poſtulat, & duorum annorum exigit intermiſſa, velitque prius ea ad ſuam Portam mitti, quam de Pace transigatur, propterea neſcire ſane nos, quomodo hoc utrumque fieri poſſit, quum Majeſtas Veſtra, & annuum minui potius cogatur, quam adaugeri, ditionibus ſuis Regni Hungariæ diminutis, & intermiſſa non ante mittere, quam confecta, & pronunciata Pace. Diximus etiam, eadem munera intermiſſa, non ex debito, ſed ex benevolentia fuiſſe ejus Principi promiſſa, quum Jure belli, per Aly Baſſam moti, ſuiſſent retenta, cupida nimirum Veſtra Majeſtate hoc etiam ſtudium ipſius amicitiæ eidem decleratam eſſe. Sed ad hæc nec aurem adhibuit, dummodo illis largiatur, reſpondit tantum, quod, quia ea etiam Pax, quæ Majeſtati Veſtræ polliceretur, ægre ſuiſſent impetrata, neceſſum eſſe, munera intermiſſa præmittere mature, quo idem ſcilicet Paſſa habeat firmum argumentum, liberius, & ſolidius apud Principem ſuum

Digitized by Google

de ipſa pace agere, & perficere, alioqui vereri ſe fruſtratum iri, ſi hanc occaſionem Majeſtas Veſtra prætermiſiſſet.

Cui nos, quum videbamur nihil proficere, alia non reſpondimus, quam quod de his Majeſtas Veſtra viſura eſſet.

Ceterum ubi idem Paſſa de perpetua Pace feciſſet mentionem, de hoc quoque interrogavimus, quonam pacto nos perpetuitatem illam oporteret intelligere, reſpondit, durante vita vel Majeſtatis Veſtræ, vel ſui Principis, & quousque cauſa aliqua a Majeſtate Veſtra non porrigeretur belli, ſimiliter ſi placuiſſet Veſtræ Majeſtati tempus brevius præfigere, id ejus Principem Veſtræ Majeſtatis arbitrio relinquere, adjiciens, ſic eam ſervaturum, ut quam vel cum Gallo, vel Venetis haberet.

Tum nos hoc animo Principis ejus laudato, de Giula iterum, & de Caſſovia, de qua nondum feceramus mentionem, inſtitueramus ſermonem, verum Interpres Hungarus, Ferhat nomine, inhibuit nos, ne de his loqueremur, quæ adhuc in manu eſſent Veſtræ Majeſtatis, poſtquam in oblatis conditionibus haberetur, ut Majeſtas Veſtra retineret, quæ poſſideret in præſentia, ſic omiſſa conſulto commemoratione Caſſoviæ iſthac de cauſa, quum alioqui longius etiam eſſet a Tranſylvaniæ finibus conſtituta, qui verſarentur in controverſia, de Giula non reticuimus, adnitentes efficere, ne ab adverſariis vexaretur, ſed pacifica, liberaque (uti erat in manu Veſtræ Majeſtatis, eidem, ſimul cum jure, & facultate recuperandi cetera, poſtquam non reſtituerentur ultro, relinqueretur, eadem ad hæc reſpondit, quæ ante loquutus fuerat, nequire prorſus fieri pro quibus inſtaremus, ſic conſumpta concer-

certatione hujusmodi circa particularia, viciſſim ei alia proponendo, alia reſpondendo, exigentes æquiora, ad poſtremum nihil præterea obtinere potuimus, quam quæ initio pronunciaverat, nulla etiam facta ſpe ſignificatione apparenti, quod ad alia idem ejus Princeps induci poſſit, idque pro hoc colloquii tempore, quia poſtmodum attigit quiddam de Zygeto, uti loco ſuo dicemus, quo oſtendit inexorabilem ſuum Principem non fore.

At nos perſpecta tunc ejusdem Principis ipſius obſtinatione in his duntaxat, & iniquis, & parum honeſtis conditionibus fixa, quas Paſſa nobis propoſuerat, etſi ſolita conſtantia erat in animo, illi refragandi, & obſiſtendi, quemadmodum aliis in rebus hactenus pro mandato feceramus, tempus extrahendo, donec eos ad æquiora deduceremus; quia tamen jam non ſemel Paſſa Hruſztanus edixerat nobis, ibidem nos diutius adhuc manſionem habituros, quandocunque cum his ad Majeſtatem Veſtram proficiſci recuſaremus, quare veriti in errorem aliquem incidere, fierique novæ cuipiam moleſtiæ cauſa Veſtræ Majeſtati, quæ jam ſtrictiſſime mandaverat, ut re etiam infecta rediremus, totis viribus in eam petitionem incubuimus, ut omnes tres dimitteremur, poſtquam nec propoſitæ conditiones eſſent convenientes Paci, nec ſperaremus meliores, Paſſa igitur mihi dixit, nequire fieri, ut abſcederemus omnes, Principem enim decreviſſe, ut duo remittantur, retento tertio, nos quoque Verancius, & Zay primum qui dimittebamur, uti jam ante conſultaveramus, quid ad ultimum facto opus erit nobis, ſi res hunc in finem deſiiſſet, eundem Paſſam alloquuti, diximus, quod nos ad Majeſtatem Veſtram redituri, de mandato quidem ejus redire-

mus, ceterum caventes, ne & ipſis vanam aliquam ſpem relinqueremus, easdem conditiones, præſertim de Zygeto, & de aſtrictione Limitum poſſe fieri, ut apud Majeſtatem Veſtram locum obtineant, & ad eandem vento leviora deferremus, unde, & honoris noſtri, & gratiæ Veſtræ Majeſtatis jacturam facere poſſemus, eidem Paſſæ proteſtari nos, quod haud dubie ſciremus, eas conditiones Majeſtatem Veſtram non accepturam, ut ab honore, & exiſtimatione ejusdem alienas, quodque nos nec hisdem conditionibus annuiſſemus, nec eos de voluntate noſtra, ſed de mandato ejus Principis ad Majeſtatem Veſtram eſſemus perlaturi.

Simili modo Magnificus Dominus Augerius collega noſter pari proteſtatione uſus, dixit, ſibi diſplicere, quod ſic eum a nobis dividerent Pace pendente, & adhuc incerta, idque omnino, & expreſſe fieri contra mandatum Veſtræ Majeſtatis, quum confecta ipſa Pace, non eſſet detrectaturus hoc officium, ut impoſitum, atque injunctum, quapropter, ſi optatiores conditiones proponere nobis Princeps ejus noluiſſet, ſe quoque cum collegis abſolutam dimiſſionem poſtulare. Sin minus, iterum atque iterum proteſtari, ibi ſe non aliter remanſurum, quam coacte, & præter omnem Majeſtatis Veſtræ voluntatem, nihil interim a collegis diſſidendo, quæcunque fuiſſent cetera.

Paſſa his proteſtationibus auditis, quas hunc in modum, conſulto bifariam feceramus, etſi perturbari nonnihil videbatur, comiter tamen, familiariterque primum Magnificum Dominum Augerium collegam noſtrum cohortatus eſt, ne gravaretur ibidem remanere tantiſper, dum a Majeſtate Veſtra reſponſum afferretur, deinde etiam nos duos, ut præterea non exigeremus alia, ſed maturaremus Veſtram Majeſtatem

Digitized by Google

edocere de hujusmodi voluntate Principis ad pacem, quemadmodum & ante ad Majeſtatem Veſtram ſcripſeramus, & ſuperius commemoravimus, eidem interim Domino Augerio promiſſa omni libertate, & tractatione, non honeſta, & amica ſolum, ſed etiam fraterna, ſubjungens, oportere imprimis omnino de his Majeſtatem Veſtram cognoſcere, mentemque ſuam ejus Principi, atque illi primo quoque tempore declarare, nosque hujusmodi neceſſitate adducti, eidem paruimus, & eotum his completis ordine hic expreſſo, diſceſſimus ab ipſo, vixque hoſpitium ingreſſi, ſubſequuta ſunt nos a Principe Dona, Veſtes, & non multæ pecuniæ, Paſſa Hruztano nunciante, poſtridie nos ipſos quoque expeditionem habituros.

Poſtero itaque die, uti nunciaverat Paſſa, in Divanum deducti, eadem, quæ privatim apud Hruztanum Paſſam egeramus, ibidem coram omnibus retexuimus, anſam præbente ipſo Hruztano, novaque jam cum omnibus Paſſis contentione inita, non ſolum ſuperiorem de Zygeto, ſed etiam de ceteris particularibus. Verum æque fruſtra conati ſumus, atque cum ſolo Hruztano, in unam enim eam ipſam ſententiam dudum conſenſerant, ut & Zygetum diſturbaretur, & ad cetera nihil pro noſtro voto ibidem quoque publice reſponderetur nobis, ut neque Hruztanus Paſſa domi ſuæ reſponderat.

Atque his in hunc modum ſe ſe habentibus, ibidem quoque eadem proteſtati ſumus, quæ ante apud ſolum Hruztanum proteſtati fueramus, idque ſolennius aliquanto propter locum, & perſonas, rogatis in fine, ut, ſi fieri poſſet, gratiora Veſtræ Majeſtati & de Zygeto, & de aliis particularibus nunciarent, ne omnino & Majeſtati Veſtræ, & ipſorum

principi quadrienne hoc legationis noſtræ tempus ſine fructu ſucceſſiſſet.

Tum Hruztanus Paſſa, ſi, inquit, adeo grave erit veſtro Regi Zigetum demoliri, ac omnino tolli, quæ eſt arx exigua, & majorum multo impenſarum cauſa, quam emolumenti, admonete ipſum Regem veſtrum, ut inveniat aliquem modum, ac rationem, qua princeps noſter induci poſſit ad eam illi incolumen permittendam. Quæ quum ab interprete intellexiſſemus, non exigua ſane lætitia, eoque etiam majore affecti ſumus, quod inſperata. Verum dubii ſic fuiſſe Paſſam locutum, interpretem antequam reſponderemus Paſſæ, quæſivimus, quomodo hoc dictum Paſſæ intelligendum foret? de largitione reſpondit, quod nobis plurimum placuit, verum dum ſolidius conſequi ab interprete contendimus, nec ſubito reſpondemus Paſſæ Hruztano, nequaquam, ſubjunxit Aly Paſſa, ſed prorſus deleatur. Hanc eſſe principis voluntatem, hoc decretum, nec pacem ullo modo poſſe fieri, arce illa incolumi.

Magis tunc nos ambigui, revera ne Hruztanus Paſſa verba illa protuliſſet, an interpres aſſentari nobis voluiſſet, quod & Aly Paſſa tam valide, confeſtim, manifeſteque Hruztano reſtiterat, & ab eodem Hruztano, quum privatim apud eum fueramus minime hujusmodi attactum erat, languide credidimus, at credidimus nonnihil tamen, quia dubium non eſt, ipſum Hruztanum cum ſuis melioribus omne genus belli longinqui averſari, pacem vero cum Majeſtate Veſtra, quantum jam poſtremo proſpicere potuimus, ſtudioſe etiam procurare, ſpe promiſſi premii aureorum videlicet mille, quandoquidem, dum loqueremur privatim cum eo ſimul, non prætermiſit obiter nos primum interrogare, an meminiſſemus promiſſo-

ſorum, deinde etiam committere, ne quid de his cum ceteris Paſſis attingeremus, quæ liberius nobiscum contuliſſet, qua etiam de cauſa ſummoto hac ultima actione interprete Ibraimo, cujus ſemper adhoc tempus uſi eramus opera, ob latinam linguam, Ferhatum Hungarum adhibuerat, cui magis privata ſua confidit, quam alteri, unde idem etiam Ferhat aliquoties nobis & tunc, & prius, affirmaverat, malle Hruztanum XX. dentes ex bucca ammittere, quam promiſſa XXM. aureorum non recipere, quare ipſum Paſſam hoc dixiſſe utique credidimus, ceſſavimusque eos præterea tam de hoc, quam de aliis negatis ſtimulare, primum quod fruſtra conabamur, deinde, ne, ſi animadvertiſſent, nimis nos hoc verbum avide arripuiſſe, denuo nobis malignitatem aliquam objeciſſent, quum demum ſic loquuto vehementiore ſpiritu Aly Paſſa, Hruztanus poſtmodum non adjecit verbum, ſimulque & ipſis, & nobis in ſilentium nonnihil fixis, ſurrexerunt, nosque ad principem induxere, cui pro more manibus oſculatis, Paſſa etiam Hruztanus demonſtravit, qui ex nobis apud ejus Magnitudinem eſſet remanſurus, quive ad Majeſtatem Veſtram redituri, nullumque ibidem permiſſi verbum facere, exivimus.

Ceterum expoſito hujus actionis noſtræ toto ſuo progreſſu ab initio ipſo ad finem, jam loca ejus quædam percurremus, quæ pro tenui noſtro ingenio conſideranda eſſe judicavimus. Igitur quæ nobis Paſſa Hruztanus in Divano propoſuerat, reſtare adhuc Zygeto gratiam, res ejusmodi eſt, de qua non audemus ſolide quicquam affirmare, verum quia inter ipſum Hruztanum, & Aly Paſſam maxima ſimultas hæret, quod hic etiam ſatis ſit apud principem gratioſus, quumque & ille paci ſtudeat, & hic bellum videtur velle,

velle, accommodando ſe ſe comice principi, plurimum vereatur paci noſtræ palam favere, ideo opinamur, quod de induſtria ſic obiter, & quodam tumultuario modo nos voluerit commonefacere, poſſe adhuc Zigetum ſupereſſe, ne omnino deſperatum de eo crederemus, resque ad bellum manifeſte inclinare incepiſſet. Potuit tamen illud etiam ſubeſſe, quod id artificioſe nobis inſinuarint ea cauſa, ut conſulerent partim faſtui, & exiſtimationi ſui principis, partim ut difficultate nobis de impetratione dictæ arcis inculcata, & prope perſuaſa, ad majorem aliquam vel temporarii muneris additionem, vel ordinarii penſionem, ſic rem ejusdem arcis ad novas petitiones, & promiſſiones largiores, ne dirueretur, dilata, de quo tamen latius poſtea Majeſtas Veſtra poterit conſultare.

Habent conſiderationem etiam proteſtationes noſtræ dupplicem, ne enim & Magnificus D. Augerius, qui remanſit, & nos, qui reverſi ſumus, hoc utrumque temere viſi fuiſſemus feciſſe, poſtquam ſic ab eo principe prope cogebamur facere, neve idem D. Augerius ullo tempore impoſterum incurriſſet hoſtium quampiam calumniam, quod vel pro nobis duobus Verancio, & Zay, vel pro Joanne Mar. Malveſio eſſet obſes, quos ſæpe etiam antea omnes ſimul vexare non erubuerunt, deinde, ut Majeſtati Veſtræ ſemper liberum eſſet occaſionibus ſe ſe offerentibus, Tranſylvaniam, denuo jure legitimo recipere, quandoquidem princeps ille, obtenta a Majeſtate Veſtra pro Joannis filio Tranſylvania, verbo ſuo de promiſſa ob id eidem Hungaria cum limitibus ſæpe jam nominatis, non ſteterit, ſi non ſteterit, idque juxta hujus ipſius quoque pacti proteſtationem, qua irritam ceſſionem noſtram prorſus fecerimus, ſi memorata promiſſa non ſervaſſet.

Illud

Illud autem, ut Majeſtas Veſtra libere poſſideat in regno Hungariæ, quæ modo poſſidet, ita ne ſincere intelligendum ſit, ut dictum eſt, an ſecus, nos certe dubitavimus, quum limites inter ſe, & Majeſtatem Veſtram ſic vellent ponere, ut, qui coloni in utrisque finibus ceſſerint, ſuorum duntaxat limitum dominis, quique integros proventus, ac cenſus pendant, quod quam firmiter Majeſtas Veſtra, ne fiat, prohibuerit, in memoria ſemper habuimus, & ad hoc usque tempus id fieri poſſe conſtanter negavimus. De re tamen hujusmodi nullam nobis hac actione mentionem fecerunt, ſæpe tamen antea etiam contenderunt nobiſcum, ſecum ſtabilem, ac diuturnam pacem minime futuram, quod finitimi nunc etiam palam edicunt, & clamitant, ita pacem fieri oportere, non aliter, quum ſecus nunquam deſolationes poterunt reparari, nos, quæ ad hæc ubique illis reſponderimus, præterimus modo, ut brevitati conſulamus, verum quum legimus principis ejus literarum ad Majeſtatem Veſtram traductionem, nec aliam in illis reperimus mentionem, quam de ſolo Zigeto diſturbando, interrogavimus Paſſam, cur in eis non curavit adſcribendum, quæ oretenus nobis dixerat, nimirum de hoc ipſo, ut quæ Majeſtas Veſtra nunc in Hungaria poſſideret, impoſterum etiam poſſideat, & de duorum annorum intermiſſis muneribus honorariis, reſpondit, principem ſuum id ſolum literis ſuis voluiſſe exprimere, circa quod potiſſimum pacis negotium verſaretur, reliqua oratoribus committi ſolere, ut fide publica præditis, ideo ſatis futurum, quum ex nobis Majeſtas Veſtra illa acceperit, nos enim omnino volebamus, ut etiam iſthæc aſcriberentur, ſed noluit, quum ne ejus quoque literas ad Majeſtatem Veſtram im-

impetrare potuerimus, dicebat enim morem illis non eſſe, ut captivorum literæ domini literas comitarentur: ſic deſiimus.

Et jam ſi Majeſtas Veſtra jubet nos dicere, quid de iſta pace, quæ offertur impræſentia, vel judicemus, vel ſentiamus, ut qui multa apud hoſtem & audiverimus, & viderimus, diu ſane per eos dies, quibus in hoc tractatu verſati ſumus, nobiſcum agitavimus, hanc ipſam pacem revera ne idem hoſtis velit, an ſecus, quumque intra hoc tempus advenifſet fama ea non incerta de victoria Philippi Regis tam in Galliis, quam in Italia habita, & quod ſummus Pontifex, ac Rex Galliarum cum eodem eſſent de ſtabili pace tractaturi, ſummaque celeritate Galli orator ad Regem ſuum fuiſſet expeditus, Perſæ quoque ſupervenit legatus, per quem, uti ab interprete Hungaro, atque ab aliis etiam fide dignis hominibus accepimus, commercia primum mutua utrorumque populorum, deinde loca quædam munita in majore Armenia, limitumque poſitionem in utriusque finibus, & demum, ut filio ſuo Sangziacatum Babiloniæ concederet, poſtulaverat, hisque conceſſis ſibi pacem ex ſe, & firmam, & durabilem offerebat, ſin minus, aliud ſe de dicta pace cogitaturum denunciarat.

Supervenientibus ad hæc a Majeſtate etiam Veſtra de dimiſſione noſtra literis, poſtquam de pace nihil fieret, atque hinc & inde crebris nunciis de ejusdem pro hoc anno bellicis apparatibus, maximum ex utroque ſtimulum fertur habuiſſe de dimittendis quibuspiam, aut quopiam ex nobis cum expeditione qualicumque, dummodo expediret, hisque omnibus in cumulum collectis, & potiſſimum de periculis ſuis, ex periculis Galli ſollicitus, ne a ſo-

cie

cietate ſua recideret, raptim, atque uno tempore & Gallum oratorem ad ſuum Regem, & nos ad Majeſtatem Veſtram, non ſine latenti quopiam artificio, expedivit, nimirum offerendo Regi Galliarum mare, & montes, & horrentia duo bella, terreſtre, & maritimum auxilio contra communes hoſtes ad futurum annum, ne cum eis in gratiam rediret, Veſtræ vero Majeſtati pacem nec ſinceram, nec ſatis decoris, utilibusque conditionibus præditam, hoc autem eo conſilio, quemadmodum pluribus ex locis habuimus, ut & hoc reliquum inſtantis anni tempus expeditione dictæ pacis ſine bello, ad quod imparatus erat, tranſigeret, & interim per hyemem explorato, perſpectoque erga ſe animo Galli, cognoſceret demum, quid impoſterum de pace cum Majeſtate Veſtra perficere debuiſſet, nam ſi ipſum Gallum viderit plane ab ſua ſocietate ad ſaniora conſilia reverſurum, haud dubie ſperandam eſſe ab eodem cum melioribus conditionibus pacem, ſin evenerit ſecus, & placebit Gallo Turcæ pollicitatio, dubitandum eſt, ne has quoque in præſentia oblatas incipiat revocare, Galli amici erga ſe voluntate, & conſtantia frætus; et hac quidem ſententia, non ſolum ſumus nos duo, ſed nobiſcum etiam collega noſter Magnificus Dominus Augerius eſt, & ii omnes, quos fortunæ, ac Magnitudini Veſtrarum Majeſtatum favere, ſtudereque cognovimus, quum enim hoc tempore non pauca, uti jam ſæpe ſcripſimus, concurrant, quæ præfatum principem hoſtem noſtrum vereri, & ſedere domi cum parta opinione potentiæ, hoſtesque tantum apparatibus ſuis territando, ut fecit proixmum quadriennium, cum ea ſola certe jactura plurimum demittet audaciæ, ſi quo caſu Galli fiducia privabitur, quod qui-

quidem unicum inſtrumentum, ad peſſumdandam chriſtianorum principum, & ſtatuum unitatem, nullo non impendio, nulla non moleſtia ſervandam ſibi quam diutiſſime fieri potuerit, conſtitutum habet, de quo alioqui, quia ex divina providentia Majeſtatum Veſtrarum cura eſt, loqui nos deſinimus.

Et quod poſtremum hujus actionis erit, plura alia, & varia ſunt, quæ dum cum Paſſis ageremus, occurrere. Hæc tamen ad ſummam collegimus, quo Majeſtati Veſtræ totam rem in unum veluti corpus congeſtum exhiberemus, veniam ſupplices poſtulantes, ſi quid commiſiſſemus, quod Veſtræ Majeſtati non probaretur, uti non dubitamus commiſiſſe nos, & inutiles ſervos fuiſſe, homines enim ſumus, iique parum ſane ad hujusmodi Reipublicæ munia idonei, verum quum ſemel aſſumptæ provinciæ nec fide, nec vigilantia, nec ſtudiis noſtris, quantum fuit in nobis, defuimus, reliqua omnia, quæ præſtitimus, ex gratia Veſtræ Majeſtatis, etſi eidem placuerint, metimur, exhibentes nos impoſterum quoque Veſtræ Majeſtati ad omne genus ſervitutis cum majoribus etiam vitæ noſtræ periculis, quam fuit hæc, cui nos pro ſuo ſapientiſſimo conſilio benigne adhibendos eſſe judicaverit.

His adjicimus duo, Paſſa enim Hruztanus ter nobis privatim ad ſe accerſitis, poſtquam eramus omnino expediti, nec jam quicquam negotii nos habituros ſperabamus, identidem duo memorata inculcavit. Alterum, ut ſummo ſtudio ejus nomine cum Majeſtate Veſtra ageremus, quatuor quosdam captivos, partim ad Zigetum, partim in aliis locis captos vellet ob reſpectum ſuæ amicitiæ liberos facere, & illi remittere, gratificaturam ſe hac re ſuo etiam principi non mediocriter, quod captivi memo-

morati primatum quorumdam ſuæ aulæ eſſent mancipia. Alterum, ut eandem, quam diligentiſſime ſciremus, ac poſſemus, oraremus, ſic ſibi de accipiendis præſentibus conditionibus pacis faciundum eſſe conſtitueret, & tale reſponſum principi ſuo daret, quo nec apud eundem principem ſuum, nec apud reliquos Paſſas Vezirios Collegas ſuos erubeſceret, ſi impoſterum quoque, quoties aliis de rebus Veſtræ Majeſtatis curam geſſerit, patrocinia ſua apud eundem principem ſuum habeant locum, nos itaque Majeſtati Veſtræ hae petitione Hruztani Paſſæ expoſita, reliquas etiam ejus inſtantias exequi accuratius ſupervacaneum eſſe duximus, quum quod erit in his Veſtræ Majeſtati faciendum, ſolius ejus novit prudentiſſimum conſilium. Verum ut eſt alterum deliberationis difficillimæ, ita quod ad alterum attinet, ingratis, & inſolentibus hoſtibus hoc amicitiæ genere gratificari judicamus non oportere gratuito, quum prorſus & damnoſum, & fruſtraneum foret, ſitque vel Karattamzabegus argumento, pro quo nec relatæ ſunt ullæ gratiæ, nec habitæ, & inſuper quod eſt indignius habendum, mox denuo potentiorem, & noſtrarum rerum peritiorem, in fines noſtros diris armatum immiſerunt, quo apud nos in captivitate accepta incommoda ulciſceretur. Id quod jam adeo præſtat ſedulo, ut hoſtilium præſidum, ſive Zangziacorum habeamus moleſtiorem nullum, nullum magis perfidum, & inquietum, de nominibus autem captivorum, & cujusmodi hominum fuerunt mancipia, poſtea reddemus rationem, quum Majeſtas Veſtra mandabit.

XIX.

Digitized by Google

XIX.

Nomina Dominorum Prælatorum, & Baronum

Regni Hungariæ in Generali eorum Conventu pro prima Die menſis Auguſti Anno Domini 1569. *ex edicto Sacræ Romanorum Imperatoriæ, & Regiæ Majeſtatis Poſonii celebrato.*

Reverendiſſimi Domini Prælati.

Antonius Verantius Epiſcopus Agrienſis, Conſiliarius Sac. Cæſareæ Majeſtatis, Comesque Borſodienſis, qui in hac diæta electus eſt per ſuam Majeſtatem in Archiepiſcopum Metropolitanæ Eccleſiæ Strigonienſis.

Paulus Abſteimus Epiſcopus Tranſylvanienſis Adminiſtrator Epiſcopatus Nitrienſis, locique ejusdem Comes perpetuus, Sacræ Cæſareæ Regiæ Majeſtatis Conſiliarius, & ejusdem in Hungaria Locumtenens.

Georgius Draskowych Epiſcopus Zagrabienſis, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius.

Stephanus Rhadethius Epiſcopus Waradienſis, Præfectus Cameræ Hungaricæ Poſonienſis, ac Conſiliarius Regiæ Cæſareæ Majeſtatis.

Joannes Liſthius Epiſcopus Weſprimienſis, locique ejusdem Comes, Regiæ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, & Regni Hungariæ Cancellarius.

Joan-

Joannes ab Wylak Epiſcopus Vacienſis, Regiæ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius. Hic ſemper Comitiorum tempore decubuit in lecto.

Georgius Bornemizza Epiſcopus Chanadienſis, Præfectus Cameræ Scepuſienſis, Regiæ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius.

Stephanus Feyerköy Epiſcopus Tininienſis, Regiæ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius,

Epiſcopi Jaurinenſis, & Quinque-Eccleſienſis aberant.

Barones, & Magnates.

Comes Nicolaus de Bator Conſiliarius, & Judex Curiæ, Sacræ Cæſ. Reg. Majeſtatis, ac Comitatuum Zathmar, & Zabolcenſis Comes.

Comes Franciſcus Zluni de Frangepanibus, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus.

Comes Georgius Zriny Conſiliarius, & Magiſter Tavernicorum Regalium.

Comes Ecchius a Salmis, & Neunburg ad Olnum, Cubicularius, Conſiliarius, Supremus Capitaneus Regiæ Cæſareæ Majeſtatis Jaurienſis, Commiſſarius, Poſonienſis Comes.

Stephanus Dobo de Ruzka, Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, Comes Commiſſarius Barſienſis, alias Waywoda Tranſylvaniæ dictus.

Franciſcus Thahy, Magiſter Agazonum, & Conſiliarius Regiæ Cæſareæ Majeſtatis.

Franciſcus Thurzó de Bethlenfalva, Comes Comitatus Arvenſis, Magiſter Curiæ, & Conſiliarius Cæſareæ Regiæ Majeſtatis.

Ladislaus Banffi de Also-Lyndva, Conſiliarius, & Magiſter Janitorum Regalium, Comes Zaladienſis.

Franciſcus Zay de Chömör, Conſiliarius Cæſareæ Majeſtatis, & Regni Hungariæ Pro-Palatinus.

Balthaſar de Batthyan, Conſiliarius Cæſareæ Majeſtatis, & Dapiferorum Regalium Magiſter.

Joannes Pethew de Gerſe, Cæſ. Maj. Conſiliarius, Comitatus Thornenſis Comes.

Michael Reway de Rewa, Comes Comitatus Thurocienſis Cæſar. Maj. Conſiliarius.

Emericus Czobor de Czobor-Szent-Mihály, Conſiliarius Majeſtatis Cæſar. Reg.

Georgius Bockay, Conſiliarius, & Secretarius Majeſtatis Cæſareæ Regiæ.

Comes Julius a Salmis & Neunburgh, Liber-Baro in Sempthe, & Galgótz.

Comes Franciſcus Nadasdy in Fogaras, Puer filius quondam Thomæ Palatini.

Franciſcus Teörek de Ennyngh, Generalis, Capitaneus Cæſareæ Regiæ Majeſtatis partium Trans-Danubianarum.

Simon Forgach de Gymes, Cæſareæ Majeſtatis Generalis Capitaneus, partium Cis-Danubianarum.

Georgius Bathori, Zathmar, & Zabolchenſis Comitatuum Comes, Liber Dominus in Cayſinna.

Joan-

Digitized by Google

Joannes Balaſsa de Ghyarmath, Comes, & Cæſareæ Majeſtatis Capitaneus Zolienſis, hic cum Stephano Dobo poſitus eſt in cuſtodia ex Mandato Cæſareo.

Andreas Balaſsa de Ghyarmath, Comes Newgradienſis, Cubicularius Sereniſſimi Archi-Ducis Caroli.

Stephanus Balaſsa de Ghyarmath, Liber Baro in Detrekew.

Alexius Thurzo de Bettlenfalwa, Comes Comitatus Scepuſienſis, Cæſareæ Regiæ Majeſtatis Præciſor.

Nicolaus Banffi de Alsolynda Comes Zaladienſis, Cæſareæ Majeſtatis Pocillator.

Joannes Priny, Comes Comitatus Abaujvarienſis.

Chriſtophorus Ungnoth Liber Baro in Sonnegh &c. Cæſareæ Regiæ Majeſtatis Capitaneus Agrienſis.

Chriſtophorus Kerecheny de Kanyaföde, Dapifer Sacræ Cæſareæ Reg. Majeſtatis.

Nicolaus & Stephanus Drugeth-Homonnay de Homonna, Comites Comitatus Ugocha.

Nicolaus & Gabriel Doczy de Naglucha, Comites Comitatus Hontenſis.

Franciſcus Revvay, Comes Comitatus Thurocienſis.

Valentinus & Franciſcus Banffi, Capitanei Majeſtatis Cæſareæ Regiæ.

P 2 Caſpar

Digitized by Google

Gaſpar Draskovych, Aulæ Majeſtatis Cæſareæ Familiaris.

Matheus Keklovych de Buſyn.

Michael Byrendy.

Nobiles Regni potiores Caſtra habentes privatim per Majeſtatem Cæſaream vocati.

Michael Gyulaffy.

Stephanus Bradach.

Caſpar Horvath.

Benedictus & Ladislaus Pethew.

Paulus Czobor.

Joannes Krwſythy de Lupoglawa, Capitaneus in Chabacz, reus factus.

Caſpar Alapy.

Franciſcus Zgezehy.

Petrus Caſtellanffy, qui ſub hac Diæta per Majeſtatem Regiam Cæſaream aſcitus in numerum Magnatum.

Nicolaus Iſtvanffy de Kis-Azonyfalva, qui nunc eſt pronunciatus in Secretarium Regiæ Cæſareæ Majeſtatis.

De Regno Croatiæ, & Sclavoniæ Nuntii.

Stephanus Kapytanffy.

Magiſter Joannes Petrichovych, Orator Sclavoniæ.

Ma-

Digitized by Google

Magiſter Emericus Pete de Hetes, Prothonotarius Regni Sclavoniæ.

Reverendi Domini Præpoſiti.

De Saagh.

De Chorna — Georgius Canionczius.

De Leleſz — Balthaſar Melech.

De Jazow.

De Thurocz.

Scepuſienſis.

Jaurienſis.

Poſonienſis.

Chasmenſis.

Felhevvizienſis — Franciſcus de Andreis Italus.

Nuncii Capitulorum ſeu Eccleſiarum Collegiatarum.
(Cathedralium).

Strigonienſis: Mathias Græcus Vicarius, & Præpoſitus cum Nicolao Thelegdino Canonico, & Lectore Strigonienſi, idem eſt Seminarii Magiſter.

Agrienſis: Michael Siſianus, & Michael Dumbrinus Canonici.

Zagrabienſis: Franciſcus Dely Pap, cum Joanne Dombrenſi Canonico & Cantore.

Jaurienſis: Petrus Chetely, cum Luca Szent-Ghyeorgy.

Nitrienſis: Stephanus Gudoczy.

Poſonienſis: Thomas Poloſtyczay.

Scepuſienſis: Benedictus Zylaghy.

Nuntii Comitatuum.

Simigienſis.	Hontenſis	Ugocha.
Saladienſis.	Zolienſis.	Zathmar.
Caſtriferrei.	Thurocienſis.	Zabolch.
Sopronienſis.	Lyptovienſis.	Zolnoch mediocris.
Moſſonienſis.	Arvvenſis.	Newgradienſis.
Poſonienſis.	Scepuſienſis.	Gemerienſis.
Comaromienſis,	Saroſienſis.	Borſodienſis.
Jaurienſis.	Abbawyvarienſis.	Thornenſis.
Veſprimienſis.	Ungh.	Heveſienſis.
Nitrienſis,		
Trenchinienſis,	Beregh.	

Liberarum Civitatum Nuntii.

Caſſovienſis.	Eperjes.		
Tyrnavienſis.	Bartpha.	Zagrabienſis.	Cliſſienſis.
Sopronienſis.	Kiszeben.	Criſienſis.	Varasdienſis.
Leuchovienſis,	Zakalcza,		
Poſonienſis.			

Septem Civitatum Montanarum.

Hactenus ad Normam Catalogi, qui e Cancellaria Hungarica exſcriptus eſt, quamvis hic eſt auctior, & emendatior ſequuntur nunc quidem relicti; ſed ex Chirographis portarum per quemdam excepti.

Relicti ex Magnificis.

Stanislaus Thurzo Comes Scepuſienſis.
Frater Adoleſcens Comitis a Zrinio.
Gaſpar, & Georgius Drughet de Homonna.

Sebaſtia-

Digitized by Google

Sebaſtianus Comes Krwſych.

Benedictus Comes Seraganti.

Joannes de Chorone de Dumberth.

Nicolaus Juryſyth.

Joannes Foretſych Buthmawaz, Vice-Banus Croatiæ &c.

Franciſcus Orſinii, Comes perpetuus in Bereg.

Relicti ex Egregiis.

Georgius Thury, Eques, & Capitaneus Cæſ. Majeſtatis Caniſienſis cum fratribus.

Franciſcus Cathay, Capitaneus Cæſareæ Majeſtatis.

Mathias Zennieſi, Capitaneus Patachienſis, Cæſareæ Majeſtatis.

Andreas Kilman, Capitaneus Comaromienſis Cæſareæ Majeſtatis.

Joannes Tharles.

Franciſcus Wecckey.

Stephanus de Kyswarda Nobilis.

Franciſcus Horvat Nobilis.

Andreas Perazy, declaratus in Diæta Commiſſarius finium Auſtriæ, & Hungariæ.

Gabriel Raychy, etiam ipſe Commiſſarius ad rectificandos dictos Confines.

Demetrius Ormány, Commiſſarius in Confinibus Poloniæ, & Hungariæ.

Sebaſtianus Capytanffy, Commiſſarius pro Confinibus Hungariæ verſus Styriam, & Carnioliam.

Digitized by Google

Chriſtophorus Chynech. Perg.

Antonius Zekhel.

Wolſgangus a Puchkan, Teloniarius in Hungaria.

Stephanus Gerdak.

Chriſtophorus Allya.

Stephanus Literatus, Capitaneus Nazodiſtarum ſuæ Majeſtatis Cartariens.

Nicolaus Literatus.

Relicti ex Reverendis.

Tranquillus Andronicus Dalmatinus, Præpoſitus neſcio ubi in Hungaria.

Petrus Illicinus Doctor, in Regno Hungarico Advocatus.

Relicti ex Magiſtris.

Magiſter Michael Lyndvenſis Prothonotarius Regiæ Perſonalis Præſentiæ.

Magiſter Georgius de Olgyay, Prothonotarius Curiæ Judicis.

Magiſter Andreas Zazy, Prothonotarius Regni Hungarici.

Magiſter Joannes Zaſiofschy, Scriba Curiæ Judicis Hungariæ.

Magiſter Joannes Chyuſy, Vice-Judex in Regno Hungariæ.

Finis Relictorum &c.

XX.

Digitized by Google

XX.
COMMENTARIORUM
DE
REBUS UNGARICIS,
AC
TRANSYLVANICIS
DECAS DECIMA
CONTINENS HISTORIAM

Belli Sinanici, ac Rerum ab anno ſalutis reparatæ CIↃ IↃ XCII. ad annum 1595 geſtarum.

In Honorem, & Perpetuam memoriam Sereniſſimi Principis Tranſylvaniæ, partim proprio marte quam veriſſime conſcripta, partim ex alienis fragmentis digeſta

AUTORE

JOANNE DECIO BAROVIO.

Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, Magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. Cic.

Sereniſſimo Inclitoque Principi, ac Domino Domino Sigismundo Dei gratia Tranſylvaniæ, Moldaviæ, Valachiæ, Tranſalpinæ, Sacri Romani Imperii Principi, Domino Partium Regni Ungariæ, Comiti Siculorum &c. Domino ſuo Clementiſſimo.

S. P. D.

Nihil magis decet eos Sereniſſime Princeps, Domine Clementiſſime, qui gubernaculis reipub. præſident, quam ut præclaras, ſalutaresque res, quoad vixe-

Digitized by Google

vixerint, ſumma ſemper ope gerant, easdemque in publica hiſtoriarum monumenta referendas curent. Niſi enim Clariſſima Principum facinora, opera doctorum hominum literis mandentur, atque juſtis Encomiis celebrentur, idem certe tumulus, qui corpora eorum contegit, famam quoque obruet, ac nomen e poſteritatis memoria delebit. Atqui ſi veterum Regum, atque Principum exempla intuebimur: reipſa profecto comperiemus, perennis eos gloriæ gratia tam domi, quam militiæ cuncta præſtitiſſe. Quid enim ego Herculem illum, quid Cyrum, quid Alexandrum Magnum, quid Scipiones, quid Ciceronem Patrem Patriæ, & infinitos alios Heroas commemorem, qui certe non niſi perpetui nominis ad ſeram poſteritatem longa ſerie transmittendi ſtudio, tot, tantosque labores pertulerunt.

Verum enimvero nequaquam tot tantaque pericula tam libenter ſubiiſſent, niſi crediſiſſent fore aliquos, qui præclara ipſorum geſta ſcriptis ſuis, ceu illuſtri quodam, ſemperque duraturo monumento æternitati conſecrarent, proinde ſapientiſſimi illi, ac Celeberimi Principes, ſolebant olim conſuetudine nunquam ſatis laudata, non unum, atque alterum, ſed complures viros eruditos ſecum habere, honeſtisque ſtipendiis alere, ut ea, quæ præclare a ſuis Principibus ipſi viderunt geri, in adverſaria confeſtim, tabulasque poſtea publicas bona fide referrent, quæ cum ſæpe mecum cogitarem, & ſummam belli Sinanici hiſtoriis noſtris Ungaricis attexere conarer, diu, multumque mecum conſideravi, poſſemne tuto, ac cum bona tuæ Serenitatis gratia laborem hunc ſuſcipere. Mihi enim tametſi literatas hujusmodi lucubrationes plerique mortalium contemnant, tamen imprimis arduum, periculoſumque vide-

detur, res geſtas ſcribere. Primum quod facta dictis exæquanda ſunt, quod cum laude præſtare, non vulgaris ſemper ingenii habitum eſt. Deinde quia plerique, quæ delicta reprehenderis, malevolentia, & invidia dicta putant: ubi virtutes aliquorum laudaveris, velificationi, & aſſentationi tribuunt: ad hæc in tam mirabili, invidioſa, tragicaque materia, qualis hæc fuit. Maximæ autem difficultatis, maximique judicii eſt, ita hiſtoriam contexere, ut nec partes ipſæ offendantur, & ipſa ſacro ſancta veritas inviolata poſteritati tradatur. Quibus acceſſit, & hæc incommoditas, vel præcipua, quod ego procul a Repub. nemoribus Muſarum abditus, & non exiguis propagandarum ad ſeros nepotes liberalium artium laboribus occupatus, vix, ac ne vix quidem potuerim, citra defectus, ipſam rerum, prout geſtæ ſunt, ſeriem ab hominibus quibusdam politicis, qui mihi hac in re uſui fuiſſent, rite cognoſcere. Imprimis vero majorem in modum extimeſcenda mihi fuit, indignatio tuæ Serenitatis, ne, ſi forte quippiam imprudens hiſtoriæ inſeruiſſem, quod tuam principalem Majeſtatem merito potuiſſet offendere, præſentiſſimum capitis diſcrimen, et, dum gratiam, atque clementiam Serenitatis tuæ capto, periculum mihi crearem. Quæ quamvis me ab hoc incepto, non temere abſterrere potuiſſent, omnibus tamen illis impedimentis poſthabitis, conatus ſum in hac decima meorum Commentariorum Decade res geſtas proximi triennii maxime memorabiles breviter, ac quantum aſſequi potui, veriſſime complecti. Primum quidem, ut admirandas Dei optimi maximi res, quæ paucis hiſce annis contigerunt, juſtaque ejus judicia, quæ in multos mortales exercuit, poſteritati traderem. Deinde,

ut

ut hiſtoriis Patriæ pro mea parte virili, & ego conſulerem, nec tantas noſtræ ætatis res perpetuis oblivionum tenebris involvi, quantum in me ſitum eſſet, deſidioſe paterer. Imprimis vero Auguſtam, Venerabilemque tuæ Serenitatis famam, atque gloriam non ſolum apud domeſticos populos, ſed etiam apud externos, veriſſima rerum geſtarum hiſtoria inter ipſos promulganda, contra malevolos tuerer, atque deffenderem. Non enim puto Serenitatem tuam latere, quam multi mortales, hac tragædia penitius non intellecta, ſiniſtrum de actis Serenitatis tuæ judicium ferre, virulentosque, præſertim in exteris regionibus ſermones ſpargere non vereantur. His maledicorum voculis quomodo obviam iri, oraque eorum obturari poſſent, equidem non video, quam ut veriſſima rerum geſtarum hiſtoria in lucem edita, juſtaque Apologia promulgata, famam, dignitatemque ſuam, Serenitas tua etiam in peregrinis regionibis orbis Chriſtiani, longe lateque tueatur. Nec ſolum hanc Hiſtoriam veriſſime deſcriptam eorum, qui adhuc in vivis ſunt, ſed etiam poſterorum gratia omnino exſtare neceſſe eſt. Erit enim procul dubio inter eos etiam, qui poſt nos naſcentur, ſicut inter præſentes fuit, magna diſſenſio, cum alii laudibus ad cœlum res geſtas Serenitatis tuæ efferent, alii fortaſſe aliquid requirent, idque vel maximum, niſi veriſſima, atque luculentiſſima harum rerum hiſtoria ad eos propagetur. Serviat igitur, neceſſe eſt, Serenitas tua iis etiam judicibus, qui multis poſt ſeculis de Serenitate tua, ac omnibus ejus geſtis, multo, quam præſentes, incorruptius, quippe, ſine odio, & amore, judicabunt. Nec enim hæc Serenitatis tuæ vita dicenda eſt, quæ corpore, ac ſpiritu continetur, quæque propter naturæ fragilitatem,

tem, & inſtabiles humanæ fortunæ caſus, brevis juxta, ac incerta eſt. Illa inquam, illa vita tua eſt, Sereniſſime Princeps, quam propter egregia in patriam merita cœlitus a Deo donandam: ſera nepotum poſteritas alet, quæ vigebit memoria ſeculorum omnium, quam ipſa æternitas ſemper intuebitur, nec ulla unquam temporum delebit oblivio. Ad hanc igitur vitam tua Serenitas aſpiret, hanc gloriam, nullo unquam tempore intermorituram, ſectetur, oportet, quæ eſt illuſtris quædam, & pervagata multorum, magnorumque vel, in ſuos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum, atque beneficiorum. Huic tua Serenitas inſerviat, huic ſe clariſſimis in omnes hominum ordines benefactis voveat, oportet. Quæquidem jam, quæ miretur, pridem multa habet, nunc etiam quæ laudibus in cœlum evehat, magno deſiderio exoptat. Quis enim non miretur, hanc provinciam, tot undique cimcumventam hoſtibus, tamdiu, tamque feliciter a tua Serenitate gubernatam? tot clancularia adverſus ſe conſilia tam ſagaciter animadverſa, tantorum in ſe procerum conjurationem repreſſam, tria maximi momenti Regna a Turcico Imperio avulſa, Chriſtianoque fœderi adjuncta, tantam Tartarorum multitudinem, Turcarumque copiam, felicibus tuæ Serenitatis fuſam fugatamque auſpiciis! ac ut reliqua tumide ne recenſeamus, quæ ſperare licet, tot tantasque res duobus ſaltem hiſce, tribusve annis, tam prudenter, excelſoque animo, in hac florenti ætate geſtas! obſtupeſcent certe hæc omnia poſteri, & majorem in modum mirabuntur. Nam, ſi verum, citra omnem adulationis ſuſpicionem, dicere liceat: quod Tranſylvània, Moldavia, Tranſalpina, hoc eſt, uno verbo

bo: tota Dacia a Turcico Imperio deſciverit, Sacroque Romano Imperio incorporata ſit; quod Poloni, ac Veneti idem contra Barbaros conſilium agitent: quod Principes Imperii, ac ceteri Reges Chriſtiani ſacrum contra Barbaros fœdus iniverint: quod Chriſtianus orbis, capto Jaurino, bene ſperare audeat: quod ex tanta Tartarorum multitudine pauciſſimi evaſerint: quod tot, uno duntaxat Anno, Turcarum millia cœſa ſint in Tranſalpina, & Moldavia: quod tantus captivorum Chriſtianorum numerus, e dira ſervitute in priſtinam libertatem aſſertus ſit: hæc certe omnia, ſecundum Deum, uni tuæ Serenitati accepta ferenda ſunt, cujus exemplo totus Chriſtianus orbis, & confirmatus in ſacro fœdere, & excitus ad bellum Barbaris inferendum omnino videtur. Proinde ſi, quod optari debet, ſperare fas eſt, auſpicatus ſacro huic bello finis contigerit: nullum ſane dubium eſt, quin inter omnes reliquos chriſtianæ Repub. duces, in Clariſſimum, & longe Celeberimum Principem, quod & nunc factum videmus, Serenitas tua evaſura ſit. Sin autem ſecus, quam optamus, atque ſperamus, res jam coepta contingeret, quod omen Deus Clementiſſimus ſua potentia procul a nobis averruncet, recta tamen piiſſimi conſilii, atque propoſiti conſcientia, tantaque virtus, ipſa etiam ſine felici ſucceſſu abunde magnum ſui prœmium tuæ Serenitati foret. Quis igitur hæc non miretur? quis non ſuſpiciat? quis non obſtupeſcat? verum enimvero principia ſunt hæc rei duntaxat feliciter gerendæ, initia æternæ gloriæ, divinis virtutibus acquirendæ. Hæc jam Serenitati tuæ reliqua pars eſt: hic reſtat actus: in hoc ſumma ope elaborandum eſt, ut quod in dies laudabiliter facit, civilis hujus diſſidii, Tragœdiæque incendium ſalute

patriæ

patriæ reſtinguat, Rempublicamque tam foris vigilantia, diligentiaque fidiſſimorum ducum contra externos hoſtes tueatur, quam domi honeſtis legibus, ac libertate florentiſſimam efficiat, paternaque moderatione, ac clementia vinculis adamantinis devinciat. Sed ne Soli lucem inferre videar: quamvis multa me deterrere potuiſſent, ne hoc, quicquid eſt, laboris tuæ Serenitati offerrem: ſingularis tamen tuæ Serenitatis Clementia, & cum omnium in bonas literas favor, tum in me privatim benignitas effecit, ut primum omnium tuæ Serenitati has meas lucubrationes offerrem. Primum ut quoniam Syntagma legum Cæſarearum, ac Ungaricarum, facili quodam omine conjunctionis Daciæ totius cum Imperio Romano, maximis certe meis laboribus elucubratum, tuæ Serenitatis nomini conſecraveram, eidem etiam hanc poſtremam meorum Commentariorum Decadem, uti tunc promiſeram, inſcriberem. Deinde ut fidem meam exſolverem, & aliquam Hiſtoriæ Ungaricæ partem, partim ex fragmentis cujusdam digeſtam, partim proprio meo marte elaboratam, exhibendo, aliquem Annalium Hungaricorum pari modo digeſtorum, guſtum noſtris hominibus præberem, quos aliquando, Deo auſpice integros promulgare, ſi liberalitas Serenitatis tuæ, annuerit, conabor. Ad hæc, ut quoniam propoſui, Serenitatis tuæ famam, atque principalem dignitatem hoc ſcripto contra ſiniſtram hominum Cenſuram tueri, Tua imprimis Serenitas quidquid addendum, vel detrahendum, vel etiam immutandum in eo, imo, ſupprimendumne, an promulgandum ſit, ſecum ipſa judicaret. Nam ego hoc, quicquid eſt laboris, tuæ Serenitatis tamquam Principis eruditiſſimi, & ſapientiſſimi judicio trutinandum, limandum, examinandum, corri-

corrigendum ſubjicio. Quamobrem Serenitatem tuam etiam atque etiam oro, ut has meas vigilias non exiguis laboribus elucubratas, illuſtri gratia excipere, atque me, operas penſaque Reipub. qualia poſſim, tradentem, benignitate ſua, atque munificentia Principe digna compleċti non dedignetur, ut ſiquid in iis deſideraretur, clementer id mihi condonare, & ut mutari poſſit, ſuggerere, pro ſuo, erga ſui nominis exiſtimationem, ſtudio non gravetur. Spero tamen, & apud principalem tuam Serenitatem Dominum meum Clementiſſimum, & apud noſtros homines, talibus alioquin literatis laboribus non ſatis æquos, gratiam me aliquam eſſe, hoc etiam nomine initurum, quod & legibus noſtris digerendis, ac Imperatorio Juri conjungendis, immenſos certe, ac incredibiles labores impenderim, & Serenitatis Veſtræ, rerumque patriarum præconio pro virili mea parte non defuerim, nec, ſi liberalitas, atque munificentia tuæ Serenitatis in toto terrarum Orbe decantatiſſima, ac celeberrima coeptis meis aſpiraverit, quoad vixero, defuturus ſim. Sed jam ne multis verborum ambagibus obſtrepere videar, Principalem tuam Majeſtatem ad gloriam Dei, quam diutiſſime valere, atque conceſſis divinitus novis Titulis, ac Regnorum acceſſionibus, quam feliciſſime, diutiſſimeque uti, frui, cupio, & opto

Serenitatis Tuæ

Servitor & Cliens humillimus
Joannes Decius Barovius.

COM-

COMMENTARIORUM DE REBUS UNGARICIS DECADIS DECIMÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Inſtituto hujus Decadis Decimæ.

1566. Capto Sigetho, ac Gyula arcibus Ungariæ, longe munitiſſimis, poſtquam Maximilianus tot difficultatibus in dies ubique emergentibus, videt, nequaquam ſe Barbaris fore parem, miſſis ea de re Nunciis, pacem cum Selimo Turcarum Imperatore facit. Inter conditiones fœderis, & hæc fuit, ne liceret Tormentis bellicis Arces, Urbesque oppugnare, interim tamen nihil obeſſe, quominus velitationes, & depopulationes fierent, Territoria ſubigerentur, imo Arces etiam, ac Oppida vi & dolis, modo Tormenta bellica abeſſent, caperentur. Multæ igitur, ac memorabiles victoriæ juxta, ac clades, utrinque hoc interjecto fœderis tempore in Ungaria martialis ludi alea contigerunt: ut Celeberrima illa Franciſci Gezty ad Nadudvarum victoria: ut bini illi noſtrorum apud Sixoviam triumphi: ut Sasvarii apud fluvium Bozod clades: ut Nadasdi non procul a Buda infortunium: ut ejusdem Coppanienſis Arcis expugnatio, ceteraque clariſſima facino-

Digitized by Google

cinora, ut nundinarum Thurienſium direptio Duce Stephano Bathoreo facta: ut alia denique quam plurima bellicæ rei monimenta. Sed his in præſentia omiſſis, ea nos tantum proſequi in his Commentariis ſtatuimus, quæ rupto fœdere, in Ungaria, præſertim ac Dacia contra Barbaros geri cœpta ſunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Clade Turcarum ad Siſecum.

Annus igitur agebatur Chriſtianæ ſalutis 1592. cum Hazonus Baſſa Boznenſis partim ſuapte, ſponte, ac ſæviendi in Chriſtianos cupiditate, partim variis noſtrorum cum in Croatia, tum in ipſa etiam Hungaria irruptionibus, ac vexationibus irritatus, quinque millia ex omni ſuorum numero ſeligit, & cum iis Siſecum obſidet. Erat Siſecum in Sclavonia arcis munitiſſimæ magis, quam clauſtri ſpeciem obtinens, tam natura, quam arte bene munitum, cui id temporis nomine Abbatis Nicolaus Miskolcius homo, & conſiliis circumſpectus, & manu promptiſſimus præerat. Sed Vicarius, ut vocant, ejus grandi pecunia ab Hazono Baſſa corruptus, ſex annos, jam conſilia prodendæ arcis ſecum agitaverat, Baſſamque eo tempore exequendæ ejus rei gratia evocaverat. Is poſtquam vi arcem ſe capere poſſe deſperat, datis ad præfectum literis magnis ad deditionem arcis eum minis hortatur, & ut facilius eam Abbati perſuadeat, omnia ſecretiora ſibi ejus conſilia probe conſtare ſignificat. Abbas comiter nuncium, diligenterque quisnam is eſſet, qui

Digitized by Google

qui ſtatum monaſterii Baſſæ ſignificaret interrogat, is ſeu fato, ſeu terroris incutiendi ipſis ſtudio ductus, Abbati eum aſſiſtere ſignificat, procul dubio Vicarium ejus innuens, qui multos jam annos clancularia cum Baſſa conſilia, uti dictum eſt, agitaverat; Abbas cum eſſet altiſſimi, juxta moderatiſſimique conſilii homo, diſſimulato in præſens dolore, legato protinus Turcico arma, pecuniam, commeatum, omnemque arcis apparatum oſtendit. Eo nuncius, ſupra quam cuiquam credibile ſit, exhilaratus, mirum in modum jam in ſinu gaudebat, demonſtratis igitur ei, omnibus, quæ digna viſu judicari, poterant, ambos ipſos legatum, ac proditorem menſæ ſuæ adhibet, & variis ſermonibus inter epulas habitis, quaſi amicum erga eos foveret animum, laute ipſos accipit. Mox menſis remotis, jubet utrumque acerrime vinciri, vinctosque per feneſtras palatii in Savum fluvium muros alluentem præcipitari. Exactis poſtea aliquot diebus, mirari Baſſa, & cum præcipuis ſuorum, cur nuncius elapſo tot dierum intervallo ad ſe non reverteretur, disquirere, itaque miſſo altero nuncio imperioſe denunciat Abbati, ac adjectis pro authoritate minis, ſciat, ſe, ſi forte eum contumelioſe intercepiſſet, pari, aut etiam majore id factum, injuria compenſaturum eſſe. Abbas, compoſito ad moderationem vultu, reſpondit, ſe nuncium ex arce omnino emiſiſſe, quod ſi is ad Baſſam non revertiſſet, ejus ſe criminis haud quaquam teneri. Interim pollicetur ſe, quoniam ſuarum probe virium conſcius, arcem ulterius tueri non poſſet, eam omnino Baſſæ traditurum, ſed his conditionibus, ut exacto triduo, nonniſi ſelectiſſimos ex omni ſuorum numero proceres ad accipiendam arcem mitteret, non parvo enim dedecori ſibi futurum, ſi

infimæ ſortis hominibus tanti momenti caſtellum dederet. Placuit Baſſæ vehementer Abbatis reſponſum, maxime, quod citra ullam periculorum aleam, tam munita ſe arce potiturum ſperaret. Interim Abbas indictis in arce publicis precibus, opem imprimis divinam implorat: poſtea tormenta omnia majora pariter, ac minora quam diligentiſſime inſtrui jubet, eaque veſtibulo arcis, quam barbaris intrandum neceſſario erat, inſodienda curat, & ſimul aliquot pulveris tormentarii vaſcula ibidem poſita, ceſpitibus aliisque id genus operimentis contegit. Dum hæc aguntur, triduo jam elapſo, ad præſcriptum barbari tempus, quam ornatiſſime, & magnificentiſſime arci magno cum gaudio, ac ſpe monaſterii potiundi appropinquant. Quibus Abbas viſis, jubet portas attolli, iisque quingentos ex barbaris, qui reliquis genere, ac ornatu præſtare videbantur, triplici agmine ſervato, in arcem intromitti. Poſtquam maxima eorum pars introiiſſet, Abbas clauſtris protinus portarum anterioribus ſimul, & poſterioribus dejectis, jubet tormenta ad eos jam antea uſus rite diſpoſita, explodi. Iis hinc inde incenſis, nonnulli eorum diſtracti, membratimque divulſi, periere, alii in aera vi tormentarii pulveris ſublati, volitavere, omnes denique ad internecionem conſumpti fuere, quibus rebus præter omnem ſpem conſpectis, ceteri, qui extra cancellos portarum eventum rei præſtolabantur, nihil omnino antiquius habuere, quam ut in caſtra ad Hazonum Baſſam concitato curſu contenderent, is tanta ſuorum, & ex iis ſelectiſſimorum quorumque clade cognita, furibundus fremere, & horrendis in verum chriſtianorum numen contumeliis, ac blaſphemiis effuſis, jurejurando ſe vovere, tantam ſuorum perniciem diro

ejus

ejus arcis excidio vindicaturum. Adjiciebat etiam, ſe, cum illi non virtute, ſed dolis, ita fortiſſimos milites circumveniſſent, palam, apertoque marte eos oppugnaturum, periculumque propediem facturum, an parvus chriſtianorum Deus (ita enim blasphema capita, Chriſtum per contemptum appellant) e manu eos ſua eruere poſſit, cujus illi potentia, numineque divino freti, tam audacter ſe Cæſaris imperio objicerent: habere ſe Mahometem longe illo potentiorem, cujus Muſulmanni (ita enim ſe vocari gaudent) præſidio fulti, mille jam amplius annis monarchiam in orbe, latiſſimumque imperium obtinuerint, chriſtianique nominis aſſeclas, in eas, in quibus nunc verſarentur, anguſtias redegerint. His atque aliis blaſphemiis, dirisque in cœlos effuſis, in furorem quaſi rabiemque actus domum ſe contulit.

CAPUT TERTIUM.

De clade Hazoni Baſſæ poſtrema, quæ totius belli Sinanici cauſa exſtiterit.

Domum reverſus Hazonus Baſſa, totam eam hyemem, quam longa fuit, acerrimo militum delectui, ceterorumque uſibus belli neceſſariorum apparatui, ſumma cum diligentia attribuit, & circa ſecundum, ac vigeſimum Junii diem, matureſcentibus jam ſegetibus, quo ipſi tempore copias ex hybernis educere, & univerſalia gerere bella plerumque ſolent, expeditionem adverſus Siſecianos poſtremam ſuſcipere ſtatuit. Itaque convocatis novem circiter finitimarum arcium præfectis, viris ſtrenuis, & uſu bel-

bellico exercitatiſſimis, quos ipſi ſua lingua Begos appellant, quaſi dicas dominos, collectisque triginta ſex ſelectorum equitum juxta, ac peditum millibus Drencinum primo caſtellum infenſis armis petit. Eo non multis poſt diebus ex animi ſententia expugnato, arcem confeſtim Siſecianam obſidet, & quo majore antea inde ignominia pulſus fuerat, eo intentiore ſtudio opugnationem monaſterii adurget. Proinde, admotis majoribus tormentis, omnibusque rebus, ad maximam quamque obſidionem neceſſariis, acerrimo ſtudio adhibitis, tanto muros impetu concutit, tantaque aſſiduitate obſeſſos fatigat, ut ni mature ſuccurſum laborantibus fuiſſet, procul dubio, dedi arcem barbaris, vel capi neceſſe fuiſſet, id ubi noſtri accepiſſent, & quanto in periculo Siſeciani verſarentur, ni quamprimum illis ſuppetiæ ferrentur, cognoviſſent: confeſtim Thoma Erdödio Bano Croatiæ, & Comite ab Egenberg Generali, ut vocant Caroloſtadiano ducibus, coactis quam celerrime, ſex millibus armatorum, Savum fluvium trajiciunt, & ſeptimo obſidionis die, Siſecianis jam pene deſperantibus, tempeſtivam opem ferre conſtituunt. Id ubi Hazonus Baſſa ab exploratoribus accepit, & quam pauci numero, ſed animis præſentes, chriſtiani auxiliatum obſeſſis venirent, cognovit: obſidione tantiſper ſoluta, ad adventantem noſtrorum exercitum, ratus, feroci ſuo occurſu, noſtros omnino territum iri, cum inſtructiſſimis copiis contendit, verum enimvero antequam marte cum hoſtibus rem diſcerneret, ut majori cum fiducia, ac vincendi neceſſitate, milites cum noſtris confligerent, pontem quo copias traduxerat, fato ejus ita flagitante reſcindendum curaverat, omnibusque impedimentis trans Colapin fluvium, qui noſtra tempeſtate Culpa nomi-

nominatur, in caſtris relictis, expeditos milites ſecum transduxerat, ſunt tamen nonnulli, qui pontem ab iis, qui in caſtris ultra flumen cum impedimentis præſidio relicti fuerant, cum metu perterriti, noſtros tranſitu prohibere conarentur, interciſum fuiſſe dicant. Sed nos hac re in medio relicta, ad noſtros revertamur, qui quamvis numero plurimum hoſtibus impares eſſent, tamen cum eos adventare viderent, nec inde, niſi vel victi vel victores regredi poſſent, manus omnino conſerere ſtatuunt, itaque omnem ſalutis ſpem in divino præſidio, ac ſua virtute poſitam rati, data pugnandi copia, ſignisque collatis, tanto ardore prælium iniere, ut hoſtem confeſtim in fugam verterent, & ſumma vi in Colapim fluvium impellerent. Mirum profecto fuit, & ſoli divinæ potentiæ adſcribendum, quod tanta barbarorum multitudo, primo ſtatim noſtrorum impetu fundi, atque fugari potuerit, tanto divinæ clementiæ argumento, ut plures a ſe invicem, dum alter alterum in fuga præcipere feſtinat, & flumine Colapis, quam a noſtris militibus perempti fuerint, periere cum Hazono Baſſa ſummo copiarum duce Memius, Ruſtanus, & Achmanus Cæſaris amitæ, de qua paulo poſt pluribus dicetur, filius, juvenis maximæ jam ſpei, præfectus Illyrici, ceterique aliquot duces, quos ipſi Begas vocant, qui omnes Colapis flumine ſubmerſi interierunt, Gregariorum numerus certo iniri non potuit, cum plurimos rapidiſſimus Colapis gurges abſorpſerit, certo tamen fertur, ad viginti ſex barbarorum millia ea clade periiſſe, qui nimis extenuant, ſedecim millia abſumpta eſſe tradunt, ſunt etiam tormenta ſex maxima hoſtibus adepta, quorum in numero unum fuit raræ magnitudinis, quod olim Ca-

Digitized by Google

cianus cum reliquis apud Ezecum amiſerat. Sed & minora tormenta, quam plurima, una cum triginta navibus, commeatu, ceteraque rerum pretioſarum multitudine oneratis erepta hoſtibus fuere, ita fuſis, fugatisque Turcis, caſtra eorum trans fluvium Colapis relicta, navibus coriaceis ad eos uſus jam antea confectis, milites transvecti, diripuere, & calones omnes cum toto præſidio, atque lixas partim trucidavere, partim ſub corona vendidere.

COMMENTARIORUM DE REBUS UNGARICIS DECADIS DECIMÆ LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De clade Siſecenſi Conſtantinopolim perlata.

Poſtquam Cæſari renunciatum fuit Hazonum Baſſam Bosnenſem totum exercitus ſui robur ſecum amiſiſſe, tantus ſubito motus, ac conſternatio totum imperium Turcicum pervaſit, ut maximam vulgo omnes, inauditamque iſtis temporibus calamitatem Turcarum genti contigiſſe, ſecum reputarent. Atque ea quidem clades, cum alios omnes multis nominibus ſollicitos reddebat, tum eos potiſſimum, qui erant a conſiliis Cæſaris, & in iis maxime Sinanum, qui, quod conſilii, & aulæ princeps haberetur, omnem ejus infortunii contumeliam ferme ſolus

Digitized by Google

lus ſuſtinebat. Ne autem ea res gravius, quam par eſſet, Cæſaris animum exulceraret, omne ſuum ſtudium in eo Sinanus ponebat, ut ſtragis ipſius incommoda elevando, Cæſari perſuaderet, daturum ſe operam, ne quid ex eo nomini ipſius, gloriæque decederet, talia Sinanum ſecum animo agitantem, & Cæſaris offenſionem vehementer metuentem, mulier quædam vidua grandis natu, Cæſaris amita, in præſentiſſimum vitæ, fortunarumque periculum fere adduxit.

CAPUT SECUNDUM.

De amita Cæſaris eum ad bellum contra Chriſtianos excitante

Hæc olim Amhati Baſſæ uxor fuerat, viri tum aulæ Turcicæ gratia potiſſimum florentis, ex quo aliquot liberos mares, magnæ jam ſpei juvenes ſuſceptos habebat, quorum natu maximus Illyrici Præfectus in proximo Siſecienſi prælio, cum multis aliis ejus ordinis flumine Colapis hauſtus, interierat. Ejus morte mater anxia, tota ardens ulciſcendi cupiditate, moram omnem, quæ interponebatur, adeo impatienti fertur animo tuliſſe, ut captata Cæſaris adeundi occaſione, nocte intempeſta lugubri habitu, & vultu ad mœſtitiam compoſito, ad eum ingreſſa fuerit, & tali oratione cunctantem eum, paulo liberius monuerit. Quid agis inquit Imperator, hoccine eſt Imperatorem agere? in tam communi omnium calamitate, in graviſſimo amiſſi exercitus caſu, in tam miſerabili tot fortium virorum, qui pro tua gloria fortiter pugnantes, mortem opetierunt, nece non conmoveris, an non audis chriſtianos illos, non, contentos jam ſuis finibus, per eam exercitus tui

cæ-

cædem, tibi jam ipſi perniciem, urbique huic excidium machinari, ſed non audis certe, opinor eorum ſcilicet culpa, qui rebus adminiſtrandis præpoſiti, quæ vel maxime te ſcire tua intereſſet, tuis ſenſibus ſubtrahunt, aut non ea fide, qua deberent, compendii, quæſtusque ſui gratia referunt. Crede mihi Imperator, major omnium, major opinione tua clades accepta eſt, deletus exercitus ille tuus, cui quem ſubſtituas, parem fortaſſis nullum habes. Non ego hoc proprio dolori indulgens, ob amiſſum tantæ virtutis filium, ob oculos tibi pono. Perierit ille eſto, præclare judico actum cum illo, qui pro tua gloria, proque religione vitam profuderit. Habeo alios, quibus ſimilem exitum modo id tibi expediat, exopto, ſed illud me excruciat, quod his tuis adminiſtris, tam nefarie res imperii tui procurantibus, omnem tuam vim, Majeſtatemque, a chriſtianis illis contemni videam. Imitare Imperator majores tuos, imprimis autem Solymanum avum, quo vivo in tantum res Turcica crevit, ut orbi terrarum univerſo formidinem incuſſerit. Equidem polliceor tibi, nullos fore mortales, qui te ferant, quoquo te verteris, cedent omnia viribus tuis, ſin autem te domi continueris, vereor ne plures, brevi ſuperiori huic ſimiles tuorum clades audias.

CAPUT TERTIUM.

De bello in Chriſtianos a Cæſare decreto.

His dictis profuſa in lacrymas, & ad pedes illius provoluta, adeo eum commovit, ut ſtatim eam Cæſar bono animo eſſe juſſerit, jam jam ipſam viſuram, quantum authoritas ejus, a qua cauſam ſuam agi

agi videret, apud ſe valeret. Nec ultra moratus, poſcit ſtylum, ac pugillares, atque ſua ſtatim manu perſcribit Sinano, ut ſibi neceſſaria omnia illico ad bellum inſtruat, nec ullam expeditioni moram faciat. Accepto hoc mandato Sinanus collegas omnes ad ſe convocat, eodem momento, eisque proponit Cæſaris animum, quidque facto ſit opus, totam noctem inſomnem cum eis ducens, diu multumque disquirit. Poſtridie tandem ex ſententia omnium certiorem facit Cæſarem, maximum apparatum, ubi Cæſar bello ſit interfuturus, requiri, cujus curandi poteſtatem in præſentia penes ſe non eſſe, adulta jam ætate, quæ antequam omnia pro Cæſaris dignitate, in uſus tanti belli comparentur, citius in adverſas bello tempeſtates, hyememque ipſam ſint prolapſura, verum ſi Cæſari videatur, ſeipſum poſthabita ætatis excuſatione, fauſtis ipſius auſpiciis, omni præciſa mora in bellum profecturum.

CAPUT QUARTUM.

De Sinano Belliduce conſtituto, & portentis quibusdam.

Placuit hoc Cæſari, non aſveto bellicis laboribus, & natura corpore imbecillo, ſtatimque Sinano belli Imperatore dicto, omnem poteſtatem, cuncta pro arbitrio conſtituendi attribuit. Hanc provinciam Sinanus, octogenarius jam ſenex, non tam ſua ſponte expetiviſſe, quam neceſſitate adductus, ſuſcipere viſus eſt, quod certus eſſet, acceptæ illius cladis, quæ in eum ſolum belli ipſius authorem redundaret, ignominiam, ſi domi maneret, morte ſibi luendam eſſe. Proinde accepto munere, habitoque acerrimo militum delectu, cum urbanis

pri-

Digitized by Google

primum copiis Conſtantinopoli eggreſſus, modico ab urbe ſpatio caſtra ponit, ut ea fama adducti, ceteri, qui ad bellum conſcripti eſſent, eo celerius ex omnibus imperii partibus ad ſe convolarent. Porta Hadrianopolitana egredienti, cum ſigna de more militari præferrentur, in ipſo ſtatim portæ exitu, unum ex iis repente in terram delapſum, a circumſtante turba tractum in omen fuit, funeſtum cunctis ejus belli exitum, jam tum animis præcipientibus. Milvorum quoque circumvolitantium, & copias ejus ſequentium, tanta ſubito vis in aere apparuit, ut nihil ſe ſimile vidiſſe, cuncti, qui ejus rei ſpectatores fuerant, affirmarent, per eos dies aliud etiam ejusdem generis memoratu dignum evenit. Cum de bello hoc chriſtianis indicendo, ſententiæ omnium exquirerentur, ajunt Mufftium, ſacrorum apud eos Principem, cujus ſumma eſt apud omnes ordines authoritas, audacter pronunciaſſe, bellum illud ſibi injuſtum videri, ideoque & eos, qui antea cum Baſſa Bosnenſi in pugna occidiſſent, jure ſibi, ob violatum fœdus cœſos eſſe, animasque jam eorum pœnis infernalibus torqueri, & alios omnes, qui gerendo impio huic bello interfuturi eſſent, iisdem, omnino teneri. Quæ res ad Cæſarem delata, tam alte in ejus animo inſedit, ut minime ferendam ſibi tam liberam vocem, qua viri fortes ad bellum gerendum ſegniores redderentur, ratus, accerſito confeſtim in aulam Mufftio, quaſi de ſeriis quibusdam ſecum acturo, hunc in modum vivendi finem impoſuerit: cum pro conſuetudine aulæ epulum ei appoſitum eſſet, ille eo guſtato, & pone calice hauſto, eo ſtatim momento exanimatus concidit, mortuusque eductus fuit, omnibus quidem rei novitate attonitis, ſed nemine tamen

men, vel queri, vel hiſcere duntaxat auſo, tantum ſibi tyrannus ille deferri a ſuis poſtulat, ut inter juſſa ſua, & numinis oracula, nullum tamen diſcrimen relinquat.

CAPUT QUINTUM.

De legationibus ad confœderatos miſſis, ac imprimis ad Tranſylvanos.

Qua die Sinanus imperii faſces ſuſcepit, in omnes extemplo regiones, quam late fines imperii Turcici, protenduntur, nuncios, quos Chauſios ipſi vocant, ſupra quadringentos cum literis dimiſit, quibus quæ bello huic neceſſaria videbantur, viros, arma, commeatus, & ubi quique armati præſto ſibi eſſent, cunctis imperabat. Ita miſit ad principem quoque Tranſylvaniæ Sigismundum Bathorium Mahumethem, obſcuro quidem in Tranſylvania loco natum, ſed qui ante complures annos, deſerta vita ſcholaſtica, quam aliquandiu, docendo juventutem profeſſus fuerat, patriæ religioni nuncium remittendo, ad impia Mahometis ſacra deſciverat, tantumque, Conſtantinopoli inter aulæ illius mancipia degens, in familiaribus ejus gentis artibus ſimulatione, dolis, verſutia, ſuorum odio, & proditione profecerat, ut ea ingenii levitate, & perfidia peregrinus homo, natos longe Turcas ſuperaret, cum linguam, mores, & inſtituta Turcarum, probe callere, ac quod, caput eſt, mentiendo, fallendo, & cum æqualibus adulatione, & nequitia certando, perbelle jam Turcam referre, videretur, in Chauſiorum ordinem adlectus fuit.

CA.

CAPUT SEXTUM.

De oratione Mahometis Chauſii, ad Principem Tranſylvanum.

Hinc poſtquam Albam Juliam, mutatis ad celeritatem jumentis, advolaſſet, illico poſtulanti ſenatus datus fuit, in quo redditis Principi Cæſaris literis, longam orationem exorſus, cœpit commemorare, Cauſas, quibus Cæſar inductus, Regi Vienneſi (ita enim illi Romanorum Imperatorem appellant) bellum indixiſſet, nempe Germanorum nationem inquietam, & alieni appetentem ſemper fuiſſe. Hungariæ quidem regnum, quod primum Joanni Regi delatum fuit, armis invaſiſſe, Regem illum legitimum regno ab eis deturbatum, ac a Solymanno tamen in fidem acceptum, & in regnum reſtitutum, eandem ſemper quamdiu is vixiſſet fortunam expertum ab eis fuiſſe. Sublato morte Joanne, regnum in manu pupilli filii, & Reginæ matris fuiſſe, rurſum Germanos in ejus poſſeſſionem involaſſe, quibus a Solymanno pulſis, cum nulla alia ratione conquieturi crederentur. Cæſarem ita pupillo proſpexiſſe, ut Regina cum filio Tranſylvaniam obtineret, ipſe Buda, & aliis finitimis urbibus potitus, Germanos in officio contineret. Fuiſſe id aliquamdiu uſui Ungariæ, ſed identidem Germanos tentantes, fruſtra armis ſemper victos ſuccubuiſſe. Sed ne vetera inquit commemorem, bello ſuperiori Perſico, cum ea tunc occaſione utendum ſibi rati Germani, rurſus ad ingenium rediiſſent, multum incommodi Cæſaris ditionibus, prædas inde agendo, incurſionibus eas vexando, inſidiis, aliquot viros

viros fortes, arcium præfectos intercipiendo, hoſtilia omnia in ea exercendo, intulerunt, adeo, ut aſſiduis eorum querimoniis fatigatus Cæſar, dudum de ulciſcendis injuriis ſtatuiſſet, niſi memor fœderis, omnia prius, quam vim, & arma experiri ad nominis ſui Majeſtatem pertinere exiſtimaſſet, tantam eſſe latrunculorum illorum importunitatem, ut vias omnes, quibus Conſtantinopolim iri ſolitum ſit, præſertim vero ultra Szegzardum circa Batham, & finitima oppida infeſtiſſimas reddiderint. Verum tamen Cæſarem de damnis illatis ſatisfieri, ſibi ablata reſtitui, captivos dimitti, & fœdus comiter coli poſtulaviſſe. Id illi cauſati non ab ipſorum, ſed partim ab Archiducis Caroli ſubditis, partim vero aliis liberis peditibus, qui eo fœdere non includerentur, nec omnino compeſci poſſent, ea perpetrari, palam oſtenderunt Cæſaris intereſſe, non inultas ſuorum injurias relinquere. Cum autem Baſſa Bosnenſis tantis illorum maleficiis irritatus, etſi inconſulto eos Cæſare perſequeretur, illi fingentes æquis ſe cum eo Conditionibus tranſacturos, eo interim aſtu rem deduxerunt, ut manu repente facta, nihil tale opinantem armis ſecum decernere coëgerint, facileque incautum, & viribus imparem oppreſſerint. Ita autem ab iis compoſitum fuiſſe, ut milites omnes, & auxilia clam Vienna, in Styriam ſubmitterentur, quæ in locis idoneis collocata, cum uſus poſceret, de improviſo in hoſtes prodirent. Sed ne ante præfinitum tempus hæ eorum inſidiæ detegerentur, ſumma ope providebant, cum aliis rebus, pacem ſe colere ſimulando, tum in primis per Legatum, quem in aula Cæſaris alebant aſtutum hominem, ita ſe temporibus accomodando, ut omnia integra fide agere viderentur. Interea appetente

eo

eo tempore, quo ex pacto tributum ab eis repræſentari ſolet, altum ubique de eo ſilentium, atque eodem exacto quoque plane nulla ejus mentio, niſi quod quærentibus tantæ moræ etiam Cæſaris Miniſtris reſponderit Legatus, ſibi eam non conſtare, poſſe tamen ſe certo affirmare, brevi allatum iri. Quibus omnibus cum verba ſibi dari purpurati viderent, dant hominem in cuſtodiam, additis minis, niſi ad præſtitutum tempus tributum Illud afferetur, nequaquam id eum impune laturum. Verum hoc etiam decretum non ita multo poſt, moti Religione Legatorum, reſcindunt, jubentque eum a Sinano vocari, qui ei negotium dat, ut ſtatim eodem in loco, ſcriptis ad Regem ſuum literis, oſtendat, quo in periculo fuerit, ob tarditatem eorum, quibus Munus illud defferendi ad Aulam Cæſaris tributi delegatum fuiſſet. Quod ita jam maturent deferri, ut prius adſit Conſtantinopoli, quam eam Bilem Cæſari moveat, ut ſerius illatum, perinde, ac neglectum cenſeatur, quod tandem, & ipſe capite ſuo luat, & illis ſit graviſſime Bello redimendum. Scripſit ille confeſtim, illo argumento Epiſtolam, obtulitque Sinano, qui eam a me ſibi interpretatam, totam probavit, obſignatamque a Legato ipſiusmet tabellario dedit, propere ad ſuos defferendam. Conciliaverat Legatus hac re aliquam ſibi rurſus fidem apud Aulam, cum res nova omnes ejus ſubito rationes nudavit. Habebat Legatus inter alios Miniſtros fidum imprimis ſibi hominem, ejusdem ſecum Nationis, rerum omnium, actionumque ſuarum conſcium, qui gravi quadam injuria offenſus, ab eo profugit, profeſſusque Religionem convenit Sinanum, eique arcana omnia Legati ordine apperuit. Sinanus demirari primo, quæ dicerentur, poſtea taci-

tacitus ſecum cogitare, an cadere in hominem tantum nefas poſſet, qui paulo ante ſecum ita collocutus fuiſſet, tandem periculum omnino ejus rei facere decrevit, mittit ſumma celeritate Budam, & ad Baſſam, quid fieri velit, ſcribit. Is paulo poſt advenientem Legati tabellarium adduci ad ſe jubet, excuſſoque diligenter, quicquid uſpiam abditum habuit, aufert, mittitque extemplo Sinano, retento apud ſe tantiſper homine: dum quid Sinanus vellet de eo fieri, cognoſceret. Ex iis Literis ad Aulam perlatis, lectisque omnia eo plane modo, quo ab indice fuerant ſignificata, innotuerunt. Repertæ ſunt enim inter cetera dupplices Legati litteræ, aliæ, quas ad Sinani præſcriptum exaraverat, aliæ, quibus omnia, ingenium ſuum detegens, nec ulli parcens, non Cæſari, non ejus Miniſtris, illum deſidem, fœminisque penſa dividentem, bella provincias, & bella cauponantem, exhauſtum viris, nervis, odio a ſuis haberi: horum alios avaritia infames, ac pecunia corrumpi faciles, alios mentis inopes, alios jocis, ludis, puerisque deditos, diſcordes inter ſe, aulam totam nutanem, avidamque novitatis, Urbem denique ipſam, totumque illud tam vaſtum Cæſaris Imperium, quomodo exuere tam grave jugum geſtiat, ſe plane exploratum habere, magna vi orationis commemorabat. In calce literarum, & Regem ſuum, & cunctos Principes Chriſtianos, ut contra Turcas arma caperent, exhortatus, facilem eis victoriam pollicebatur. Quæ omnia quamvis jam ſatis arguerent, quo animo Germani in Cæſarem eſſent, placuit tamen Sinano experiri, an cetera etiam conſona dictis Judices eſſent. Itaque poſcenti, adjungit comites, qui juſſa ejus capeſſerent, quibus ſtipatus ille, ad ædes Legati re-

ćta contendit, ſubmotisque ejus domeſticis, ac apertis conclavium foribus, per notos ædium tramites, eo pervenit, ubi Legatus ſcripta quælibet ſua, resque ſecretiores aſſervabat. His ſtatim invito, reluctanti que Legato extortis, Sinanoque expoſitis, quibus Legati acta, conſiliaque totius ejus temporis, quo ibi manſit, continebantur, nihil jam prorſus dubii in ejus animo relinquebatur. Hac itaque Germanorum perfidia irritatus Cæſar, nihil ſibi prius, potiusque duxit, quam ut primo quoque violati fœderis culpam in ipſis auctoribus vindicaret. Cum autem ipſemet Cæſar mirifico quodam gerendi hujus belli ſtudio arderet, vix paſſus fuit, ſibi a Principibus Aulæ perſvaderi, ut cum multa videret, ad id in tanta temporis anguſtia deſiderari, ea ſe cura in præſentia liberaret, in ſequentemque Annum ea expeditione dilata, nunc fidei alterius eam provinciam demandaret, ita eum tandem in eorum ſententiam conceſſiſſe, delataque bellicæ rei ſumma Sinano, extemplo eum habito acerrimo militum delectu cum ingenti apparatu in Ungariam juſſiſſe properare. Quæ res cum jam Sinano ita curæ eſſe debeat, ut omnes ubique Cæſaris Imperio ſubjectos, in hanc, gerendi, ſecum, adverſus, communes hoſtes, belli ſocietatem attrahat: te quoque, inter alios Cæſaris ſtudioſos, in tempore, ejus rei per me, certiorem fieri voluit, ut & Cæſari fidem tuam probes, & exemplo tuo alios ad obeunda ejus mandata, alacriores reddas. Hoc tibi cum honorificum apud tantum Cæſarem, tum ejusmodi etiam erit, ut ad beneficii illius, quo Tu, Pater, Patruusque tuus, delato hoc vobis in privatam domum principatus honore, aucti fuiſtis, declarandam memoriam,

hanc

Digitized by Google

hanc optatam tuis ipſius votis occaſionem, oblatam tibi eſſe jure poſſis gratulari.

CAPUT SEPTIMUM.

De poſtulatis Cæſaris a Principe Tranſylvaniæ, & Cæſaris Literis.

His dictis porrecta in ſinum dextera chartulam ſua ipſius manu ſignatam depromens, ea, quæ juſſu Sinani annotaverit, ſe jam ſignificaturum dixit. Ea octo capitibus comprehenſa, his propemodum verbis ſcripta erant. Poſtulata Sinani Baſſæ a Sigismundo Tranſylvaniæ Principe: quinquaginta millia prælongarum haſtarum in Caſtra deferri curet, quarum viginti millia ſolidæ, reliquæ vero 30. millia excavatæ, & cannabis corticibus intortæ ſunto. Operas maximo numero, cum ligonibus, bipennibus, vannis, & aliis id genus inſtrumentis, in promptu habeat. Joannes olim Rex ejus nominis Secundus, quibus Tormentis bellicis Tokaium oppugnavit, ea omnia ſecum adducat. Pulveris Tormentarii, & Globorum tanta ſit copia, ut uſui ſufficiat. Naves ad faciendos in amnibus pontes, quibus idem Joannis Regis filius ſub Tokaio uſus fuit, cum omnibus earum inſtrumentis, ita plane, nequid eis deſit, inſtructas habeat. Fruges, quæ in acervis ſunt, tota Provincia triturentur, qua in re nulli conniveto, nemo ex Provincia ad merenda Germanorum ſtipendia, ſub pœna publicationis bonorum, abeunto, qui Bona non habuerit, capite luito. Quo apparatu Joannes ille Regis filius bello antea Ungarico Solimano Cæſari obviam proceſſerat: eodem prorſus

Sigiſmundus Princeps Sinano ad Belgradum occurrat. Quo ſi qui eum ex provincialibus ſequi nollent, ii vita, & fortunis priventur. Dimiſſo tum Ciauſio, Cæſaris quoque literæ perlectæ fuerunt, in quibus præter ea, quæ a Nuncio fuerunt de bello Germanis indicto, militari imperio Sinani ſignificata, id quoque continebatur, ut Princeps farinæ tritici 100. millia cubulorum, quos noſtra lingua Kilas appellamus, hordei totidem, mellis denique, butyri, ſalisque magnam vim navibus Samandriam, ad uſum exercitus, perferri curet. Ad hæc ipſemet etiam Princeps adito Sinano, juſſis ejus pareat.

CAPUT OCTAVUM.

De deprehenſa Mahometis Ciauſii fraude.

His Cæſaris Sinaniſque nunciis, quibus gravia omnia, & intollerabilia novo plane exemplo imponebantur, varie primum hominum fuere animi affecti, cum haud eſſent neſcii, hæc eo tantum fieri, ut ſiquid horum minime ex eorum præſcripto eſſet præſtitum, id eos pro cauſa ſtatim cur a pactis reſiliant, arrepturos. Verum a provectioribus ætate, uſuque rerum exercitatioribus, animadverſum poſtea fuit, & ea, quæ in literis Cæſaris eſſent, & multo magis, quæ Ciauſius ex ſcripto recitaſſet, ipſiusmet Mahometis, & alterius perfugæ Ibraimi, utriusque jam pridem jurati ſuorum hoſtis inſtinctu, & ſuggeſtione dictata fuiſſe, ideoque ſpatii eſſe aliquid interponendum, quo melius, quid facto opus eſſet, perſpici tandem, ſtatuique poſſet. Eſſe enim, ajebant, in aula Cæſaris Legatos Principis viros induſtrios, qui haud dubie ſumma vi annitterentur, ut et,

quæ

Digitized by Google

quæ ibi agerentur, & quanta Ciauſio fides habenda eſſet, brevi per literas ſignificarent. Ciauſium autem abuti ſuo munere, vel ex eo patere, quod moris non eſſet Cæſaris, literis quicquam addere, cum illis, qui ita mitterentur, id tantum incumberet, ut Tabelliones literarum non interpretes eſſent. Quam rem ita ſe habere, ipſiusmet poſtea Ciauſii confeſſione cognitum fuit, cui cum indicatum eſſet, quomodo ſe geſſiſſet, & quæ illum pœna maneret, ſi ſcripta ipſius in manus Cæſaris cum expoſtulatione Principis pervenirent: ire inficias non potuit, inſipienter ſe feciſſe, quod ea, quæ in Senatu Principis recitaſſet, ſcripto etiam ſuo, quod jam ſibi fraudi eſſe videret, publicaſſet.

CAPUT NONUM.

De Georgii Ravazdii litteris ad Principem, & cum Sinano colloquiis.

Ceterum minime vanam fuiſſe eam, de Legatorum diligentia, opinionem, famulus Georgii Ravazdii, iisdem fere diebus Conſtantinopoli reverſus, re ipſa comprobavit. Hic enim cum multa adverſa in itinere paſſus eſſet, tam a viatoribus Turcis, qui vias omnes infeſtas reddiderant, quam a cuſtodibus portus Danubii, quo interdictum Chriſtianis omnibus fuit, ne per eos fama Belli ad vicinas Gentes dimanaret, vix poſt varios viarum anfractus, ſalvus cum literis potuit domum appellere. Ravazdius autem, ex quo Conſtantinopoli gratulatum Sinano de recuperata rurſus illa primi loci dignitate miſſus erat, complures jam dies ibi hæſerat, Sinani ſane pertina-

cia, & moroſitate, qui jam pridem Principi infenſus, nihil etiamnum de priſtina erga eum animi ſeritte remittebat. Etenim, cum Sinano Ravazdius mandata referret, quam gratum Principi ſuo fuiſſet, cum eum promotum ad tantum honoris faſtigium intellexiſſet: ille eo interpellato, palam negavit, gratulandum de eo Tranſylvanis eſſe. Nam ſi viveret, curæ ſibi omnino fore, ut ea voluptas in exitium Tranſylvaniæ, quod dudum ei meditaretur, verteret.

Cum poſtea quæreret, ecquid novi eſſet, cur Poloni, quod pacti nuper cum eo eſſent, non repræſentarent, cur item Germani tributum non mitterent, qua in re ſpem collocarent. Nam ſi fiducia virium id facerent, ridiculi prorſus eſſent, qui jam pridem tot cladibus affecti, nondum imbecillitatem ſuarum virium agnoſcere, imperioque Cæſaris ſubjicere didiciſſent, ſed brevi eos extremo eorum periculo cognituros, quam male eis mala eorum conſulta ceſſerint. Agerent vero illi inquit, coirent inter ſe omnes Chriſtiani, viresque ſuas conferrent. Acheronta, moverent, quin: vos etiam Tranſylvanos adſciſcerent, nihil ea morari Cæſarem, cum vel mille cornicibus, ut in proverbio dicatur unus lapis ſufficiat. Jam vero rediens famulus Ravazdii cum literis ejusdem, & ipſe, quo loco ibi res eſſent, retulit, & litteræ ipſius idem continebant: Mahumetum Ciauſium, & Ibraimum authores Sinano fuiſſe, ut cuncta pro eorum arbitrio Principi perſcriberentur, quod eo tantum ab eis fieret, ut aliquem ſibi apud eum gratiæ locum invenirent. Verum eorum artes omni ſtudio eſſe eludendas, ut cum ſua ſpe excidiſſent, Sinano quoque, quantum eis in poſterum tribuere deberet, documento eſſet.

Non

Non videtur autem huic loco inconveniens, ſi de hoc Ibraimo, cujus toties fit mentio, pauca hoc loco dicamus.

CAPUT DECIMUM.

De Paulo Markhazio, poſtea Ibraimo appellato.

Erat huic Ibraimo antea nomen Paulo Markhazio, qui cum ex Ungaria primum poſt proditam Turcis Ainacz-Kevienſem Arcem, metu pœnæ in Tranſylvaniam profugiſſet, mox inde quoque, facto cum uxore opulenta fœmina divortio, cum flagitiis & infamia notatus, ferre ulterius conſpectum hominum non poſſet, ad Stephanum Regem Poloniæ ſe profecturum ſimulans, clam ad Turcas defecit. Poſtquam autem Conſtantinopolim pervenit, ingenio ſuo ſtatim detecto, genus ementitum, ſpecie, cultuque corporis, amplo item famulitio, opumque oſtentatione profeſſus: alta illico ſperare, tum gratiam Cæſaris, multa de Tranſylvanis mentiendo, plurima de ſe ipſo promittendo, aucupari, alios ex aulæ primoribus largitionibus, alios obſequiis, blanditiisque demereri coepit. Cum ſcelus in omnes partes verteret ejus animum, videretque omnia apud Gentes illas venalia eſſe, eo amentiæ provectus eſt, ut auſus fuerit ad Principatum Tranſylvaniæ aſpirare, tamquam in auctione aliqua, ſe omnia oblata, immenſa vi auri, ſperans conſecuturum eſſe. Quæ res eo tantum, in tanta illius aulæ corruptela, exitu caruit, quod illius provinciæ ſtatum, non tam facile Barbari mutare poſſent, quam vellent, & qui id cuperent, nihil adferrent, quod ad id conducere videretur, ut Tranſylvania non armis labefa-

ctata, ſed integra, pacataque, ceu aureo aliquo malo, ut ipſis in proverbio eſt, potirentur. Cum aliquandiu, ut promiſſa exolveret, per ſubmiſſas ſecreto ad omnes Tranſylvaniæ ordines litteras, adminiculatore hoc ipſo Mahumete, id incaſſum procuraſſet, ut ei aliqua occaſio, res novas moliendi præberetur, tandem videns ſe æque ab illis, quos ea de ſe ſperare juſſiſſet, atque ab eis, quorum malo inhiaſſet, deſpici, ſenſim vileſcente, apud eos etiam, quibus antea familiariter uſus erat, quod eis alendis ſumptus jam non ſuppeterent, ejus nomine, non auſus illis reluctari, qui, quod vanis pollicitationibus Cæſari illuſiſſet, ſpem in eo tantum veniæ ei repoſitam dicerent, ſi fidem abnegaret, ad eos tandem deſcivit. In cujus rei præmium, & quod fovendam ſibi ejusmodi hominum perfidiam putarent, Coppanienſem primum in Ungaria Præfecturam obtinuit, poſtea Jeneienſem, Varadinum verſus, & Licenſem tandem in Croatia, ubi ob amiſſum exercitum loco dejectus, diu privatus, in magna egeſtate vitam duxit. Poſt tot demum ærumnas, optatus hic ei dies affulſit, quo Sinani delatis Imperii militaris inſignibus, cunctos, quibus res Ungariæ notæ eſſent, conquirenti inter alios, quorum fideli opera in hoc bello uteretur, ab uſu rerum, & peritia eorum locorum, in quæ eſſet ducturus, vel in primis commendaretur. In cujus familiaritatem, ut ille ſe magis, magisque inſinuaret, ad notas ſibi artes, adulandi, calumniandi, mentiendique confugit, & partim elevando res Hungarorum, & Germanorum, partim Tranſylvanis detrahendo, a quibus illum vehementer averſum videbat, non exiguum ſibi apud eum gratiæ locum conciliavit. Proinde Sinanus, ſive ut eum ſibi hoc beneficio totum divinciret, ſive

ut

ut odio jam ſuo prope Vatiniano in Tranſylvanos, cujus non obſcura ſemper indicia præbuiſſet, palam indulgeret, eum extemplo Præfectura Lippenſi Tranſylvaniæ contermina donavit. Ibraimus tanto munere a Sinano affectus, & aſcitus, in eorum numerum, quorum commodam ſibi eo bello fore, videret operam, primum legationem illam ad Principem decernere Mahometi, deinde Rauazdium ad Tranſylvanos in fide continendos in Caſtris ſemper adeſſe, Sinano pervaſit.

CAPUT UNDECIMUM.

De Ravazdio Domum cum novis ad Principem Sigismundum Legatis remiſſo.

Quæ res, licet jam ſignificata Ravazdio fuiſſet, ab eo rurium tamen mutato conſilio, vel id, quod ei in mentem veniſſet, ut Tranſylvanis hoc belli tempore amicis uteretur, ut cum commodum eſſet, incautos opprimeret, vel quod nullum ex Tranſylvanis in aula relinquendum, e re ſua duceret. Rauazdium domum remiſit, alterum vero Joannem Bodogium caſtra ſequi juſſit. Adjunxit autem Rauazdio Cziafer Begum, quendam ſenem, verſutum, & magni in Tranſylvania uſus, ex eorum collegio, qui affines Ibraimo in confingendis adverſus Tranſylvanos criminibus habebantur. Nec hic ſibi modum ponendum ratus, alium etiam ex junioribus recens, in ordinem Ciauſiorum cooptatum nomine Alim ex Ungaro Turcam factum, cum eis mittit, eo, ut credi par fuit, conſilio, ut a diverſis, quis Tranſylvanis ſenſus eſſet, quod Genti conſilium, poſtquam ad

ſe

ſe rediiſſent, exactius ſcire poſſet. Quia autem, quod Legatos juſto durius excepiſſet, quod gratulationem eorum ita deſpectui habuiſſet, Mahometumque cum ejusmodi mandatis in Tranſylvaniam ablegaſſet, ex quibus magna aliqua animorum commutatio oriri poſſet: ideo Ravazdium mitius jam allocutus, humaniter a ſe dimiſit, id tantum ab eo contendens, Principem ad bene merendum de Cæſare verbis ac re ipſa, accenderet. Sed & Cziafer Bego, ac alii Ciauſio ea mandata dedit, quibus quod maxime vellet, facilius aſſequeretur. Hi omnes eodem tempore Albam Juliam ad Principem pervenientes, diverſi, diverſa retulere. Ravazdius imprimis nihil in Sinano ſinceri eſſe, idque tantum eum ſpectare, ut ſi poſſit, Principem ad ſe alliciat, ſin minus, in hoſtes concitet, provinciam armis vacuam reddat, tandem, ſi cetera ei pro voto ſuccedant, oppreſſo cum proceribus Principe, Tranſylvaniam in Provinciæ formam redigat. Cziafer Begus his contraria aſſerebat. Sinanum jam jam muneribus pacatiorem redditum, omnia ſibi de Principe polliceri, idque tantum requiri, ut Princeps officium ſuum faciat, omnibusque modis de Cæſare bene mereri ſtudeat, ac inprimis Sinanum omni ſtudio ſibi devinctum reddat. Alibegus ſimiliter conſona verbis Ravazdii dicere, Sinanum perfide omnia agere, Cziafer Begum autem decipiendo Principem, quæſtum facere, Mahometumque omnia ex ingenio ſuo depromere. Verumtamen neutrum, in ullo apud Sinanum pretio futurum, ſi nullo cum legationis hujus fructu ad eum redeant.

CA-

CAPUT DUODECIMUM.

De Expeditis, & ad ſuos remiſſis Turcarum Legatis.

His omnibus cognitis, eo ſtatim res adducta eſt, ut quomodo Cæſaris voluntati ſatisfaciendum eſſet, ex omnium ordinum ſententia, deliberandum videretur. Legati autem, ita dimiſſi fuerunt, ut velle quidem Principem Cæſaris cauſa omnia, ſed an quæ velit, præſtare poſſit, id non tam ab ipſius voluntate, quam a cœlo ipſo, cujus intemperiei, oculati ipſi teſtes eſſent, pendere, Sinano renunciarent. Reſtabat jam tantum Mahumetes Ciauſius, qui alteras etiam literas Cæſaris ad Principem attulerat, in quibus ſignificabatur: hæſiſſe nuper in Moldavia apud Aaronem cohortem quamdam militum Tranſylvanorum, qui magno provinciæ oneri eſſent, proinde abducendos inde omnes, exceptis octingentis, quibus liberum ſit ibi ſtipendia facere, Princeps curaret, miſſis aliquibus ex ſuis, qui præſente ipſo Mahometo, eam rem in Moldavia ex ſententia conficerent. Juſſiſſe ſe præterea Aaroni, ut duos quosdam, quos Mahometus Oppram Logoſſetum, & Reſzuanum eſſe, ſignificavit, homines noti ſceleris, meritis pœnis afficiat, cujus etiam negotii curam ſuis, Princeps committat, ut ii diligenter eos conquiſitos, Mahumeti, ut edi in eos exemplum poſſit, tradant.

Severum hoc Decretum Cæſaris viſum, eoque vergere, ut Aaron eo ſatellitio, fidorumque eorum hominum præſidio privatus, totus inſidiis eorum pateret; eum vero præſenti periculo objicere hominem, vicinitatis Jura cum Tranſylvanis ſancte co-

len-

lentem, & ſingulariter Principi addictum, nihil aliud eſſe videbatur, quam contra jus, fasque novo exemplo ad cujus imitationem poſteri etiam obligarentur, alterius furoris Miniſtrum ſe præbere. Itaque reſponſum Ciauſio fuit, minime in Principis poteſtate eſſe, alienæ ditionis homines pœnis a maleficio abſterrere, militesque ipſos cum extremo ſuorum diſcrimine, ex quæſtuoſa Provincia, quæ eorum ſpes aleret, abducere. His acquiescens Mahumetes, eo maxime, quod ipſius, præ ceteris, jugulum petere videretur, ad Sinanum recta contendit.

COMMENTARIORUM
DE
REBUS UNGARICIS
DECADIS DECIMÆ
LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De Aarone ex Principatu Moldaviæ dejecto.

Antequam autem ulterius progrediamur, videtur hic paulo altius repetendum, quæ cauſa Cæſari fuerit, Aarone in hunc modum debilitato, propoſitum ſibi finem aſſequendi. Erat Aaroni non ita multo ante Principatus Moldaviæ ademptus, qui quavis de cauſa, maxime, ſiquis pluris liceatur, mutari ibi ſubinde

inde

Digitized by Google

inde etiam conſuevit. Aaron igitur cum jam privatus ad aulam Turcicam iter ſuum intendiſſet, nec longe Conſtantinopoli, abeſſet, a Scianſio Baſſa, qui tum aulæ Turcicæ præerat, ut ejus opibus potiretur, captus, & per ſummam contumeliam vinctus, in Urbem adductus fuit. Ea res Cæſari renunciata, hominem ſupplicem, ad ejus miſericordiam ſponte confugientem, tam indignis modis fuiſſe acceptum, ſicuti ſalutem attulit Aaroni, ita parum abfuit, quin Scianſium ex primi loci dignitate præcipitem daret. Ita ſiquidem accenſus in eum Cæſar fuerat, ut vix omnino exorari potuerit, ne ei dignitatem abrogaret. Proinde miſertus Cæſar Aaronis, Principatum rurſus ei priſtinis cum conditionibus reſtituit.

CAPUT SECUNDUM.

De Petro quodam Moldaviam occupante.

Interea, dum hæc ibi aguntur, Petrus quidam, in Moldaviæ Principes genus ſuum referens, aſcitis ſibi nonnullis in Poloniæ, Ruſſiæque finibus militum copiis, tumultum in Provincia illa non exiguum excitavit. Contraxerat enim non exiguam vagorum militum manum, quos Cozakos vulgo vocant, ferum genus hominum, in paludibus Boriſthenis per æſtatem piſcatione vitam tolerantes, & vicinos Turcas, Tartarosque, nec non Moldavos continuis fere incurſionibus infeſtantes, ita ut nullarum partium omnino ſint, ſed quocunque ſe fortuna inclinat, eo propendere, præſertim, ſi pretium interveniat, ſoleant. Petrus igitur, impetu in vacuam Provinciam facto, Jaſſiam ſtatim, in qua Sedes Principatus eſt, ejecto inde Ciauſio, qui interea, donec novus Prin-

ceps

ceps adveniret, jura Genti fere dabat, occupat, ſeque pro Principe agnoſci ab omnibus imperat. Mittit illico in Tranſylvaniam etiam ad Principem, jungendæ cum eo amicitiæ cauſa, & ad Aulam ſimiliter Turcicam Legatos, qui indicarent eum Cæſaris imperata facturum, & ejus beneficio, cum ſolita tributi annui penſione præfuturum. Verum, & legatio ejus rejecta a Cæſare, & bellum ſimul in eum decretum. Sed, & Princeps Tranſylvaniæ admonuit hominem, ut loco cederet, nec Principatum invito Cæſare, ſed in aula precibus obtinere conaretur. Verum id Petro peralienum viſum eſt, eo quod putaret, & turpe ſibi, & incommodum futurum, ſi inani verborum terrore perculſus, quem locum, Comite fortuna, nactus fuiſſet, eum ignavia deſereret.

Itaque militem ſtatim cogit, omniaque ad vim armis repellendam inſtruit, ut cum adventantes validas Turcarum vires, duce Beller Bego Græciæ intellexiſſet, nihil territus, ut qui apud Turcas educatus; minus eos, quorum vires exploratas haberet, reformidaret, nequaquam loco decedere, niſi pulſus, fugatusque, ſecum conſtituit. Sed ne Beller Begus quidem, quamvis ad quinquaginta hominum millia in Caſtris habere diceretur, tantum animi habuit, ut hominem tanti ſpiritus, verbisque ferocientem, temere aggredi auderet, Principem duntaxat Sigismundum litteris ſollicitabat, ut miſſo exercitu, uti Cæſar imperaſſet, Petrum loco deturbaret.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De expeditione Tranſylvanorum in Moldaviam contra Petrum.

Jam vero Princeps accepto Cæſaris mandato delectum haberi juſſerat, eique Caſparem Sibrichium aulicæ ſuæ militiæ Præfectum Ducem conſtituerat, addito Præcepto, ut in Moldaviam ingreſſus, Petrum tempeſtiva virium oſtentatione, eo potius adduceret, ut mutato conſilio, ſaluti ſuæ conſuleret, quam vim expertus, manifeſtum vitæ, capitisque diſcrimen adiret. Sed ea quoque re nihil permotus, Jaſſio ſolum Oppido ſe tenebat, tanto ſilentio, ut nullam prorſus ſignificationem animi ſui in utramvis partem daret. Quo factum fuit, ut Sibrichius nemine reſiſtente, ſuperatis alpibus in fines Regionis ingreſſus, ita quietum ubique Agmen duceret, ut tum primum ab exploratoribus Petri adeſſe viſus ſit, cum jam inſtructa acie, proxime ad Oppidum accederet, tum demum adverſo ſuo fato, amens obſtupuit, inopinatoque oppreſſus malo, vix tantum ſpatii habuit, ut copias Oppido educeret. Quibus nihilominus, ut in tanta temporis anguſtia fieri potuit, per averſam Oppidi Regionem ſecum raptis, ita in conſpectu noſtrorum conſtitit, ut prælio dimicaturus omnino videretur. Verum vix primos eorum, qui præmiſſi erant, ſuſtinens, equitatu prope omni in proximos ſaltus arboribus denſos ſe recipiente, peditibus vero, quorum major pars Tranſylvani erant, pugnam cum cognata Gente detrectantibus miſere a ſuis deſertus, Sibrikii, fidei ſe permiſit. Ita capto Petro potiuntur Oppido quoque noſtri,

noſtri, Aaronemque cura Cæſaris Legato Velio Aga, qui in caſtris Beller Begi eventum rei expectantes, ſubſtiterant, accerſunt, traditoque eis Petro, ſimul & Oppido, ipſi rurſum incolumes omnes domum revertuntur, & Claudiopolim ad Principem, ibi tunc forte commorantem, cum ſignis aliquot hoſtibus demptis, ac opima præda triumphabundi ſe conferunt. Erat Petrus non minus proceritte Corporis, quam reliqua formæ dignitate imprimis conſpicuus, & paucis omnino conſerendus, ſed mente, uti eventus oſtendit, ſtolidiore præditus, ut quem ſola generis, quod emmentiebatur, ac formæ fiducia ad ambiendum eum Principatum incitaverit. Eum itaque Turcæ, Aarone ſumma ope adnitente, & a Turcis ſat grandi pecunia id emercante, truncatis prius naribus, ne unquam amplius, ſi forte evaderet, Principatum ambiret, quod moris apud Valachos eſt, deformatum Beller Bego mittunt, a quo ſtatim Conſtantinopolim miſſus, & Cæſaris Juſſu in uncos ferreos conjectus, magnis cruciatibus vitam finiit. Ita homines, incertam dominatus ſpem, non ſolum periculis maximis, ſed etiam jactura Vitæ redimere non dubitant.

Not. Hæc memini, quando geſta ſunt; ſed omittit Stephanum Tholdi, & Moyſen Székely, quorum conſilio, & virtute res ea præcipue geſta fuit, quod & carmine in Tranſylvania celebravi. *Gregorius Nagyfalvi.*

C A-

CAPUT QUARTUM.

Cur Turcæ rurſus Aaronem conati ſint Principatu privare.

Poſteaquam Aaron adepto in hunc modum Principatu, ſublatoque Regni æmulo, liberiorem jam ſe factum vidit, ad id ſtatim animum adjecit, quibus maxime præſidiis tutiorem ſibi inpoſterum, diuturnioremque recuperatæ Provinciæ poſſeſſionem redderet. Primum itaque eos de medio tollendos curat, quorum clandeſtinis artibus antea loco motus fuerat, ac in iis Brutum quemdam, Epirotam quidem natione, ſed qui ingenii ſolertia, linguarumque cognitione, & aliis uſitatis ei genti artibus ad magnas opes pervenerat. Quo facto, videns ſe omnium, & domi, & foris, in aula præſertim Turcica, propter Bruti ipſius, qui Sinanum etiam propingua ſanguinis conjunctione attingebat, indignam necem, odio expoſitum, valida militum, quorum magna pars Tranſylvani erant, cohorte ſe ſtipavit, ita ſe jam gerens, ut palam præſeferret, nunquam amplius id ſe commiſſurum, ut Barbaris illis Gentibus, a quibus nuper tam contumelioſe habitus fuiſſet, ſe crederet. Hujus rei fama Conſtantinopolim perlata, cum alios omnes, qui apud Cæſarem auctores reſtituendæ Aaroni dignitatis fuerant, ſollicitos reddidit, tum Edoardum imprimis Bartonum, Reginæ Angliæ in aula Turcica internuncium, cujus maxime opera, & opibus, a diverſis negotiatoribus Græcis pariter, ac Anglis, ipſius ſponſione corrogatis, adjutus in recuperando Principatu erat, eo impulit, ut is nullam jam rem in votis tantopere haberet, quam

ut Aaronem ob tantum ingrati animi in ſe ſcelus, privatum rurſus in Urbe videre poſſet. Nam ſi forte, uti conſtans de eo rumor eſſet, expilata Provincia, fruſtratisque creditoribus, in ditiones Chriſtianorum profugeret, & omnia ſponſionis Onera ſibi uni, & indignationem Cæſaris ſubeundam eſſe videbat. Id ut vitare poſſet, datis ad Principem Sigismundum, & ad amicos literis, enixe curabat, ut eo, quem retulimus, modo, Aaronem, per ſubmiſſos idoneos homines ad Urbem retraheret.

CAPUT QUINTUM.

Sigismundus Princeps expeditionem Sinani Ungaris ſignificat.

Sed ut jam ad ipſam belli narrationem regrediamur, cum nemini jam dubium eſſet, increbrescente magis in dies, &, ut fit, cuncta in immenſum augente, adventantis Sinani rumore, quanta vis belli vicinis Ungariæ populis immineret, motus eorum periculo Princeps, pro ſua in cognatam Gentem pietate, nequaquam ſibi prætermittendum duxit, ea, quæ pertinere ad eorum utilitatem arbitratus eſſet, eos celare. Proinde miſſo Nuncio ſuo Joanne Imreſio ad Chriſtophorum Tieffenbacchium ſuperioris Ungariæ Pro-Regem, cuncta, quæ de bello hoc comperta habebat, cum eo communicat, monetque, ut comparatis in tempore, ad vim propulſandam, ſubſidiis omnibus, Sinani conatibus obviam iret. Gratum id Tieffenbachio accidit, ut qui nihil eorum antea cognoverat, quamquam dubitanti de eo, an eo tempore, inclinata jam fere æſtate, tanto terrarum tractu,

Digitized by Google

ctu, quem ipſe etiam aliquando fuiſſet emenſus, juſtum ſecum exercitum Sinanus educere poſſit.

CAPUT SEXTUM.

Iter Sinani Belgradum usque deſcribitur.

Dum hæc ita geruntur, jam Sinanus, promotis pridie Calend. Auguſti ab Urbe caſtris, via Adrianopolitana iter faciens, copias dividit, Janicianorumque cohortibus diverſo itinere ire juſſis, ipſe cum equitatu, maximis itineribus, Belgradum contendebat. In eo toto itinere nusquam fertur cunctatus, niſi Adrianopoli quatuor diebus, quinque ad Sophiam Urbem in Triballis, eorum duntaxat cauſa, qui eum ſubſecuti, ibi demum juncti caſtris ipſius fuere, deinde eo in loco duobus itidem diebus, ubi a Præfecto Zolnokienſi miſſus ad eum gregarius quidam miles noſtras, a Turcis interceptus, nullam adventus ejus famam in Ungaria, nec ullas vires, quæ ejus ſucceſſus eſſent remoraturæ, paratas uspiam eſſe, certo ei affirmavit. Eodem in loco Nuncium etiam a filio Bellerbeio cum duabus pilis ferreis magni ponderis, quibus Arcem novam ad Colapim ſitam, a Chriſtianis proxime petitam fuiſſe, eamque obſidionem jam ſolutam nunciabat, accepit. Quibus omnibus exhilaratus, epulum militibus dedit, & motis poſt biduum Caſtris, plenus jam boni ominis, nullam ſibi tantiſper quietem conceſſit, donec famam adventus ſui celeritate præveniens, ad condictum diem, qui quartus Septembris fuit, Belgradum perveniret. Eo iterum a Bellerbejo duo cucullati Sacerdotes, quos Monachos vocamus. Siſcii capti,

pti, miſſi ad eum fuerunt, & duo item Germani a Baſſa Budenſi, quos Archi-Dux Matthias cum literis ad eum miſerat, ut de rationibus conſtituendi rurſus fœderis ex æquo, bonoque cum eo ageret.

Hos principio blandis verbis allocutus, ut ſcire ab eis commodius, quæ vellet, poſſet, poſtquam aperte confeſſos audivit, inopinatum adventum ſuum in Ungaria fore, deduci ad Legatum priorem, quem jam in Arcem miſerat, eodemque cum eo carcere, eos quoque condi juſſit.

CAPUT SEPTIMUM.

Quid Sinanus Belgrado digreſſus egerit.

Poſtquam igitur Belgradum appulit, quamquam ea Cæſari ſententia antea fuiſſet, ut ipſe ibidem ſubſiſtens, ſiquid agendum per hoc anni tempus contra hoſtes judicaret, id per præfectos copiarum effectum redderet, ſe ipſum in proximum annum ad gerendum ſummis viribus bellum, reſervaret, tamen cum literæ Cæſaris ſubſecutæ mutare eum conſilium juſſiſſent, & ut, occaſione uſus, imparatos hoſtes, quamprimum aggrederetur, imperaſſent. Id eo cupidius facere ſtatuit, quod apud hoſtes, tamquam in altiſſima pace, remiſſa omnia belli ſtudia intelligeret. Ita ſcriptis ad Beglerbegum literis, ut ad ſe omnem, quem haberet exercitum adducere maturaret, bellum una ſecum imposterum geſturus, ipſe tantisper Belgradi commoratus, dum Janizari alio itinere, cum tardius iter facerent, pervenirent; proinde cum pedeſtres etiam illas copias in caſtra recepiſſet, omnesque cum equitum, tum peditum copias recenſuiſſet, quæ nondum 30 millium armato-

to-

Digitized by Google

torum numerum excedebant, adductis ſecum ex arce Belgradenſi centum, & octuaginta campeſtribus tormentis, undecimo, poſtquam eo venerat, die, transmiſſo ponte Savo, in finibus Ungariæ ad Zemlinum caſtra poſuit. Dum Sinanus Belgradi commoratur, ingentem etiam Tranſylvanis metum incutiebat, qui variis ea de re rumoribus in diverſa ſparſis, magnopere verebantur, ne ſub prætextu belli Germanis inferendi, ipſorum provinciam invaderet, eamque arcem gerendi, contra chriſtianos belli conſtitueret.

CAPUT OCTAVUM.

Sinanus iterum legationem ad Tranſylvanos expedit, iique comitia de poſtulatis inſtituunt.

Sed hac re, utrum ita ſe habuerit, in dubio relicta, ad Sinanum redeamus, qui non immemor inſtituti ſui, ſimul atque Belgradum attigerat, cur legati Tranſylvani non adeſſent, ſtatim perquiſivit, rurſusque nuncium ad Principem cum literis Sigismundum miſit, ſerio jubens Cæſaris nomine, ut, ſicut prioribus literis præceperat, quantis poſſet maximis viribus, conjunctis cum illis, quas Baſſa Temesvarienſis inſtructas ad bellum haberet, communicatoque cum eo conſilio, in hoſtium ditionem duceret, Calloviumque, & alias arces, quas inclinante jam hoc anni tempore commodum ei eſſet, in poteſtatem redigeret. Præterea daret ſedulo operam, ut Stephanum Bathorium, qui arcem Echedum obtineret, cognatum ſuum in ſuas partes traducat: ea, qua ipſe eſſet Princeps, ſi monitis pareret

reret, apud Cæſarem conditione futurum, ſin autem id reſpuat, vi etiam adhibita, eum imperata facere cogat. Scribat ſimiliter ad ceteros Ungariæ proceres, & populos, certamque eis ſpem faciat, quicunque a Germanis ad Cæſaris ſtudia adduci ſe patientur, eos expertes malorum, perinde ac Tranſylvanos ſuis legibus vitam acturos: ceteros vero omnes hoſtium loco futuros. Dum hæc Sinanus agit, interim Princeps Sigismundus Albæ Juliæ comitia, quæ ad calendas Septembris ordinibus provinciæ indixerat, habebat, nempe, ut in tempore provideret, ne quid, in tanta belli propinguitate, detrimenti Reſpublica caperet. His vixdum ſolutis, cum rurſus Sinani alius nuncius advolaſſet, & omnia inceleritate eſſe poſita, renunciaſſet, quod priori illi datum reſponſum fuit, cum eo hic quoque dimiſſus fuit, ut referret Sinano totum in eo eſſe Principem, ut cunctis in rebus imperio Cæſaris morem gerat, ipſius quoque Baſſæ, qui vices ejus referret, authoritatem, prout debiti ſui ratio exigeret, magni vel imprimis faciat. Sed bellicos apparatus, quod ei optime conſtaret, moram aliquam requirere, nec tam facile ex omnibus provinciæ, partibus copias cogi poſſe. Placuit poſtea ſenatui, legatum quoque alicujus nominis ad eum mitti, cum officii cauſa, tum, ut de iis, quæ e Republica eſſent, mature tranſigi cum eo poſſet. Quia vero omnium provincialium averſi nimium animi ab hoc bello eſſe videbantur, providendum Principi incumbebat, ut rationes omnes, quibus liberari ab hac moleſtia poſſent, experiendas ſibi proponeret. Proinde legato ex ordine ſenatorio Pancratio Senneio ad id delecto, claro & induſtrio viro datum negotium fuit, ut perfuncturus hoc apud Sinanum mu-

 nere,

Digitized by Google

nere, nihil eorum reliqui faceret, & rogando, & muneribus, ac promiſſis quoque hominem deliniendo, quibus vacationem ab hac militia, vel hoc ſaltem anni tempore, bello gerendo incommodo, Principi impetraret. Ac ut orationem haberet efficaciorem, decem millia tallerorum, quæ Sinano cum aliis muneribus precioſis offerret, data ei fuere, quibus ſi optata ab eo conſequeretur, non duplicatum duntaxat eum numerum, ſed vel triplicatum etiam ſuper adjecturum eſſe Principem, paciſceretur. Interim cum aliis etiam ageret interioribus Sinani amicis, eosque donis corruptos, eo, quo vellet, flectere conaretur, non donis, non largitionibus parceret, modo eam rem, cujus tanto omnes deſiderio tenerentur, hac ratione perficeret. In comitiis autem, quæ Albæ, ut in tanta rei novitate, ſatis frequentia fuerunt. Unum hoc cunctis propoſitum fuit ad deliberandum, quid in tanti belli ardore, concurrentibus inter ſe totius orientis, occidentisque opibus, Tranſylvaniæ populis, qui a Solimanni Cæſaris temporibus ſub Turcarum imperio viverent, agendum videretur.

CAPUT NONUM.

Oratio, & ſententiæ eorum, qui a Turcico Imperio nequaquam deficiendum eſſe cenſebant.

Comitiis igitur rite celebratis, omnes omnium ſententiæ in duo diverſa abiere. Nonnulli enim authoribus, maxime Alexandro Kendio, Franciſco Kendio, Volfgango Kovachiocio Cancellario, qui Principes ea tempeſtate ſenatus prudentia habeban-

tur, omnibus ingenii nervis in id ſolum incumbebant, ne fœdus ſemel cum Turcis ictum violaretur. Nam ſi jugum exuere tentarent, verendum eſſe, ne cum ipſo Deo, qui illud eis impoſuiſſet, pugnarent. Accedere ſubjectionis ipſius obligationem, qua cum ſe hoſtibus illis volentes obſtrinxiſſent, quomodo ea, quæ ſemel placuiſſent, diſſoluta, uſurpare ſibi jus aliquod poſſent, vix ullæ humanæ leges pati viderentur. Jam vero Turcarum potentiam nulli in terris nunc eſſe æquandam, tantum abeſt, ut ulla eam excedat, a qua reſiſtere velle, quid aliud eſſet, quam ſponte ſe in laqueos inducere? quodſi ſpe auxilii, a Germanis aliisve chriſtianis præſtandi, id facerent, viderent etiam atque etiam, ne eam precio emerent, recolerentque ſecum priſca tempora, quid parentum memoria Ungariæ hoc tam grave vulnus, quo etiam nunc laborat, inflixerit. Spes nempe auxiliorum, oſtentatæ tantum ab exteris, nunquam repræſentatæ, crederent omnes, neque nunc meliora eſſe tempora illis, quibus Carolo quinto tanti numinis Imperatore, deinde Ferdinando quoque, & Maximiliano, ſceptra imperii tenentibus, ſummis ſemper opibus oppugnata vis Turcica eſſet, ſed vix ad tempus tantum repreſſa. An non audirent, nunc quoque Turcas Tranſylvaniam tantum præ ceteris in ore habere, ſicque de ea perſvaſos eſſe, ſi in hac veluti arcem aliquam ipſorum imperii conſtituere poſſent, facilius ſe tandem frœna aliis chriſtianis regionibus injecturos: nec aliam cauſam eſſe, cur ſe ab ea contineant, quam quod violandæ fidei occaſionem aliquam quærant.

Quid aliæ chriſtianæ gentes agant, quid conſilii adverſus Turcas capiant, tantisper pertinere ad Tranſylvanos, ut communis religionis, & neceſſitu-

tu-

tudinis cauſa proſperos quoque rerum ſucceſſus eis cupiant, ut autem ſtudia, operasque cum eis conjungant, haud ad eos pertinere. Quin ipſos etiam chriſtianos principes, populosque id eis vitio vertere nequaquam poſſe, ſi æquis animis ſecum reputaverint, quo loco ſint Tranſylvani, & quam dura illa conditio, ne dicatur ſervitus, ſit, cui illi, publicæ ſalutis gratia, parere cogantur. Quis enim non videat periculi ipſorum, ſive propinguitatem, ſive magnitudinem, imminentibus eis, undiquaque tot Turcarum præſidiis, tot vicinis nationibus Moldavis, Valachis, Tartaris, quæ unico tantum ſibilo, ac ſignificatione Cæſaris literarum, omnem eis illico calamitatem eſſent importaturæ? certe prius Tranſylvanis pereundum eſſet, quam vel perſentiſcere tantum aliæ nationes eorum mala, nedum opem ferre laborantibus, poſſent.

Quid autem aliud poſtulanti Sinano, ut vim hoſtibus inferant, reſponderi poſſit, quam ſe ad omnia paratos, ſimul atque per anni tempus liceat, officium eſſe facturos; alioquin diverſum quippiam cogitantibus, objici ſtatim jure poſſet, ſimulate eos fidem coluiſſe, cum Cæſari, & nunciis, & literis oſtenderent, eosdem ſe quoque, quos ille amicorum, hoſtiumque loco habituros. Proinde ſi jam inſtet, adveniſſe occaſionem explendi debiti, qua fronte id negabunt. Sin autem negarint, nonne pro convictis eos ſtatim haberent, & tamquam reos Majeſtatis, omiſſis aliis hoſtibus, totis viribus oppugnatum venirent, ſed detur, id in præſentia, occupatis graviſſimo bello, aliorſumque contendentibus, factu difficile fore. Quid ſi cum chriſtianis in gratiam redirent, cum quibus nondum ipſi fœdus ictum haberent, an non primi eis Tranſylvani ſtatim occurre-

currerent, quos ſibi barbari omnibus modis perſequendos ſtatuerent. His atque aliis ſimilibus, ii, quos retulimus, perſvadere ordinibus provinciæ conabantur, ne ullis modis a Turcico fœdere deſciſcerent.

CAPUT DECIMUM.

Oratio eorum, qui a Turcis deſciſcendum ſvadebant.

Alii autem, Duce Balthaſare Bathoreo, cujus ſumma, propter cognationem Principis, authoritas in ſenatu erat, & aliis nonnullis, contrarium omnino ſvadebant, temporumque, ac rerum conditionem, diverſa ſentientibus, opponebant, quæ minime ex arbitrio hominum penderent. Deum eſſe, qui cuncta moderaretur, idemque ſuos, ut cuique rei in hac rerum natura, ſic imperiis quoque ipſis terminos poſuerit, in eo tantum ſitam eſſe hominum ſolertiam, ſi ea, quæ tempus, Dei ipſius juſſu attulerit ſecum, & percipere, & cum ratione exequi ſciant. Ita factum fuiſſe priſcis omnibus temporibus in maximorum quorumque regnorum, imperiorumque mutationibus, omnium temporum hiſtoriæ teſtes locupletes eſſent.

Sed ut vetera illa, inquiebant illi, & nimium remota a noſtris temporibus tranſeamus, res tantum noſtras domeſticas perpendamus, quales tunc fuerint, cum ingruentibus barbaris, tanquam a Deo ipſo miſſis, cedere loco, fortunis, & natalis ipſius ſoli poſſeſſione coacti fuimus. Quo ſane tempore tantumdem erat illis inſtantibus reſiſtere, atque Deo ipſi bellum indicere, quod multis fortiſſimarum gentium,

Digitized by Google

tium, quæ pro nobis, cum eis, toties triſti exitu arma contulerunt, cladibus, ſatis, ſuperque eſt comprobatum. Jam ſi idem præpotens Deus, miſertus noſtri, nos recipiat, uncum jam naribus, ut eſt apud divinum vatem, ſuperbi hoſtis injiciat, & noſtris miſeriis, & ejus ſimul tyrannidi modum imponat, quis erit, qui Deum ipſum ducem non ſequatur? cui autem dubium eſſe poteſt, Deo hæc auctore fieri? is certe eſt, qui dat Regibus ſalutem, is eis victorias conciliat, bella, inquit ille, placat ad ultimas usque terras, perfringit arcus, detruncat haſtas, currus igni cremat.

Hoc cum alias ſemper, tum ex proximo illo, cum Baſſa Boznenſi prælio, ita perſpici poſſet, ut cum exercitus chriſtianorum, & exiguus numero fuerit, & a conflictu etiam ipſo in principio abhorruerit, nonniſi impellente ipſo Deo, & dextræ ipſius viribus, parta ea tam inſignis victoria de ſuperbis hoſtibus ſit. Certa itaque, & indubia res eſt, non caſu, non virtute, non potentia, & multitudine hominum, ſed authore & auſpice Deo factum id eſſe, ut iſta maximarum, admirabiliumque rerum fundamenta jacta eſſe videamus, idque eo potiſſimum tempore, quo jam omnium ſpes, animique conciderant, ut palam appareat, tum dominum Deum juvandis ſuis manum admoviſſe, cum jam exhauſtis cunctis auxiliis, homines defixas in ipſo ſolo mentes, cogitationesque ſuas haberent. Quod ſi hoc verum eſt, quis erit, qui hanc Dei bonitatem obviis ulnis non amplectatur. Claſſicum ſonante Deo, non ſe commoveat, atqui certi profecto eſſe debemus, ſi decretum hoc, conſiliumque Dei eſt, cujus hæc initia jam videmus, parendum ei erit, nec ulla vis tanta eſſe poterit, quicquid con-

contra, vel ipſe orcus moliatur, quæ ejus curſum retardare queat. Eſto ſint eæ Turcis vires, quibus illi tantopere gloriantur, manifeſtum eſt, ſi Deus benignior ſuis factus, præeat eorum copiis, in manu eſſe victoriam, verum ſi cui eas etiam libeat ad calculum vocare, apparebit ſtatim, nec adeo immenſas, neque, uti vulgus putat, omnino invictas eſſe. Bella, & peſtes quantumvis numeroſas gentes exhauriunt. Hæc continenter fere inter eos graſſantur, depopulantur regiones, urbesque ipſorum. Belli etiam nulla eſt intermiſſio, nunc inferentibus ipſis contra alios arma, nunc illata propulſantibus. Cum Perſis, uti ſcimus, diuturnum illis bellum fuit, in quo non Aſiatici tantum eorum exercitus, ſed Europæi etiam ſæpius cœſi ad internecionem feruntur. Arabes quoque, & Mauri non ſemel contra eos, pertæſi, tot malorum, rebellarunt, quemadmodum & aliæ finitimæ gentes, quas omnes multis ſuorum cladibus neceſſe habuerunt, rurſum in ordinem redigere. De chriſtianis nihil eſt dicendum, cum conſtet, in eis & terra & mari perſequendis, jam compluribus retro annis, plus illos accepiſſe ſemper incommodi, quam illis dediſſe. Tacemus navalem illam chriſtianorum ad Echinadas victoriam, quæ adeo tunc maritimos ipſorum nervos incidit, ut ab eo tempore prædæ ubique Italicis navibus fuerint. Anno etiam ſuperiori duodeviginti eorum triremes vi tempeſtatis abreptas, naufragium eſſe paſſas, audivimus. Si his jam annumeremus quid proxime in Ungaria amiſerint, qualem veteranorum militum manum, quot exercitatiſſimos belliduces, an non reperiemus, & imminutam multis partibus eorum potentiam eſſe, & quæ jam eis reſiduæ vires ſunt, eas ex inermi, & ſeminuda bar-

barbararum gentium colluvie conſtantes, non tam ad bellandum, quam ad perterrendos fruſtra hoſtes, prædasque agendas comparatas, caſtra eorum ſecuturas, ſiquis autem id ſecum cogitet, præcipuam cogniti hujus orbis partem ipſorum imperio teneri, is rurſum illud cum animo ſuo reputet, quotus quisque ſit, in iis omnibus provinciis, & regnis, qui eandem cum eis religionem colat. Jam ne ipſi quidem Mahometani in impia illa ſuperſtitione inter ſe omnes conveniunt alii, alii inſequuntur Omerium, & ita diviſi in ſectas ſunt, ut ſicuti inter nos, ita in ipſis quoque vigeant inteſtina odia, mutua diſſidia, & bella: ſed in Aſia potiſſimum, & Europa, ubi maximum eorum robur, & imperii ſedes eſt, nonne ubique iis fere nationibus, & gentibus, quas nihil recenſere eſt opus, cum ſponte in omnium mentes incurrant, quæ nomen chriſtianum profitentur, jura dant, easque habent vectigales? nonne videre eſt, eas omnes, quæ tam gravi eorum jugo premuntur, & quæ vel in ipſorum viſceribus reſident, prope inſpectantibus, & audientibus ipſis, eo nomine quotidie Deo ſacra facere, ſupplicationesque indicere, ut ab eorum ſervitute liberentur. Mira ſane res eſſe videretur, quomodo, & quam pauci numero (ut vix ad centenos quosque chriſtianorum, qui in Europa ſunt, habito cenſu, ſinguli Turcæ cederent) & omni vera virtute deſtituti, in tam cultas gentes, & armorum gloria claras exercere impune adeo diuturnam tyrannidem potuerint, niſi eo animis recurramus, quod olim vatum temporibus populo Israelitico in ea orbis parte, id ultimis his ſeculis, quibus Dei voluntas patefacta, in iſta quoque mundi plaga eſt, nobis eveniſſe. Ita illorum ſcelera, ultus Deus eſt, ut eos ab-

abjectiſſimis gentibus caſtigandos, corrigendosque daret. Ita nos quoque, per hanc profanæ, impuræque gentis in nos dominationem, expiatis ea noxa noſtris vitiis, ad accipiendam ſuam diſciplinam, legemque, quæ vitæ noſtræ, morumque regula eſſet, adducere voluit. Quod autem antea tot magnorum Imperatorum temporibus nulla certa eis reſiſtendi iniri ratio potuerit, id confirmat potius, quam evertit, tam hanc noſtram, cum dicimus, ita Deo placuiſſe, ut per infirma iſta media oſtendat vim potentiæ ſuæ in gentes ignaras ſui, tum cum & ipſæ modios iræ, indignationisque divinæ impleverint nefariis factis, deteſtandaque ipſorum vita. Addamus huc temporum iſtorum, in quæ omnia incidimus, conditionem, rerumque diſcrimina, & perſonarum, quæ facile, quantum iis etiam debeamus tribuere, nobis declarabunt. Tum plena erat Europa inteſtinis bellis, & præſertim Germania ipſa, unde auxilia ſperari poterant, & Ungaria, de qua duo illi Reges Ferdinandus, & Joannes diſtractis bellicoſæ gentis viribus inter ſe digladiantes, non difficilem hoſti victoriam concedebant. Ea vero de regno concertatio ad vitæ usque exitum filii Joannis Regis, qui Tranſylvaniam tenuit, magno cum Reipublicæ Chriſtianæ detrimento duravit. Quid jam putamus, an non ipſi tum Solymanum recepimus in Ungariam, cum tantam ei invadendæ occaſionem illius præbuimus, non ſecus atque Græci illi occupandi orientis imperii Amurathi primo, quo nunc quoque poſteri ejus potiuntur. Nunc Dei beneficio, etſi in remotioribus a nobis Chriſtianæ Reipublicæ partibus, non plane caremus civilibus turbis, in his tamen propioribus, quibus hodie Turcæ vim minantur, Germania, Italia, Ungaria, Polonia tantam

Digitized by Google

tam inter Principes, populoſque earum regionum ſtudio & opera Clementis octavi Pontificis maximi, & Rudolphi Imperatoris, quibus hanc ſata gloriam reſervaſſe videntur, concordiam eſſe conſtitutam, audimus, ut certatim omnes ad neceſſarium hoc bellum tamquam ad commune aliquod orbis terrarum incendium reſtinguendum accurrere credantur. Nec eſt, qui nunc hosce rerum conatus remoraretur, ſublato cum ſtirpe æmulo illo regni, Tranſylvaniaque in eum ſtatum reducta, ut una cum Principe ſuo, qui tuendæ dignitatis ſuæ, alias jam rationes, a majoribus nempe ſuis acceptas, propoſitas ſibi habeat, quantum commodo ſuo poſſit, favere rebus chriſtianorum multis nominibus debeat. Res quoque nunc, & cauſa belli diverſa eſt ab ea, quæ tunc fuit, cum & Joannes, & ejus filius, de regni poſſeſſione adjuti Turcarum armis, cum Auſtriacis Principibus contenderent. Hoc tempore Ungaria juris unius facta, Turcam, ut violentum ſui uſurpatorem, & legum, & libertatis, & religionis ſuæ hoſtem agnoſcit, eumque totis viribus repellere a ſe conatur. Qua in re tamquam dijudicata, jam cauſa nititur æquitate, ac Dei etiam ipſius conſenſum, cujus imprimis eſt, jus ex æquo omnibus reddere non putat ſibi defuturum. Multum etiam intereſt inter illos veteres Cæſares, & hunc, qui in præſentia apud Turcas rerum potitur, cum, ex quo imperium eſt adeptus, perpetuo intra privatos parietes delituerit, ipſorum etiam Turcarum tacita quadam confeſſione ad imperii eorum ruinam, perniciemque natus. Moris fuit antea Turcarum Imperatoribus, expeditionibus intereſſe, belli, pacisque munia bene merentibus deferre, ſtrenuos præmiis, ignavos pœnis afficere, conſiliis uſu rerum peritos adhi-

adhibere, tueri jura, diſciplinam imprimis militarem in ſummo pretio habere, vim ab omnibus, edictis graviſſimis prohibere.

Nunc quid fit? bella per legatos geruntur, ſordidos homines, viliſſima capita, quorum vel temeritate, vel avaritia, vel imperandi inſcitia, errores ſæpenumero graviſſimi committuntur, ſicuti & in bellis illis Perſicis primum, & in Ungaricis iſtis uſu veniſſe, recens animadverſum fuit. Deinde nemo nunc in aula illa meritis ſuis, quantumlibet illuſtribus, ſperat ſe ullum honorem conſecuturum, ſi pecunia deſtituatur, honores omnes & domi, & foris, ceu in auctione aliqua venales, Cæſar reddidit, ac quod indigniſſimum eſt, Eunuchorum potiſſimum illorum ſuorum, muliercularumque opera, ac puſionum etiam, quorum greges circa ſe alit, nullis perinde addictus, atque iſtis homuncionibus. Qui præſes conſilii ejus eſt, illius authoritas ſumma habebatur, iſta quoque jam primi loci dignitas, quæ antea virtuti, & meritis dabatur, nunc pretio venditur, adeo alternante emptorum conditione, ut ſæpe alii alios, pretii magnitudine ex ea dejiciant. Nemini eſt ignotum, Sinanum hunc ingenti pecunia noviſſime eum locum mercatum, in ſingulos etiam menſes quina millia aureorum nummum pactum eſſe. Ibi jura nulla, niſi quæ ab eo ſolo redduntur, illi ſoli & probi, & honorati, quos cenſus commendat, aut fortuna evehit, illis locus in conſilio, qui ejus nutui, & libidini obſerviunt, eis tantum apud eum perfugium, quibusvis tandem vitiis conſtricti teneantur, qui copiis circumfluunt ſoli inopes licet innoxii plectuntur. Militaris diſciplina diu apud illos illibata manſit, nunc eam quoque ferme collapſam videmus. Militibus in eam

pro-

prolapſi licentiam, ut in ipſis aulæ penetralibus prope ſub oculis ipſiusmet Cæſaris cædes patrentur, vel eorum imprimis, qui in ſumma ipſius eſſe gratia conſpiciantur. Hoc Beglerbei illius, quo nemo tunc Cæſari charior vixit, ac ærarii quoque præfecti triſti caſu ante paucos annos ſatis fuit declaratum. Jam ſi cetera addas, tantam graſſatorum manum, qui ubique obverſantur, incendiariorum, qui urbem pene totam, vel certe potiorem ejus partem ſuperioribus annis igne deleverunt, fæneratorum, qui fortunas omnium exhauriunt, & alias fæces hominum, qui inter aulæ illius miniſteria numerantur, harpiis ſimiles, cuncta rapientes, vel fœdantes, quid aliud conjicias, quam, eo jam perventum ibi eſſe, ut cum ultra tam ſævum, tetrumque imperium progredi ſceleribus, & ſævitia, nequeat, neceſſum eſſe, ut brevi corruat. Quod autem aliqui obligationem fidei obtendant, id cujusmodi ſit, vel ex eo perſpicitur, quod nulla cum iis, apud quos, ex æquo chriſtiani, ita omnes exoſi ſunt, ut quidvis in eos jure ſibi licere putent, fides coli unquam poſſit. Turcarum genti innatum hoc eſt, ut etiamſi pacta cum externis ineant, ac in fidem etiam eos recipiant, cum tamen ipſorum commodo poſſunt, eosdem ſtatim, nulla tacti religione, tamquam cœlitus oblatam prædam, ſub jugum mittant. His artibus propagata ſunt eorum imperia, cum in aliis orbis partibus, dum Ottomanus ille, a quo hæc Cæſarum Turcicorum progenies diffluxit, ſuos æque, ac alienos, partim vi, partim dolis imperata facere coegit, tum in hac ipſa, quam nos incolimus, poſtquam a Græcis evocati, non eos tantum ipſos, quibus ſubſidio venerant, ſed cunctos etiam alios finitimos populos, terrore ma-

gis nominis, quod tum recens in Europa auditum, perterritos, quam bellica virtute, imperio ſuo adjunxerunt. Sed nos, omiſſis aliis, in ſola hac noſtra Tranſylvania oſtendamus, quomodo illi erga eos ſe gerant, quorum vitæ, opibusque inhiant. Sicuti ille pilos caudæ equinæ vellendos olim demonſtrabat, ita hi beneficiarios ſuos putant, ſibi prius attenuandos, ut eis demum ſine ullo impedimento potiantur. Tributa eis nulla ſufficiunt, munus ſi exhibeas quantumvis luculentum, id ubi exhibitum eſt, periit ſtatim ejus omnis apud eos memoria, nova illico petunt, nec ſi ea conſequantur, ulli unquam finem cupiditati eorum faciunt. An nobis excidit, quam ſubdola ratione, ad pendendum eodem anno duplex tributum (quod nunquam antea fando auditum fuit.) neſcio qua dierum intercalatione, ex decem annis ſolaribus, lunarem unum reliquum confingentes, quem a nobis prætermiſſum contenderant eſſe, importuniſſime nos coegerint. Quid autem non fecimus, ut exemplum hoc (non ignari moris eorum in ſervandis iis, quæ ſemel quoquo modo invenerint) caveremus, cum vel eo ipſo, quod tributum ipſum æquaret, redimendum id nobis ſuſciperemus? ſed nec quidquam fiunt omnia, ubi ſemel in concepta de re aliqua ſententia, in odium chriſtianorum induruerunt. Jam vero in illa de limitibus controverſia, quid æqui unquam conſecuti ſumus ab eis. Viderunt hoc omnes æqui & iniqui, limites ad eam formulam, qua juſſu Solymanni deſcripti olim, & Tranſylvanicæ ditioni attributi fuerunt, eſſe redigendos, idque ut fieret, miſſis aliquoties nunciis, datisque ad eos literis, quibus ea cura demandata fuit, non ſemel perfecerunt, ſed eo tantum prætextu, ut promiſſis

fa-

ſatigati, & vana ſpe deluſi, cum nunquam tergiverſandi eis rationes deeſſent, a cœpto tandem ultro deſiſteremus. Ita nunc quoque ea res integra nobis cum eis manet, nullo alio eventu, quam, uti continuas de tantis finitimorum Turcarum injuriis, cum riſu, & delectatione eorum expoſtulandi occaſiones habeamus. Qua vero unquam in re æquitatem eorum, aut animi moderationem perſpeximus. In ea fortaſſis, quod Principis dignitati, dum ei Poloniæ regnum deferrent, faverint. Cum tamen nihil iis notius eſſet, quam Polonos, exploſa jam pridem hac eorum inſania, qui dare ſe id, quod eorum non eſſet, falſo jactarent, quantum legibus, ac libertati ſuæ tribuerent, vel tum ſatis ſuperque declaraſſe, cum ſuperioribus ad Varſoviam creandi novi Regis comitiis, Turcæ Legatus, Muztafa Ciauſius, qui eo nomine, ut de eligendo Rege ordines appellaret, eo venerat, nonniſi electo, proclamatoque jam Rege, ſolutoque magna ex parte Conventu, ſit ab eis auditus? In eo, quod non exſpectas ab eis, munificos ſe præbent: quod velis, id negant petenti, ſatis eſſe ducunt, ſi ſalvum a ſe dimittant, raro ſine verborum aculeis, & non aliqua ignominia notatum. Mereri aliquid in eorum gratiam, perinde eſt, ac ſi id tantum agas, quod jam actum eſt: grata eis nulla beneficia ſunt, niſi ea, quæ cum damno eorum fiunt, a quibus conferuntur. Moldavis iſtis noſtris vicinis, quorum Regio Barbarorum incurſioni nimis eſt expoſita, Cæſaris juſſu, juſtas copias ſæpe auxilio miſimus, eosque tutos hactenus a periculis præſtitimus, hoſtium etiam ipſorum confeſſione, quibus non Turcæ, ſed Tranſylvani tantum eum terrorem incutiunt, ut ab infeſtanda ea Provincia abſtineant. Sed quid tum

poſtea? an his officiis adducti, aliquando eo ſunt, ut juſtis quantumvis noſtris poſtulatis locum darent. Imo id ſumus aſſecuti, ut in nos odio incenſi, quod armis aliquid valeamus, ita detonſos nos cupiant, ut tamquam Valachi ipſi, & Moldavi ab eis devexati conſumptive, qui jam vix ſpiritum ducunt, opportuni omnibus eorum injuriis exiſtamus. Magnæ eis ab initio curæ fuit, quomodo Tranſylvaniam occuparent, dum in omnes occaſiones intenti, ignaviſſimis etiam mancipiis, ſicuti Markhazio illi, ingenti pretio eam addicerent. Quis credat, nunquam alio in nos animo, quam tum fuerunt, eſſe. Nonne teſtis locupletiſſimus eſt Ravazdius, Sinani conſilia omnia eo ſpectare affirmans, ut finem rebus noſtris imponat. Indicio id quoque eſt, Markhazio non alio fine Præfecturam Lipenſem commiſſam, quam, ut ex proximo, & conſilia omnia, actionesque noſtras ſpeculandi, & cum tempus tandem ipſum admoneret, infeſtis etiam armis Tranſylvaniam invadendi, majorem oportunitatem haberet. Hoc ſcilicet illud eſt, quod audimus, Sinanum, cum diſceſſurus in bellum, de more Cæſari valediceret, hunc etiam Markhazium, qui apud eos Ibraimus eſt, una ſecum in conſpectum Cæſaris produxiſſe, nimirum, ut qui tantum de ſe Cæſari polliceretur, ut in ſubjuganda Tranſylvania, omnem ſtatim opinionem eſſet ſuperaturus, non tantum nomine, ſed ex facie etiam notus ei in poſterum eſſet. Quo tempore id etiam palam eſt, Sinano ad Cæſarem ingredienti, ſpectantibus id ipſum noſtris quoque Legatis, Ibraimum ſcripta ſua in manus tradidiſſe, in quibus haud dubie ea erant annotata, quæ ille de Tranſylvania præſtiturum ſe promiſerat, ut Cæſaris aſſenſu comprobata, vim ei ad patrandum, atque audaciam ad-

derent.

derent. Illud vero maxime omnium ab univerſis, & ſingulis eſſe conſiderandum, quod ſi nunc Tranſylvani, deſertis Chriſtianis, Turcis adhæreant, verendum imprimis eſſe, ne et a ceteris Chriſtiani fœderis proceribus, ſeu vincant, ſeu vincantur, & præſertim ab Archi-Ducibus Auſtriæ, quos ſuperioribus temporibus tot injuriis, a Barbaris ipſis inſtigati, affeciſſent, infeſtis armis petantur, nec ab iis quantumvis in extremo diſcrimine poſiti, ullis ſubſidiis releventur. Quæ omnia, & multa alia, in quibus recenſendis, cum nota ſint omnibus, tempus terendum ſtuſtra non eſt, eo nos adducunt, ut credamus, Turcis iſtis, qui Chriſtianos omnes extinctos cupiunt, quo minus hactenus, impiam hanc eorum in Tranſylvanos mentem, atroci aliquo facinore explere potuerint, non animum, ſed occaſionem tantum defuiſſe. Quorum furenti in Chriſtianos libidini ſubſervire, quid aliud eſſet, quam in ſua aliquem viſcera ferrum ſtringere, aut eos juvare conari, quibus paulo poſt ipſe quoque jugulum ſit præbiturus? ſi itaque Patriæ charitas nos movet, ſi ſalus, atque libertas obverſantur animis noſtris, nunc tempus eſt; ut ipſi vocanti Deo obtemperemus, miſeram hanc ſervitutem, quam falſo libertatem huc usque appellavimus, exuamus, & aut nos in priſtinum ſtatum, quod juvat ſperare, Chriſtianorum adjuti armis vindicemus, aut honeſte potius omnes cadamus, quam deſertores communis omnium Chriſtianorum cauſæ, noſtræque ſimul ſalutis, per omnium, & qui nunc vivunt, & qui deinceps victuri ſunt, hominum ora circumferri nos patiamur.

CAPUT. UNDECIMUM.

De conſiliis Tranſylvanorum in tanta rerum difficultate initis.

Cum in hanc ſententiam multa fuiſſent ultro citroque diſputata, placuit tandem ordinibus, ut non eo tantum, quod Cæſar juberet, delectus haberentur, ſed, ut, cum Princeps oportunum judicaret, cuncti ſtatim, quo uſus poſtularet, armati convenirent. Additum etiam eſt, ad veterem militiæ Ordinem, quo ex inſtituto Provinciæ, a vicenis portis tributariis ſinguli equites, itidemque pedites in bellum mittuntur, ut decimus quisque ex omni plebe Tranſylvanica, ad ſubitos caſus ita armis inſtructus domi ſe contineat, ut eo, quo opus ſit, ad ferendam laborantibus opem, ſi id neceſſitas exigat, duci continuo poſſit. Ne autem, ob rei pecuniariæ difficultates, aliquid incommodi Reſpublica patiatur, novo plane exemplo, ea ratio cogendæ publicæ pecuniæ eſt invecta, ut Nobilitas omnis ſupremi juxta, ac inferioris Ordinis, a tritici ſingulis gelimis (ita vicenos & quinos quosque manipulos, in cumulum congeſtos, vulgo noſtri appellant) ſingulos nummos, plebei autem, & aggreſtes, a quinis quibusque gelimis tantumdem dependant. Saxonicis Urbibus, & ceteris Provinciæ Oppidis, pro cujusque conditione, certa pecuniæ ſumma inflicta: ſic & iis, qui pecuarium, quæſtum, opificia, ac varias artes exercent, impoſitum eſt, ut omnes tandem in commune hoc belli ſubſidium aliquid conferrent. Id tamen quicquid eſſet, non in alios uſus, niſi in eos, qui recens emergerent, Senatus totius, & duodecim delectorum hominum, quorum nomina ſunt publicis tabulis inſerta,

ta, conſenſu, ab iis, qui pecuniam illam, & conſervandi, & erogandi poteſtatem, ordinum decreto, accepiſſent, graviſſima in temeratores infamiæ nota appoſita, impendi voluerunt. His conſtitutis, dieque dicta, ad quam univerſæ Provinciæ copiæ adeſſent, tuncque poſtea, perſpecta prius Sinani voluntate, de bello gerendo ſtatueretur, ſoluto Conventu, ad ſua quisque rediere.

CAPUT DUODECIMUM.

De Legatione Principis Tranſylvani ad Pontificem Romanum miſſa, & itinere Claudiopolim ſuſcepto.

Eo tempore nequaquam prætermittendum ſibi Princeps pro ſua religione, & in ſacrum ordinem obſervantia judicavit, quin Pontificem Maximum rerum omnium ſuarum conſcium redderet, idque muneris Alphonſo Carilio natione Hiſpano ſacerdoti ſuo imponens, ut, & quo ipſe in ſtatu eſſet, Pontifici referret, & ſimul, ne ſibi in tam graviſſimis belli periculls conſtituto, conſilio ſuo, auxilioque deeſſet, ab eo enixe peteret, propere eum ad Urbem proficiſci voluit. His expeditis cum jam, & ad colligendas vires, & ad tempus extrahendum cunctatione imprimis utendum videretur, ea frequentibus Sinani, ac Baſſæ Temesvarienſis nunciis ſollicitatus Princeps, non nihil interciſa, Alba-Julia cum aulicis ſuis copiis, impedimentisque omnibus excedens, Colosvarinumque modicis itineribus perveniens, poſtquam ibi etiam, quæ undique expectabantur, Provinciæ ſubſi-

dia contraxiſſet, eam ſibi adminiſtrandi hujus belli rationem ineundam duxit, quam in ſequentibus exponemus.

COMMENTARIORUM DE REBUS UNGARICIS DECADIS DECIMÆ LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Diviſione copiarum, & colloquio Legati Tranſylvanici cum Sinano.

Bipartiri univerſas copias placuit, altera pars, eaque potior, ductu Stephani Bathorei Varadinum miſſa, ut ibi captata ex re, & tempore occaſione, ſimul cum Baſſa Temesvarienſi, ſed alio, quam is putaret, animo rem gereret. Cum altera eodem in loco Princeps, quaſi conatibus hoſtium, qui alia ex parte in Provinciam eſſent involaturi, obviam iturus ſubſiſtit. Cum hæc ita agerentur, interea Sennieius, a Sinano rediens, quæ ab eo acceperit, ordine omnia commemoravit, ad Mohachium illum ſe

ſe reperiiſſe, cum Bellerbeio filio ſociatis armis, in hoſtes properantem, auditum etiam ab eo placide, munera ei obtuliſſe, verum nullis precibus, & pollicitationibus flectere animum potuiſſe, id tantum perpetua, conſtantique oratione contendente, ut ſi Principi vita, ſalusque chara eſſent, nulla interpoſita mora, totis in hoſtes viribus incumberet. Ita etiam illum eſſe, ferocem natura hominem, de ſe perſuaſum, ut omnia ſibi prona ad victoriam, & facilia putet, certoque affirmet, antequam Hyems eum ab opere revocet, duas ſe arces Veſprimium, & Palotam recepturum, appetente demum novo vere, Viennam ipſam, Pragamque nulla unquam in ſermone Dei mentione, ſi is votis annuat, præhabita, occupaturum, adeo ſui, rerumque humanarum oblitum, fortunæ eum ſuæ confidere.

CAPUT SECUNDUM.

De capto Veſzprimio.

Interim Sinanus Mohachio progreſſus fertiliſſima Baroniæ utriusque vineta, ac agros depopulatus, per Batham, Echinum, Tolnam, & reliqua meæ Patriæ Oppida iter faciens, opinioneque omnium celerius ad Veſzprimium delatus, in Arcis conſpectu caſtra locavit, & cum Baſſa Budenſi, quem eo ad ſe cum omni apparatu bellico, & valida delectorum manu vocaverat, obſidione eam cinxit. Sed ibi Tentorium ejus, quod ceteris conſpectius erat, nempe a Cæſare in ſignum boni ominis, quoniam Patris ſui fuiſſet, donatum, globo e machina Aënea ex Arce petitum, rurſum eadem fere in parte, qua

olim

olim cum eo ad Sigethum Solimannus Imperator uteretur, perforatum fuit, conjicientibus ex eo paſſim omnibus vulgo, funeſtam eam Sinano expeditionem futuram tandem. Non fefellerat ea res Veſprimienſes, ac Palotenſes. Nam unus ex iis explorandi gratia obviam Turcis miſſus, ad Belgradum caſtra metantibus Barbaris ſe ſe admiſcuerat, & una cum iis Albam-Regalem usque iter faciens, ibique tandem ab iis, captata occaſione diggreſſus, cuncta eorum conſilia ſuis ſignificaverat. Præter hunc iverant etiam alii quinque pedites Veſzprimio, obviam Turcis, ut eorum animum, ac copias explorarent. Ii igitur Batham usque progreſſi, quod Oppidum a Mohachio duobus circiter milliaribus diſtat, ſub ponte, quo Turcis transeundem neceſſario fuit, ſe ſe occultaverant. Mox ubi totus Barbarorum exercitus, eo ponte, ſub quo illi latebant, transiiſſet, ſumma celeritate ad ſuos reverſi, omnem hoſtium apparatum illis retulerunt. Veſzprimienſes igitur, re cognita, Ferdinandum Zammarium natione Italum, hominem clarum, ac induſtrium, ut mature Arci conſulat, monent. Ille negotio cum Ferdinando Comite ab Hardek communicato, nihil aliud apud eum profecit, quam ut quadringenti Germani pedites, cum non exiguo commeatu ſubſidio Veſzprimium mitterentur. Dimiſſa igitur ex Arce fœminarum, puerorumque, ac reliquorum, qui ad bellum inutiles viderentur, turba, ſpe auxilii, ab Hardekio confirmati, Barbaros omnino exſpectandos noſtri ſtatuere. Vix imbellium turbam dimiſerant, & neceſſaria ad ſuſtinendam obſidionem pro temporis anguſtia diſpoſuerant, cum ecce ingens Turcarum exercitus ſe in conſpectum dat, ac Arcem circumquaque arcta obſidione cingit. Mox caſtris ex præſcripto gentis firmiſſi-

miſſime munitis, vineas, & aggeres jaciunt, primumque diem iis operibus abſolvendis conſummunt. Ingruente nocte, Benedictus Fekete cum ſelectiſſimis aliquot equitibus, Arce eggreſſus in ſacello quodam ſe abdit, ut illuceſcente die Barbaros ibi ſecure vagantes, ex improviſo adoriatur. Nec eum opinio fefellit, quippe ſimul, ac illuxit, primores Barbarorum cum paucis comitibus ad vineas jaciendas progrediuntur, quos Benedictus Fekete incautos, inopinantesque aggreſſus, fundit atque, fugat, & tandem in Arcem ſe ovans recipit. Turcæ vero, miſſis duobus civibus Ketskemethienſibus ad portam Arcis - - is, & voce popularium hortantur, obſeſſos ad deditionem. Quod ſi facerent, antequam Arx tormentis peteretur, incolumem eos abitum ad ſuos habituros. Reſponſum eſt ab eis, mandato Præfecti, malle ſe vitam profundere, quam fidem Deo, ac Imperatori ſuo datam turpiter fallere. Quo nuncio Sinanus cognito, jubet ſtatim ſequenti die 22. Maji duodecim minora tormenta bellica muris quatiendis admoveri. Poſteaquam igitur quinque continuis diebus, muri tormentis petiti ruinam minarentur: quinto tandem die ſub noctem quingenti ex Barbaris Arcem ſubeunt, quos quinquaginta Chriſtianorum ibidem in inſidiis collocati, cum magna eorum clade fundunt, atque fugant. Sexto igitur die cum mandato Sinani cominus milites Arcem veterem, jam per ſe ruinoſam, & continuis quinque dierum ictibus quaſſatam aggredi ſtatuiſſent: obſeſſi, quorum 400. Germani 600. Ungari fuerant, noctu, patefacto muro eggreſſi, acerrime cum Barbaris confligunt, unde ad trecentos circiter fuga ſibi ſalutem quæſivere, ceteri cœſi, ac cum Præfecto Ferdinando capti, & ad Sinanum perducti fuere. Ex eorum

nume-

numero fuit, & Petrus Miskolczius Miniſter verbi divini apud Veſzprimienſes, qui hæc nobis ordine coram expoſuit. Is cum una cum reliquis in prælium eggreſſus, ſclopeto in humeris ictus, laborem fugæ ulterius ſuſtinere non poſſet, in vicinos ſaltus nemoribus denſos elapſus, cum quodam Germano ſe in Sylvis abdit. Interim nonnulli ex Barbaris ſupervenientes, Germanum illum, Petri ſocium, ibi ſe occultare animadvertunt, & prælongis ferire haſtis conantur, ſed is audendum ſibi aliquid viro dignum ratus, unum, ex Barbaris, impetum in ſe facientem ſclopeto manuario interficit, ceteros eo metu in fugam conjecit. Ipſe arrepto ejus, quem dejecerat, equo, aſſiliens ſumma celeritate in eum, concitato curſu ſalutem ſibi quæſivit, cum fruſtra eum Turcæ conglobati, perſecuti fuiſſent. Petrus evaſiſſe jam ſe ratus, aliquantulum in ſinu gaudebat, cum ecce Barbari ſupervenientes, cadaver ſocii ſolitis ceremoniis ſublatum efferre parant. Quibus, dum huc illuc curſitantes, occuparentur, in Petrum etiam improviſo incidunt, eumque ex vulnere ſemi animem ſublatum, in ſervitutem redigunt.

CAPUT TERTIUM.

De tabellario Tranſylvanico ad Sinanum miſſo, & conſiliis Temesvarienſis Baſſæ.

In hoc rerum ſucceſſu jam majora Sinanum animo agitantem, tabellarius Principis cum literis, quas de ſua in bellum profectione ad eum dederat, convenit, cui ille confeſtim, ut omnia luſtraret oculis, & quæ Principi referenda eſſent, ut ad ejus exemplum, ipſe quo-

quoque fidelem Imperatori adverſus communes hoſtes operam navaret, ea mente conciperet, demandavit. Quod autem de promovendis in hoſtes armis Tranſylvanis injunctum fuerat, idem Baſſa quoque Temesvarienſis in mandatis habebat, ſed ita, ut communicatis cum iisdem conſiliis, communibusque viribus rem bellicam adminiſtraret. Sed ille cum celerius, ut in cauſa longe a Tranſylvanorum diverſa, juſſa exequeretur, transgreſſo Chryſio amne, Thurioque Oppido, in illo Ungariæ tractu celebri, a tergo relicto, ad cacati fluenta jam conſederat, loco ab hoſtium finibus non longe diſſito, ideoque eorum injuriis perquam opportuno. Ibi Tranſylvanorum adventum, fruſtra aliquato præſtolatur, cum tardius adventuros eos ſecum cogitaret, & præclari alicujus facinoris famam aucuparetur, tantæ moræ impatiens, ex omni ſuo exercitu promptiſſimos quosque cum Szolnokienſi Præfecto, viro impigro, ad hoſtes de improviſo, invadendos, fundendosque mittit. Tunc temporis Ungari quoque, qui ultra Tybiſcanam Regionem incolunt, transmiſſo flumine, cnm citerioribus uno jam in loco copiis ex omnibus finitimis Præſidiis aucti, & de Baſſæ caſtris certiores facti, idem ſtatutum apud ſe habebant, ut primo quoque tempore, Baſſam nihil tale exſpectantem, in caſtris opprimerent, haud ignari, ſi eum deleviſſent, quæcunque in finibus Turcarum præſidia haberentur, in eorum ſtatim poteſtatem conceſſura. Verum res levicula hanc eis occaſionem præcidit, ſi quidem forte fortuna in hominem quemdam Tranſylvaniæ ditionis, ex caſtris Ungarorum Varadinum cum ils, quæ de illis comperta habebat, feſtinantem incidentes, ille eis metu perculſus, ultro ſtatim omnem

mnem Ungarorum apparatum ex præſcripto, quod apud ſe habebat, indicavit.

Quo illi percepto, cum conſcii ſuarum virium, & jam feſſi quoque de via, tot hoſtibus minime pares ſe futuros intelligerent, converſo illico retro agmine, fuga, ac ſi in veſtigiis hærentes hoſtes viderent, equis multis in via præ laſſitudine amiſſis, multis e ſuis relictis, ad Baſſam in caſtris trepidi rediere. A quibus is de re tota edoctus, ac hoſtes jam etiam pro caſtris affuturos veritus, ne ſe in manifeſtiſſimum periculum, deſertus a Tranſylvanis conjiceret, ſublatis propere vaſis, motisque caſtris, in loca retro tutiora ſuos reduxit. Ita Hungari fruſtrati hac ſpe, nec ultra progreſſi, ad alia gerendi belli conſilia ſe converterunt. Cum ita in caſtris Temesvarienſibus trepidaretur, tunc nuncius Principis apud Baſſam, cauſas ei moræ exercitus Tranſylvanici referebat, quibus ille damnatis, culpam omnem in id ſolum conferebat, quod deſtitutus Tranſylvanorum auxiliis, hoſtes aggredi, occaſioneque uti non potuiſſet, additis minis, ejus rei haud immemorem ſe futurum.

CAPUT QUARTUM.

De ſollicitationibus Baſſæ Temesvarienſis.

Eodem tempore Stephanus quoque Bathoreus, copiarum Tranſylvanicarum Præfectus, & de ratione ſui itineris, & quas ſecum vires haberet, tum quid fieri ab eo cuperet, ſimul atque Varadinum attigiſſet, (ut in tempore quomodo tractandus, & im poſterum eſſet, cognitum haberet) per hominem

ſuum,

ſuum, & literas ſignificaverat, verum id etiam non ſecus ab eo acceptum eſt, atque antea, conjiciente Barbaro, ideo tantum fieri, ut in ſpeciem prolixe omnia præſtari a noſtris viderentur, ſed interim tamen miſſitando, verbisque ſecum colludendo, omnis belli gerendi occaſio elaberetur. Miſit autem ad Principem iisdem diebus complures nuncios, tum ex iis, quos Ciauſios vocant, tum ex alio ordine, quibus confidebat, denique ex Chriſtianis etiam, ſubditis eorum, nationis noſtræ hominem, & ſpeculandi cauſa, & animo, quid de hac expeditione Tranſylvani conſtitutum haberent, cognoſcendi. Inter alia vincente jam fervore, ejus animum cum leviora non proficerent, auſus fuit ita exaratas literas mittere, ut niſi ad diem Dominicum proximum cum triduo ante ejus literæ principi redderentur, Kallo-um obſideret, ex eo palam jam ſe cogniturum, fidem Cæſari debitam eum mutaſſe.

CAPUT QUINTUM.

De capta Palota, & dimiſſis in Hyberna copiis Turcicis, ac Tranſylvanicis.

Dum ita Temesvarienſis fremeret, Sinanus jam re ad Veſzprimium proſpere geſta, ducto victore exercitu ad Palotam, ea quoque Arce per deditionem (Petro Ormannio poſt tridui oppugnationem, deſperatis auxiliis eam dedente) occupata, impoſitoque ei præſidio, quod ulterius continere tumultuantem militem in caſtris non poſſet, ſatis ſe hoc anno ad injiciendum hoſtibus terrorem feciſſe ratus, Budam verſus in campos Kellienenſes copias reduxerat.

Ferunt

Ferunt poſt captam Palotam Sinano id plane propoſitum fuiſſe, ut eodem Belli impetu, Tatam quoque, quæ jam ſe ei Victori, & ut fit, ſemper plura appetenti, offerebat, interciperet; verum milites, & laborum pertæſi, & ſimul cœli aſperitate, præcipiti jam autumno, ab ejusmodi militia, quæ eis præter morem Gentis tali anni tempore imperabatur; deterriti, facto globo, ad prætorium Sinani convolantes, cum apud ſeverum hominem verbis parum proficerent, præſciſſis illius Tabernaculi funibus, ita, ut concideret, ſe jam minime dictis ejus, ea in re audientes, fore declararunt; ibi igitur in campis Budenſibus, cum Caſtra haberet, nuncius Principis eum conveniens, quid a copiis ejus, quæ in limitibus eſſent, agi placeret, ab eo exſpectabat. Is vero ſive quod eam gloriam, quæ eum ex iis rebus, quas tam brevi tempore, tanto cum ſucceſſu egiſſet, maneret, cum aliis communem facere nollet, ſive quod ita ex animo ſentiret, collaudato obiter Principe, indicatisque proſperis ſucceſſibus ſuis, & quod tempore jam ipſo, prono in Hyemem a rebus gerendis arceretur, poteſtatem ei fecit, revocandi exercitus, & ad ſua quemque dimittendi, ea tamen lege, ut proximo vere ſtatim, ſimul atque arbores in flores errumperent, ad ſigna redirent. Cognita hac Sinani voluntate, actutum exercitus Varadino revocatus, ac ipſe quoque Princeps compoſitis ſuo tempore iis, quæ ad curam Provinciæ pertinebant, Albam-Juliam, Claudiopoli, fuit verſus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

De actis, a Cæſare Principi Tranſylvano Gratiis.

Dum Stephanus Bathoreus ad Varadinum Caſtra haberet, Tiffenbachius Ungariæ ſuperioris Præfectus, per nuncium ſuum Sigismundum Pacioltum Principi ſignificaverat, Rudolphum Cæſarem cognita præclara ejus in ſe voluntate, nuper ei in Turcarum hoſtilem animum detegendo, declarata, eo adductum eſſe, ut poſtquam Turcarum perfidia incitatus, bello potius cum eis experiri, quam ſub pacis prætextu patere eorum inſidiis in animo haberet, ipſius quoque inter alios Principes Chriſtianos ſtudio uti velit, ac quam ſibi pro navata hac opera impoſterum etiam, dum commodo ſuo, poteſt præſtanda, gratiam referendam putaret, Cæſari per ſe, qui in eo benevoli hominis officio functurus erga eum eſſet, indicaret. Agebat hoc tunc Tiffenbachius, quod copias Tranſylvanicas ad fines jam progreſſas, ne quam in Cæſaris ditiones incurſionem facerent, omni ratione ſibi, intra officii, Religioniſque, quam communem colerent, terminos continendas intelligebat. Pachiolcius igitur in eo totus erat, ut perſuaderet Principi, eam occaſionem ei minime negligendam, qua non tam Cæſari, cujus adeo propenſum in ſe animum videret, fidem ſuam probaret, quam rebus ſuis in reliquum omne tempus, aut nunc conſuleret, aut alio rerum ſtatu vix unquam conſulturus videretur. Non eſſe dubitandum affirmabat, unam hanc communem omnium Chriſtianorum eſſe mentem, ut Barbaris hoſtibus ita arma inferantur, ut Deo eorum votis annuente, tunc demum deponantur, cum injuſti

hujus, & violenti ipſorum Imperii, exitiique finem eſſe impoſitum viderent. Reſponſum Pachioltio ejusmodi datum eſt, ex quo intelligi facile poſſet, Tranſylvanorum eam eſſe conditionem, ut cum Turcis ſubjecti, ea una re, in tanta eorum, & propinguitate, & potentia, libertatem ſuam tueantur, novis conſiliis, quæ ſæpe læta initio, exitu triſtia forent, intendere prius animum, quam Chriſtiani, diſtractas inteſtinis bellis vires, ad ſolam Barbarorum perniciem conferrent, haud tutum ſibi eſſe ducant. Interea tamen nullam occaſionem prætermiſſuros, qua Patria incolumi, de Cæſare, deque cognata gente, atque communi Religione bene mereri queant.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sinani ad Belgradum reditu, & Ungarorum ad Rudolphum Imperatorem Legatione.

Sinanus eo in loco, quem diximus, cum de ratione tuendæ provinciæ, cum ſuis conſilia communicaret, a Baſſa demum Budenſi, qui multum, & nomini ſuo, magni illius Mahometis, qui trium Cæſarum ſummus Conſilii Præſes fuiſſet, filium ſe jactando, & rebus antea geſtis, & felicitati tribueret, exoratus, commendata ejus fidei finium primum cura, relictaque ei potiore cum equitatus ſui, tum peditatus etiam parte, ipſe cum reliquo exercitu, filioque Bellerbejo, eodem, quo venerat, itinere ad Belgradum in hyberna redire ſtatuit. Jam antea Ungari amiſſis tot in Sclavonia anno ſuperiore Arcibus, periculique magnitudine, quæ cunctis non ſecus, ac ſi extrema jam omnibus imminerent, ob oculos

oculos erat poſita, coacti ad Rodolphum Cæſarem ſolennem legationem inſtituerant, qua, qui apud eum fungerentur, viros fide, charitateque in patriam inſignes, Franciſcum Nadasdium, & Nicolaum Palffium, addito eis Epiſcopo Jaurienſi Cancellario, qui apud Cæſarem tunc munus ſuum obibat, delegerant, quibus interpretibus, quæ maxime conducere afflictis eorum rebus exiſtimabant, fidem Cæſaris, neceſſariam contra hoſtes deffenſionem implorabant. Quem ut magis permoverent, in tam præſenti patriæ diſcrimine, mitiora etiamnum conſilia animo verſant, usque eo provecti ſtudio fuere, ut palam indicarent, ſi ſe deſertos crudeliſſimo hoſti lacerandos, conficiendosque relinqueret, quod omnibus animantibus natura inditum eſſet, ut ſubſidia vitæ, unde poſſent, peterent, id ſe quoque inevitabili malo adactos experturos, impetrataque incolumitate, certis legibus cum Turca tranſacturos. Dum hæc Pragæ tractarentur, ea omnium perſuaſione, Turcis eo anno gerendi belli omnem jam facultatem eſſe præciſam, repente alii ſuper alios nuncii advolantes, primo Conſtantinopoli Sinanum ad bellum Ungaricum cum exercitu eggreſſum, deinde Belgradum etiam perveniſſe, inde aliquot dierum quiete refectis militibus ad fines properare, renunciarunt. Quibus commotus Cæſar, idque ſimul veritus, ne Ungari, remiſſa omni impoſterum animorum fiducia, hoſtibus poteſtatem ſui facerent, comiter appellatos Legatos, extemplo ad ſuos redire juſſit, ea ſpe imbutos, nullas ſe in eorum ſalute propugnanda optimi, amantisque ſuorum Principis partes prætermiſſurum, omniaque ſtatim ad bellum neceſſaria, milites, arma, pecuniam ſubmiſſurum, darent modo operam, ut collatis, quibus poſſent viribus, furori

rori hoſtium obſiſterent, donec aucti majoribus copiis, ad vim propulſandam, vel ſponte etiam inferendam, ſe compararent. Scribit ad Archi-Ducem, etiam Matthiam Principem, Ungariæ Proregem, ut demandata, quam attentiſſima earum Rectoribus provinciarum cura, totis viribus hoſtes a finibus arcere conetur. Verum Sinanus nuſpiam cunctatus, torrentis inſtar, obvia quæquæ proſternens, jam tum, ut diximus, finem gerendi belli fecerat, cum Ungari ad arma exciti, quantum in ea anguſtia temporis poterant, hoſtibus obviam ire maturabant.

CAPUT OCTAVUM.

De expeditione Ungarorum ad Albam usque Regalem facta.

Ad Jaurinum primo mandato Archi-Ducis conveniunt, cum alia omnis earum Regionum nobilitas, tum imprimis clari militia duces Georgius Comes Zrinius, Franciſcus Nadasdius, Nicolaus Palffius, cum ſuis quisque equitum alis, omnem belli aleam Patriæ cauſa cupidi, & alacres ſubituri. Cum dux exercitui quæreretur, & hi inter alios rebus geſtis, & gloria inſignes, Zrinius, & Nadasdius in omnium oculos incurrerent. Hardekius tamen ob honorem ejus Præfecturæ, qua fungebatur, Jaurinenſem generalem vulgo appellant, eam prærogativam decreto Archi-Ducis tulit, ac in hoſtium illico ditionem duxit. Cum impar tantis ducibus Imperator fuiſſet, impoſitus, uti corpore, ita animo puſillus, ac, quod eventus ipſe oſtendit, perfidus, ac proditor, n omni ea belli adminiſtratione, nihil ordine, nihil

hil pro more militari, actum ferunt, vel conniventibus iis, qui ſe digniores eo honore putaſſent, vel ita potius impellente eos Deo, ut non viribus, aut ducis virtuti, ſed ſoli ipſi eam victoriam, quæ mox ſecuta fuit, merito omnes ferre acceptam poſſent. Inſtabat jam Hyems, & Sinano abire cum ſuis contendente, alii quoque finium Præfecti, idem facturi videbantur, qua occaſione Chriſtianorum duces audendum ſibi aliquid rati, Hardekium invitum fere (cum is Turcarum diſceſſu ſolutum ſe ea neceſſitate gerendi adverſus eos belli putaret) eo pertrahunt, ut in tanta agendi occaſione, Turcis ſe ad interiora recipientibus, ne tantus belli apparatus incaſſum abiret, ad Albæ ſaltem Regalis mœnia procurrerent, ut ita aut elicerent hoſtes ad pugnam, aut ſaltem Albæ ſuburbia incenderent, atque delerent. Aſſentiente Hardekio, nec ultra quicquam, aut de commeatu, aut de impedimentis providente, magna celeritate ad Urbem perveniunt, cujus ſuburbia ſtatim inflammant, ac diripiunt, Turcasque omnes, qui ibi ſtationes habebant, nonnullis in tumultuario prælio deſideratis, intra Oppidum compellunt. Hoc rerum ſucceſſu contenti, cum ab oppugnanda Urbe, & tempore ipſo, quod jam hyemem referret, & eo maxime, quod Tormentis carerent, abſtinendum ſibi viderent, converſo retro agmine, domum redire properabant.

CAPUT NONUM.

De Victoria Chriſtianorum ad Albam-Regalem.

Baſſa interea Budenſis cognoſcens per exploratores, quid conſilii Chriſtiani caperent, convocatis confeſtim omnibus, qui & Budæ, & alibi ejus ductu ſtipendia merebant, cum valida equitum, peditumque manu ſe ad ferendam, ubi uſus poſceret, ſuis opem comparaverat, promotisque copiis, ipſe etiam, eandem partem in quam Chriſtiani, ſuos adducebat. Verum Chriſtianis re perpetrata jam diſcedentibus, Albæ Præfectus cum ſuis Urbe ſe effundens, obviusque Budenſi, orare eum, ne tantum facinus inultum patiatur: in conſpectu eſſe hoſtes, in manu victoriam, nulla ſecum Tormenta eos habere, facile paucos a pluribus, inermes, imparatosque ab iis, qui omnibus abundarent, opprimi poſſe. Non erat opus pluribus apud hominem ſua ſponte ſui confidentem, gradum confeſtim intendunt, & vix ab urbe uno milliari, recipientes jam ſe chriſtianos, conſpicati, quomodo eos aggrediantur, deliberaturi conſiſtunt. Id chriſtianis ſaluti fuit, qui ſolutis ordinibus, iter capientes, vix ſiſti a ducibus, ire ad ſigna, in hoſtes ſe convertere, arma induere, aut ad ea facienda adduci potuere, quæ præſens neceſſitas, & communis periculi motus poſtulabat. Augebat omnium ſollicitudinem improvida ducis virtus, qui muneris ſui neſcius, uno tantum ſe loco, turmis cataphractorum ſtipatus, ceu in valida aliqua arce continebat, niſi concedendum id ei putemus, homines belli peritos, duceſque veteranos, quid facto opus eſſet, monendos

ei

ei tum non fuiſſe. Illi ſiquidem magno animo ſe ſe cohortati, diſpoſitis ordinibus, omnes alios ſuo exemplo ad capeſſendam ſumma vi adverſus perfidos hoſtes pugnam accenderunt. Mira res fuit, quæ divinæ tantum providentiæ adſcribi debet, Turcas, rebus omnibus ad prælium optime inſtructos, uno in loco, velut attonitos, eousque conſtitiſſe, donec chriſtiani, tamquam ex pacto nulla re præpediti, non incurſione, non velitatione, non tormentorum ſonitu, arma expedire, aciemque in illos explicare potuere. Aliud quoque accidit, priori perſimile, tanto ſilentio utrinque ad prælium ajunt eggreſſos, ut non prius æra concrepuerint, aut claſſica ſint audita, quam ad manum ventum fuerit, nec id incitato, uti moris eſt, equorum greſſu factum, ſed placido, & ſedato, ac ſi alteri, cum alteris amicorum in morem dextras juncturi viderentur, Budenſis ex colle quodam, unde in chriſtianorum ordinem proſpectus patebat, luſtrans oculis omnia, converſa in Germanorum equitum agmen acie, quæſivit a circumſtantibus, qualis illa atratarum, ceu denſarum nubium manus eſſet, reſpondenti Germanos ferro omnes, flammisque refertos, prælii ſignum exſpectare, ſubjunxit: aut cadendum ſibi ea die, aut in hoſtium poteſtatem eſſe deveniendum. Prælium deinde ſatis acre, & aliquamdiu anceps etiam fuit, ſed inferentibus ſe tandem, qua Ungaris, quæ Germanorum turmis, & crebris pixidum crepitibus, ac globorum nimbis hoſtes percellentibus, nutare primum Turcarum acies, mox Budenſi etiam (in quo nemo ea die, & optimi Imperatoris, & ſtrenui militis partes deſideravit) acceptis aliquot adverſis vulneribus, a ſuis e pugna ſublato, fracta audacia, plane ſuccubuere, equites

cum in fuga tantum, confiſi pernicibus equis, ſpem poſitam haberent, ab Ungaris quaquaverſum fugati, & alii, aliis in locis, prout ſors quemque obtuliſſet, vel capti, vel truncati, plurimi in proximas Albæ paludes compulſi, in cæno & aquis, equorum, armorumque ponderibus preſſi, perierunt. Peditum etiam non abſimilis fortuna fuit, ſiquidem a Germanorum equitatu aut protriti, aut globorum jaculis ab eisdem cuncti propemodum proſtrati fuere. Ex equitibus plures, ex his pauci admodum evaſere. Baſſa ſaucius, victo metu dolore, mutatis aliquot equis, nusquam reſpirare auſus, cum paucis comitibus Budam eſt delatus, adeo trepida ejus adventu urbe, ut ſi hoſtes tergo ejus inſtitiſſent, nullo negotio eotum potiri potuiſſent.

CAPUT DECIMUM.

Quid Chriſtiani poſt victoriam egerunt.

Secundum hanc victoriam rurſum ad Albæ mœnia noſtri convolarunt, & cum clauſas portas aperiri juberent, id tantum reſponſi ab incluſis retulerunt, quod cum nec tormenta ſecum, nec eam commeatuum copiam, qua freti obſeſſos ad deditionem cogere poſſent, haberent, minime ſe eis parituros. Cum prudentioribus, inſtandum eſſe occaſioni, placeret: facilem & tormentorum ſubvectionem, & commeatuum fore copiam, nudam urbem, & præſidio deſtitutam, vix unum, aut alterum diem, obſidionem toleraturam, qua capta, quamcunque belli rationem ſequi velint, ſive in loco manere, ſive continuare victoriam, omnia in eorum poteſtate futura, ſolus Hardekius ſibi curam belli commiſſam aſſe-

aſſerere, non ad urbes obſidendas ſe profectum, ſed ad rem foris cum hoſtibus gerendam, ad propellendos eos a finibus, ad provinciam ab eorum metu liberandam, id ſe Dei beneficio aſſecutum, id jam penſi habere, ut incolumes ſuos domum reducat. Ita fruſtra aliis in contrarium nitentibus, unius hominis pertinacia, & proditoria amentia, amiſſa ea gerendæ rei oportunitas fuit, qua Turcis, qui Budæ & alibi ex ea Danubii parte in præſidiis erant, ad ultimam virium deſperationem poſt eam acceptam cladem redactis, cum ipſa regia urbe, ingens terrarum tractus paucorum dierum ſpatio recuperari potuiſſet. Ergo ductum Hærdekii, infelicis hominis, ſecuti, collectis ſpoliis, quæ ampliſſima ex devictis tot hoſtibus (quorum numerum viginti quinque millium armatorum fuiſſe perhibetur) fuerunt, frementes, & indignabundi, quod tam pulcherrima occaſione, ducis vitio uti non potuiſſent, ad ſua quique revertuntur. Hujus autem rei geſtæ fama adeo late per omnes vicinas regiones fuit ſtatim diffuſa, ut non id tantum, quod geſtum eſt, ſed plura ſemper, uti fit, affingente vulgi ſermone, jam & Albam, & Veſzprimium, Palotamque receptas eſſe, conſtanti ubique rumore ſpargeretur, usque adeo, ut ipſi etiam Rudolpho Cæſari a plerisque perſuaderetur, isque & ad Pontificem maximum, & ad Hiſpaniarum Regem avunculum, læti de iis rebus nuncii literas ſcripſerit. Qua de cauſa poſtea iratus Hardekio, cum aliorum etiam, qui ei bello interfuerant, querelæ acceſſiſſent, uno omnium ore affirmantium, ipſius culpa vanos eos rumores exſtitiſſe, qui, is ſi virum ſe præſtitiſſet, facile veri eſſe potuiſſent. Parum abfuit, quin & honorem ei abrogaret, & gravius etiam quid, in eum ſtatueret.

CA-

CAPUT UNDECIMUM.

Quid Sinanus audita ſuorum clade egerit.

Baſſa Budenſis Sinanum de chriſtianorum adventu, conſiliisque jam tum ſtatim, cum ii Albam Regalem venturi crederentur, certiorem reddiderat, ſed id ille primum non credere, poſtea parvi facere, demum cognito infelici pugnæ eventu, tantum non exanimatus, concidere. Id apud Eſekum oppidum in inferiori Ungaria illi accidit, ubi ita mœrore oppreſſus, per triduum integrum neminem ad ſe admiſit, omni, ut ajunt, cibo, potuque abſtinuit, ægre deinde a ſuis exoratus, ut memor priſtinæ ſuæ virtutis, & rerum humanarum viciſſitudinis, animum reſummeret, & meliora deinceps ſperaret, paululum confirmato animo, captoque cibo rurſum in vitam ſe dedit. Hoc autem illum, præ ceteris, in tanta fortunæ mutatione excruciabat, quod ipſe, & ſvaſor ejus belli fuiſſet, & cum æqua cum hoſtibus conditione, integris adhuc rebus, tranſigere potuiſſet, bello cum eis experiri, quam petentibus dare pacem maluiſſet. Accedebat ad augendum ejus angorem, quod milites jam a ſignis dilapſi, nullo imperio, non minis, non pœnis, ſed ne præmiis quidem ullis poterant ſiſti, ita, ut iter illius ubique fugæ ſimile videretur, quod ille animadvertens, licet pontem etiam quo Savum ad Belgradum traducere copias ſtatuerat, disjici juſſiſſet, nihil tamen effecit, cum ii in omnes partes effuſi, qua integrum cuique fuiſſet, viarum compendia ſecuti, evaſiſſent. Ita cum paucis Belgradum demum appellens, ſtatim dimiſſis etiam copiis, iis maxime, quæ inter præſidia Cæſaris numerantur, ſuasque ſtationes in aula habent, de eo cogi-

cogitare cœpit quomodo cauſam ſuam, ſiquid de eo ſiniſtri ſpargeretur, Cæſari probaret. Miſſis itaque in aulam ſuorum intimis, mandata eis dedit, ut Cæſaris imprimis animum prænoſcerent, & ſi intelligerent, queri Cæſarem, ejus culpa rem a Budenſi male geſtam eſſe, eam a ſe ita removerent, ut aſſererent, a Germanis ei impoſitum fuiſſe, qui ſpe pacis injecta, poſt ejus diſceſſum ad ſummenda arma ſe mutuo cohortati fuiſſent. Ita enim Archiducem Matthiam ſecum transegiſſe, cujus rei ejus literæ, quas Cæſari mitteret, teſtes eſſent, modo exercitum reduceret, legatum ſe ad eum continuo Belgradum de pace miſſurum eſſe. Hac ſpe deluſum, in eum errorem incidiſſe, ut laborantibus ſuis in tempore opem ferre non potuerit, ideoque venia dignum, quod alieni ſceleris culpam non ſibi ſubeundam, ſed ab ipſismet autoribus ejus pœnas expetendas putet. Si hæc & ſimilia non proficerent, contra nimiam, invidorum præſertim, malevolorumque potentiam, quorum animos fortunæ ſuæ indulgentia jam pridem contra ſe efferaſſet, oblata ingenti vi auri Cæſarem ſibi conciliarent.

CAPUT DUODECIMUM.

Quid Temesvarienſis Baſſa audita ſuorum clade egerit.

Dum hæc aguntur, interea Baſſa Temesvarienſis, collecto aliquo ſuorum numero, ad Zarvaſum caſtra habebat, & in omnes partes, quomodo provinciam ſuam tueretur, intentus obſervabat: de eo multum ſollicitus, quod nullo edito militari opere, fidem, atque

Digitized by Google

atque officium ſuum potuiſſet declarare. Cum autem non de Budenſi tantum clade, certum jam nuncium accepiſſet, ſed id etiam inſuper certe cognoviſſet, Ungaros Tibiſcanos cum Caſſovienſi Præfecto Tieffenbachio ſociatis armis, transmiſſo rurſum Tibiſco, Fileco imminere tum vertere in omnes partes animum, ſiqua via, & modo eorum conatibus ire obviam poſſet. Inter alia ceu oblitus eorum, quæ jam acta peracta fuiſſent, dedit literas ad Stephanum Bathoreum, qui jam ſe illo munere ſuo abdicaverat, ut ſtatim ſe cum eo conjungeret, communibusque ambo viribus, ad reprimendos hoſtes iter accelerarent. Eo non contentus, ad Principem etiam eodem exemplo ſcripſit, id unum curæ ſibi eſſe ducens, ut aliquod de ſe providi ducis ſpecimen edere poſſet. Princeps vero, nec integrum jam ſibi, dimiſſis in hyberna copiis, id eſſe, nec ſi eas in promptu haberet, propter inſtantem hyemem, cogere eos ad bellum poſſe, reſpondit: atque nuncium ſimul etiam ad explorandum ejus conſilia potius, quam ut aliquid commune ſibi cum eo eſſe cuperet, ad eum miſit Quo tempore is, cum ad eum venit, eodem fere nunciatum fuit illi,* ſuorum auxilia, quæ ad ſolvendam Fileci obſidionem miſerat, profligata, obſeſſosque in eam neceſſitatem eſſe adductos, ut deditionem meditentur, quo nuncio adeo perculſus fuit, ut obortis lacrimis, diutius, quam par duci eſſet, iniquam ſuorum ſortem lamentaretur, tandem internuncio, extemplo caſtris excedere juſſo, ne eorum, quæ agerentur, teſtis oculatus eſſet, cum brevi reſponſo eum dimiſit, ipſe muniendis Caſtris totus deditus.

COM-

COMMENTARIORUM DE REBUS UNGARICIS DECADIS DECIMÆ

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De capto Fileko, & aliis Arcibus, a Chriſtianis.

Jam vero Ungari cum Tiffenbachio rebus gerendis occupati, primum Zabatkam validum Turcarum propugnaculum, cum præſidiarii, obfirmatis animis, extrema quæque ſe perpeſſuros, affirmaſſent, expugnarant, 1593. Turcis, qui in eo erant, ne uno quidem excepto, omnibus trucidatis, direptoque Caſtello, & novo militum præſidio firmato, ad Filekum Caſtra promoverant. Zabatka 15. die Novembris, eo, ut diximus modo capta, Filekum 19. obſeſſum fuit, ibique, novis copiis, quæ cum Zoliomienſi, & Korponenſi Præfectis advenerant, exercitus auctus, interea fertur in Caſtra Turcas ex Budenſi, & Temesvarienſi Præfecturis, viribus numeroque præfidentes, & ad ſolvendam obſidionem tendentes, medio loco inter Filekum & Zechinum conſediſſe. Eo cognito, ſine ulla cunctatione Stephanum Bathoreum, Stephanum Homonnaium, Sigismundum Rakoczium, cum Korponenſi, & Zoliomienſi Præfectis, & dele-

ctorum

ctorum equitum quatuor fere millibus, ac aliquot peditum cohortibus, ad eos loco pellendos ducere jubent. Id illi ſtatim expediunt, Turcasque primo ſtatim inſultu fundunt, fugantque, aſſequuntur, trucidant, & perpaucis vivis captis, alios Zechinum usque propellunt, Caſtris eorum, & omni apparatu bellico potiti, mox cum ſignis quatuordecim, & copioſa præda ad ſuos, ovantes in caſtra revertuntur. Turcis, quo minor cædes eſſet, ſylvæ, & viarum anguſtiæ, uti in regione ſubmontana, præſidio fuere. Nam peditatus, quod lentius ſubſequeretur, prælio intereſſe, fugientesque in locis arctis, & peditibus idoneis proſequi non potuit. Dum illi ita rem gerunt, qui in Caſtris erant, nihilo ſegnius oppugnationi Arcis inſiſtunt, ac primo dupplici oppido, profunda foſſa, muroque ligneo munito, deinde Arce quadam terrea per vim potiuntur. Quod videntes, qui in interiorem Arcem, egregie, & opere, & loci natura munitam, quippe in rupe ſitam, confugerant, de deditione agunt, incolumitatemque pacti, cum armis, & quibus induti erant, veſtibus, uxoribus, & parvulis una abductis, Arce excedere permittuntur. Eorum numerus fuit, virorum & fæminarum, puerorumque ſimul, capita bis mille, & quadraginta quinque, qui in longo otio, & rerum omnium affluentia, & quæſtu, & rapinis aucti, incredibile dictu, quantam precioſarum omnis generis ſuppellectilium vim, terræ defoſſam, ibi reliquerint, adeo, ut per complures dies, & noctes in ædium locis (igne ſiquidem exuſtæ, & ſolo æquatæ omnes erant) totis Caſtris ad inveſtigandas ejusmodi ſcrobes, resque in eis reconditas, eruendas, concurſum fuerit: magno totius exercitus emolumento, & alacritate militares omnes labores ſubeun-

di.

di. Hic Turcarum fœminæ dolo uſæ, quod putarent ſe ex pacto, quod ſecum auferre poſſent, libere diſceſſuras, auro, aliisque rebus pretioſis pro cujusque copia ita ſe onerarant, ut prægravante eas pondere, vix incedere poſſent. Quod animadvertentes milites, detractis ſarcinis ad iter expeditas, levesque eas reddiderunt. Ita Filekum poſt triceſimum, & nonum, quam in Turcarum poteſtatem perveniſſet, annum, rurſum Chriſtianis eſt, ſingulari Dei beneficio, reſtitutum. Quæ Arx tanti fuit momenti, ut totus ille terrarum tractus ad Caſſoviam, Scepuſium, & metallicas Urbes, auri, atque argenti proventu nobiles, Oppidis, Pagisque frequens, gravi incolarum incommodo continuis inde Turcarum excurſionibus, latrociniisque patuerit. Audita Filekenſium deditione, qui Divinii erant, veriti, ne eos etiam eadem belli fortuna maneat, clam arce eggreſſi, ad ſuos ſe, quo viſum fuit incolumes omnes receperunt. Ita Arx egregie munita, vacua, deſertaque, in poteſtatem eorum venit. Hinc ad aliam Arcem, Ajnaczkeium incolis dictam, ventum fuit, quæ etiam non adeo magno labore tradita eis eſt. Cum iis, qui Somoskeovienſem Arcem tenent, ita convenerunt, ut ſimul atque Zechinum captum ab eis fuerit, ſtatim ipſi quoque eam incolumem Arcem eis tradant, atque ab omni interea maleficio ex ea abſtineant.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Quæ conſilia Sinanus, audito Chriſtianorum ſucceſſu agitaverit.

Antequam ea, quæ commemoravimus, hunc in modum fuiſſent Dei beneficio adminiſtrata, jam antea Sinanus de his Ungarorum Rebus geſtis, certior factus, cum in tanta fortunæ inclinatione, quo ſe verteret, non videret, ad Principem duos ex ſuis Ciauſiis primæ notæ homines cum literis mittit, in quibus ſcribit, ut nunc tandem, quanti Cæſaris Majeſtatem faciat, re ipſa oſtendat, quod ita fiet, ſi infeſtis ſtatim armis invadendo, obvia quæque in eorum ditionibus ferro, flammaque deleat. Hujus rei neceſſitatem nunc ei imponi eo tempore, quo ſicuti gravia omnia, difficiliaque ei proponuntur, ita ſperandum ipſi ſit, majorem pro his gratiæ locum illi apud Cæſarem fore. Nullam excuſationem admitti poſſe, omnia in ſola celeritate eſſe poſita. Eadem nuncii verbis ingeminabant, quos ita inſtructos Sinanus a ſe dimiſerat, uti cum alter eorum cum Reſponſo ad ſe rediiſſet, alter non prius pedem hinc efferret, quam Principem, conſcenſis equis, raptisque ſecum equitum alis, dicto iis audientem fuiſſe, vidiſſet. Sed is, priora conſilia ſecutus, verbis ei ſatisfaciendum putavit, atque ita Legatos, utcunque aſſentiri iis, quæ eis dicerentur, viſos ad Sinanum dimiſit. Verum vix illi diſceſſerant, cum affertur, alios ab eodem venire, jam jamque affuturos. Nam cum frequentes in dies, alii poſt alios, nuncii a finitimis Turcis ad eum, poſtulatum auxilia, mitterentur, nec is modum ea expediendi

in

in ea militum ſolitudine reperiret, unum id agebat, ut quoscunque tandem poſſet, in hoſtes concitaret. Itaque, advocato Mahumeto Ciauſio, olim profuga, eodemque interprete, de quo ſupra dictum eſt, negotium ei dat, ut una cum oratore Principis, Joanne Bodogio, qui toto expeditionis tempore apud eum fuerat, primo quoque tempore in Tranſylvaniam veniat, ſimulque, quid fieri velit, utrique imperat. Nec eo contentus, poſtridie rurſum alium Muſtaffam nomine eadem de cauſa cum mandatis mittit, hi prius, illi poſtridie appulerunt, & omnes eadem die auditi fuerunt. Summa utrarumque Cæſaris literarum eadem, hoſtes omnes in armis eſſe, atque id in animo habere, ut ad Budenſis ditionis præſidia, Filekumque contendant, eorum loca circum omnia nunc præſidiis eſſe nudata. Nunc utendum Tranſylvanis occaſione eſſe, & pro eorum in Cæſarem fide adnitendum, ut in hoſtium ditiones ferro, & flamma ſæviant, circumlato longe, lateque in omnes partes omni belli terrore, Chereium Tartarorum Chanum, virum militarem, cum ducentis millibus popularium ſedibus excitum brevi affuturum, qui poſtquam advenerit, hoſtium fines pervagatus, omnia eorum loca, Urbes, Arces, Oppida, Villas, in fumum, & favllam convertet, abductisque conjugibus, & liberis, cum omni eorum ſubſtantia, omnem late regionem vacuamque habitatoribus, vaſtamque reddet. Itaque cum illis agetur, ut iidem ipſiſmet ſint deſpectui, & ludibrio, nuſquam reſpirare, vel ad horæ ſpatium ſaltem poſſint conſiſtere. Nihil Principi juris in Ungariæ Regno eſſe, cujus commoda non debere eum morari. Nec curam ſui in eo attendere, ſi itaque ani-

mus ipſi eſt, ei inſerviendi, nunc & virtute opus eſſe, & omnibus viribus elaborandum, ut cum ipſi fidum, tum hoſtibus formidoloſum ſe eſſe oſtendat.

In Sinani literis, quas eodem argumento ipſe quoque ad Principem ſcripſit, id erat additum, perlatum ad ſe eſſe, cum hoſtibus communes eum habere rationes belli, ſi eos ſermones vanos reddere velit, ejus conſilio utendum ei eſſe, ad mandatum Cæſaris ſtatim in pedes conſiſtendum, armaque capienda ei ſunt, ſi ſalutem, commodaque Provinciæ chara habeat, Tartarorum Chanum, Legatum jam ad ſe præmiſiſſe, qui indicaret, cum ducentis millibus hominum eum in has oras adventare. Hi poſtquam advenerint, damnatorum illorum ſpirituum, hoſtium ſuorum terras omnes, univerſam denique Gentem illam, omnibus incommodis, cladibusque adfectam, & de medio ſublatam, in nihilum curabunt redigendam. Hac de re nihil amplius cogitandum ei eſſe, tantum id curandum, ut mandata expediat, hoſtium terras, in vaſtitatem redigat, & qua die iter ingreſſurus ſit, ei ſignificet.

CAPUT TERTIUM.

Oratio Mahumetis ad Principem Tranſylvanum verſuta.

Oratio Ciauſii Mahometis his ſimilis fuit, eo tantum amplior, quod diceret, Sinanum deceptum Matthiæ Archi-Ducis literis, in has anguſtias incidiſſe, cui rei indicio id etiam eſſe, quod abſtinere ſuos a depopulandis hoſtium finibus curaverit, quo magis ſe a pacis tractatione non abhorrere eis perſuaderet. Sinano veterano jam Duci, & tot annos

in

in Bellis verſato, nunc vero ætatis quoque vitio ad extrema properanti, id imprimis moleſtum videri, quod tam grave, & exitiale bellum, omni ſpe pacis præſciſſa exortum, nullaque jam alia re, quam multarum gentium, penes quas præſentis facti, fœderisque interrupti culpa reſideat, internecione terminandum animadvertat. Se Deum, cœlosque conteſtari, quicquid hinc mortalium rebus incommodi invectum fuerit, id totum in authorum capita recidat, æternisque eos pœnis devoveat. Interea daret Princeps operam, ut cum de pace prorſus jam ſit conclamatum, ad bellum ita ſe compararet, uti eos deceret, qui beneficiorum Cæſaris memores, omnem ſibi operam, labores, & ſtudia, pro ejus fide impendenda putarent. Nunc ultro feneſtram ei ad res præclare gerendas aperiri, hoſtibus per arcium obſidiones, in quibus nunc tempus tererent, ſpatium aliis ad eorum ſedes invadendas dantibus, eorum maleficia pari incommodo eſſe eis referenda. Nec hyemem eum ab hoc opere poſſe deterrère, cum ad ferenda eis incommoda non ſit ipſe quoque deteriore hoſtibus ipſis conditione, animum tantum ab eo requiri, qui etiam pro juſta Cæſaris cauſa deeſſe non poterit, ampliſſima olim gratiæ illius prœmia, pro navata ei tam commodo tempore opera, accepturo.

CAPUT QUARTUM.

De Zechinio, & aliis quibusdam, arcibus in Chriſtianorum poteſtatem redactis.

Cum ita in Tranſylvania Mahumetes differeret, jam Ungari rerum ſuarum ſatagentes, plures etiam hoſtium Arces, ut Somoskeſium, Kékkeum, Hollokeum, Buiakum ditioni ſuæ adjungentes, Zechenum quoque, ejus Præfecto, cum præſidiariis, incolisque omnibus Turcis, noctu inde excedente, occupaverant, famaque erat, eos non niſi Hatvano, Zolnokoque captis, arma circumferendi, finem facturos. Iisdem diebus a Temesvarienſi Ciauſius literas Principi attulit, non jam prioribus ſimiles, ſed quibus ille, uti mos Gentis ejus eſt, omnia commodo ſuo, & temporibus metientis, totus effuſus, in adulationem, palam fateretur, præclare de Cæſare Principem meritum, quæ partium ipſius eſſent, abunde expleviſſe, ſiquidem ad Regni confinia exercitu miſſo, & ſuam Provinciam, & ſe ſimul cum ſuis, a vi hoſtium incolumen præſtiterit.

Multum eum ad reliqui etiam temporis ſecuritatem eo additurum, ſi nihil de priſtina diligentia, ſtudioque remittendo, dum immenſæ Cæſaris vires ad bellum coirent, repreſſa interim hoſtium ſerocia, fidei, virtutisque ſuæ documentum eis præbeat. Perſuaſum ſibi eſſe, ut Joannem Regem, & qui poſtea Tranſylvaniam tenuerunt, Cæſaris Majeſtatem, omnes comiter habuiſſe, eadem ipſi quoque ad demerendam, bellico aliquo facinore, Cæſaris gratiam, via gradienti, ampliſſima honorum præmia, cum multo majori acceſſione Regni reſervari. Allatum poſtea

fuit

ſuit, Ungaros, capta Zechienſi Arce, cum ſententiis certarent, quo eſſet progrediendum, aliis ad dexteram Nogradum verſus, ut nihil jam hoſtibus in eo terræ Tractu ad Danubii usque ripam poſſidendum relinqueretur, aliis læva ad Hatvanum, Berinum, atque Zolnokum Turcarum præſidia, quibus nihil Ungaris Tybiſcanis eſſet nocentius, contendendum eſſe ſuadentibus, ita tandem, inter ſe conveniſſe, ut cum ad reliqua incommoda, quibus homines, jumentaque præ ceteris conficerentur, id vel imprimis acceſſerit, ut terra nimium imbribus antea emolita, etiam leviter durata gelu, itinera omnia impervia reddiderit, in præſentia bellum ſuſpendant, mox refectis equis, militeque melius induto, poſtquam hyems terras, aquasque æquaverit, ad eundem victoriæ curſum (quod Deus bene vertat) continuandum redituri. Ita pars cum Palfio, in ejus Provinciam, quæ ad Danubium eſt, pars Tiffenbachum ſecuta, Caſſovienſi itinere, ad ſua quique diverſi rediere.

CAPUT QUINTUM.

Palfius copias reducens quatuor Arces nec opinato capit.

Palfio autem cum inter hoſtium præſidia ſuos reduceret, Turcæ, qui in eis erant, uti poſtea cognitum fuit, id veriti, ne Ungari univerſis viribus, veluti continuata jam victoria, eos oppugnatum venirent, antecapiendumque ſibi ad effugium tempus rati, portis apertis, noctu eggreſſi, aliis eorum etiam incenſis, occaſionem ea occupandi præbuerunt,

eorum nomina Dregel, Hidvégh, Zonda, & Beke traduntur. Ne autem eodem exemplo Nogradenſes etiam, jam ſignum tantum profectionis exſpectantes, uterentur, duorum peditum indicio factum fuit, qui fortuito capti, cum adducti ad eos fuiſſent, nequaquam ſibi nunc ab his, qui ſine tormentis, impedimentisque bellicis eſſent, per ea loca tranſituri vim metuerent, eis ægre perſuaſerunt. Cum autem hic Nogradi Præfectus, confirmato jam a metu animo, ad Dreglliensſes, ſuos adhuc ibi eſſe arbitratus, noctu nunciatum miſiſſet, ut in fide Cæſaris ſecuri, a vi hoſtium, qui nihil hoſtile in eos eſſent tentaturi, arcem tuerentur. Ungari animadverſo errore, referre Præfecto juſſerunt, gratias ſe ei, recta monenti, agere, imperataque cupide eſſe facturos. Harum rerum fama cum jam antea in vulgus emanaſſet, & omnium animi erecti, in eam ſpem eſſent, Chriſtianorum res deinceps propitio eis Deo, meliore loco futuras, ingens voluntariorum ex plebe Ungarica, ex iis præſertim Regni partibus, ad quas nondum pervaſit vis Turcica, multitudo in Caſtra confluxit, usque adeo, ut eorum numerus eos, qui ſtipendia facerent, facile æquaret, certatim omnibus odio perfidæ Gentis, in ipſorum cognatos ſævientis, ad ejus perniciem concurrentibus, quorum ſucceſſu ii etiam tandem, qui ſub Turcarum imperio degunt, invitati, ne ab aliis ſtudio, atque alacritate vincerentur, facta clam coitione, vi illata, injuſtam, ſævamque Barbarorum dominationem ulciſci in animum induxerunt.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De clade eorum, qui Jenienſem Arcem cœperunt.

Sed in hoc propoſito aliis alibi cunctantibus, non pauci ex Chriſii accolis, Tranſylvanicæ potiſſimum Turcicæque ditionis, magno, ut putabant, ſilentio, ne deprehenſi, ſuo ſe indicio proderent, unum in locum convenientes Juvenes, plures, quam trecenti, inter armenta ad labores aſuefacti, quos Hajdukos vocamus, majore animo, quam viribus, nullo certo duce, nullo ordine, arreptis temere armis, quæ ſors cuique adminiſtraverat, ad Jeneium tandem fuerunt delati. Id Oppidum paulo ante lucem, quieſcentibus adhuc Turcis, quorum pauci domi cuſtodiæ relicti, ceteri cum eorum Præfecto in Caſtris Temesvarienſibus erant, aggreſſi, injecto tectis igne primum inflammatum, deinde ceu dato ſigno, qua cuique viſum fuit, per vicos diſcurrunt, domos excutiunt, obvios quosque ſpoliant, omnia rapiunt, nullius rei minus memores, quam propriæ ſalutis. Neque enim mentem ſubibat miſeris ea cogitatio, quomodo perpetrato tam audaci facinore, ſupervenientibus interea hoſtibus, de quorum præſertim aris, focisque ageretur, tam gravi injuria laceſſitis, ruituris ad vindictam, eſſet reſiſtendum, quomodo per medios ipſos hoſtes, ſi ita res poſcat, in tuta cum ſpoliis evadendum. Ita ſiquidem malo eorum fato accidit, ut Præfecto Jenienſi, ſolutis jam Caſtris Temesvarienſibus, domum cum ſuis redeunti, cuncta de imminenti Oppidanorum periculo renunciarentur, atque is eo cognito, majusque aliquid, quo ſibi inſidiæ ſtatuerentur, ſubeſſe ratus,

Ita iter ſuum inſtituerat, ut cum jam hoſtes loco potiti eſſent, & quod futurum ſperabat, præda occupati, nihil præterea penſi haberent, tum primum eos totis viribus adoriretur. Itaque eam noctem, quæ factum præceſſit, ut in proximo pago, uno tantum milliari diſtante ab Oppido, in armis inſomnem totam traducens, promotis ante lucem copiis, uti ſtatuerat, eo plane tempore ad Oppidum pervenit, quando aggreſtes eo incenſo, factaque ſatis copioſa præda, confuſi inter ſe, cunctaque clamoribus, & inani lætitia miſcentes, portis jam ipſis effunderentur, in eos illico cum ſuis magno animo invectus, facile confuſos, inermesque conturbat, atque in fugam actos perſequens, magnam eorum ſtragem edit, multos vivos capit, plurimos eo adigit, ut in profluentem fuga delapſi, ejus gurgitibus abſorpti perierint. Ita infelix turba mali incœpti dignas pœnas luit, paucis modo elapſis, qui documento aliis eſſent, ne temere quicquam, & ultra vires audendo, conſimili modo ſe perditum irent. Id ubi ſparſum huc illuc inter Barbaros, & plerosque eorum, qui rem hanc patraſſent, Tranſylvaniæ ditionis fuiſſe compertum fuit, incredibile dictu, quantum odii, ac furoris illi in Tranſylvanos hoc nomine conceperint. Sed ne tamen in tam dubia rerum ſuarum fortuna, temere tanti momenti provinciam ab Imperio abalienarent: Præfecti Arcium miſſis ex ordine Ciauſiorum nonnullis, num ejus hæc res voluntate tentata ſit, Principem interrogare, reſponſum eſt, aggreſtes illos foederis temeratores, nequaquam Principe conſulto tantum facinus aggreſſos, ſed propria libidine, & prædæ ſtudio eo veſaniæ proceſſiſſe.

Ita-

Itaque æquum, ac juſtum eſſe, ne culpa hujus rei Principi ab iis tribueretur, qui omni ſtudio, in id impoſterum incubiturus eſſet, ne quid tale a ſuis committatur, & quicunque hujus rei conſcii deprehenderentur, debitam læſæ Majeſtatis, violatique fœderis pœnam luerent. Ita Ciauſii veriſſimilibus excuſationibus, donisque deliniti, ad ſuos rediere, haud ignari, non voluntatem Tranſylvanis, ſed occaſionem rei contra Turcas gerendæ deeſſe.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sinani Conſiliis poſt cladem acceptam.

Dum hæc ita, ut dictum eſt, geruntur, Sinanus Belgradi commorans, varia ſollicitudine agitabatur. Flagrabat enim, ſupra quam cuiquam credibile ſit, invidia apud Cæſarem, qui inſtigantibus ceteris purpuratis, Sinano id totum acceptum ferebat quicquid damni in tot arcibus amiſſis, tantaque veteranorum manu perdita accepiſſet. Excruciabat eotum animum ejus, dies atque noctes, incredibilis chriſtianorum Ducum ſucceſſus, qui tam brevi tempore, tot, ac tanti momenti arces, cum non exigua Ungaricæ ditionis parte, propemodum ſine ullo ſuorum damno recuperaſſent.

Quod eo gravius, moleſtiusque Sinano videbatur, quod tantam ſuorum cladem propemodum e ſpeculis inſpicere cogeretur, nec ullam, iis laborantibus, opem ferre poſſet. Obſtabat enim, quo minus id faceret, non ſolum anni tempus, quod propter aſſiduos imbres cogendis copiis, incommodiſſimum erat, ſed etiam incredibilis horror, qui

qui totum Imperium Turcicum invaſerat. Increbreſcebat enim in dies magis atque magis, ſimul ac per commoditatem verni temporis liceret, omnes undique nationes chriſtianas unanimi conſenſu in profanam gentem inſurrecturas, nec prius finem ſacro huic bello facturas, quam vel penitus eam delevisſent, vel ſaltem in Aſiam rejeciſſent.

Non Venetos ab hoc bello, qui fracto a Turcis fœdere, laceſſiti perfidia fuiſſent, non Hyſpanos, non Polonos, non Moshos, non Perſas immunes fore, ſolos Anglos, atque Gallos eſſe, qui tam glorioſum chriſtiani orbis conſenſum impedire conarentur. Quibus omnibus ita Sinanus excoquebatur, ut cum nec progredi ſe ad compeſcendos chriſtianos, nec regredi ad Cæſarem poſſe, videret, mediam viam inire, nec prius cœpto abſiſtere ſtatuerit, quam vel optatum bello finem imponeret, vel honeſtam mortem oppeteret. Itaque, quod unum poterat, conſilio ſibi in præſenti rem gerendam ratus, nihil eorum animo intermittebat, quæcunque ad ſapientiſſimi, ejusdemque experientiſſimi Ducis officium pertinere viderentur. Noctes ut plurimum vel lectioni hiſtoriarum, parciſſimus ſomni Dux, impendebat, quarum præſcripto conſilia ſua omnia gubernaret, vel meditandis, quærendisque quam commodiſſimis belli gerendi rationibus, tranſigebat. Interdiu vero modo legatos ad confœderatas quasque nationes in officio continendas, mittere, modo Cæſari animum per nuncios addere, opemque ab eodem inſtanter petere, nonunquam veteranos quosque duces, nominatim ad expeditionem evocare, ſæpe etiam metum ſimulare, contemptumque ſui apud noſtros omnibus modis conciliare. Quibus omnibus id effecit, ut & noſtri eum jam

pro-

propemodum deſperaſſe, nec unquam vires colligere poſſe, aut copiam pugnandi facere velle, judicarent, & Cæſar eo magis laboranti Sinano copias ſubmittere non dubitaret.

CAPUT OCTAVUM.

De comitiis Rudolphi Imperatoris Ratisbonæ celebratis.

Dum tot tantisque rumoribus chriſtianus orbis ad felicia quæque ſperanda erigitur. Rudolphus etiam Imperator Romanorum, ne partibus ſuis deeſſe videretur, comitia Imperii Ratisbonæ indixit, convenere eo pauci ex proteſtantibus, iique per legatos, eo, quod metuere ſe dicerent, ne ab iis, qui Pontificis ſummi authoritatem ſequuntur, aliquo detrimento afficerentur. Poſtquam tamen primores ordinum eo conveniſſent, Cæſar per interpretem proponit, quomodo Turcæ ſuperiori anno, rupto præter fas fœdere, in Croatia Siſecum, in Ungaria vero Veſzprimium, Palotamque cœpiſſent, & ingentes ubique vaſtationes edidiſſent, nec ante cœpto abſiſtere ſtatuiſſent, quam omnino, deleta Ungaria, Romanum ipſum Imperium ſubjugaſſent. Proinde monuit omnes ordines gravi oratione, atque etiam obſecravit, ne laboranti chriſtianæ Reipublicæ deeſſent, cogitarentque ſecum, rem ipſorum omnino agi, dum fortiſſimam Ungarorum gentem, quæ ducentis amplius jam annis impetum barbarorum ſuſtinuiſſet, in extremo diſcrimine verſari viderent. Conferrent igitur pecuniam, darent milites, arma pararent, conjunctisque conſiliis, ac viribus, teterrimum hoſtem

a cer-

Digitized by Google

a cervicibus chriſtianorum repellerent. Quod ſi vero ceſſarent, & ſubſidium dare cunctarentur, viderent etiam atque etiam, ne Ungaris, qui omnem hactenus belli Turcici molem fere ſoli ſuſtinuiſſent, vel prorſus deletis, vel neceſſitate ipſa, Turcarum ſe ſe patrocinio ſubjicientibus, aditus barbaris in Germaniam ultro aperiretur. Reſponderunt ordines Imperii, gratum ſibi eſſe, quod Cæſar pro ſua authoritate curam chriſtianæ Reipublicæ tandem ſuſcepiſſet: ſed quo minus votis ejus morem gerere poſſent, impediri ſe metu, ne ſi ſubſidiis ipſorum collatis, Turca Dei beneficio reprimeretur, & e Pannoniis ejiceretur. Pontifex bellum ſtatim ipſis pro religione ſua promovenda, indiceret. Proinde ſi arma, pecuniam, milites a ſe dari Cæſar poſtularet, prius jurejurando ſe ſecuros redderet, quod parta Dei beneficio victoria, bellum in ſe nullum Pontifex, ac ceteri principes, qui religionis nomine a ſe alieni eſſent, nullo unquam tempore ſuſciperent. Hæc proteſtantium poſtulata, cum Cæſari non per omnia ſatisfacerent, conſiliis ultro, citroque diu agitatis, magno cum omnium cordaciorum hominum dolore, & ingenti chriſtianæ Reipublicæ detrimento, tandem re infecta diſceſſum fuit.

CAPUT NONUM.

De Strigonio, & Hatvano, a Chriſtianis oppugnatis.

Interim Matthias Archidux cum Sinanus omnino jam præ metu ceſſare, cunctarique crederetur, ita bellum contra chriſtiani nominis hoſtes gerendum ſtatuit, ut copias omnes, quas undiquaque contra-

trahere potuit, in duas partes divideret. Alteris præfecit Chriſtophorum Tieffenbachium, generalem, ut vocant Caſſovienſem, eisque adjunxit præcipuos quosque ex Ungaris proceres. Stephanum Bathoreum, Franciſcum Dobo, Stephanum Homonnaium, Sigismundum Rakoczium, & alios nonnullos, quos omnes nominare ſingillatim neceſſe non videtur. His juſſit, ut collecto, quam maximo poſſent exercitu, Hatvanum imprimis obſiderent, quod non procul ab Agria diſſitum, maximas quandoque moleſtias, Cæſarianis ditionibus, faceſſebat. Ipſe cum ſelectiſſimorum cataphractorum equitum, expeditiſſimorumque peditum manu Strigonium obſedit. Urbem non procul a Buda diſſitam, & Archiepiſcopali ſede celeberrimam. Habebat a conſiliis Matthias Archidux, præter Davidem Ungnat, Ferdinandum Hardekium, Gallum Braun, prudentiſſimos quosdam e Germania Duces, Georgium Zrinium, Franciſcum Nadasdium, Nicolaum Palffium, & alios nonnullos, qui omnes pro ſua ſingulari in patriam charitate, ac excellenti in rebus bellicis uſu, peritiaque, nihil omnino intermittebant, quod ad expugnandam tanti momenti arcem pertinere, videretur. In his tamen obſidionibus, nihil magis memorabile videtur contigiſſe, quam pugna illa ad Hatvanum commiſſa, in qua noſtri Stephano Bathoreo, & Sigismundo Rakoczio ducibus, inſignem de barbaris victoriam reportarunt: non fuit tamen incruenta hæc noſtris victoria, nam præter gregarios milites periere cum aliis, claro genere nati complures, tum etiam Sigismundus Banfi Loſontius, quem ob ſingularem ejus virtutem, egregiamque indolem, meriti honoris cauſa nomino. Territi quidem fuere hac ſuorum clade barbari, verum tamen non eo adducti,

ut

ut arcem noſtris dederent, ſed potius pertinaciores redderentur in propoſito. Itaque cum fruſtra multos dies, maxima cum militum, equorum, pecuniæ, omniumque neceſſariorum jactura, in oppugnatione Hatvanienſi conſumpſiſſent, orta inter duces diſſenſione, ac proditionis ſuſpicione, itinere fugæ ſimili, inde ſe quisque domum receperunt. Idem non multo poſt, & oppugnationis Strigonienſis exitus fuit. Poſtquam enim non exiguam hominum, inter quos, & Valentinus Balaſſa fuit, ceterorumque bellicorum commeatuum jacturam ibi fato quodam noſtri fruſtra feciſſent, adventantis rumore Sinani, Tartarorumque per Tranſylvaniæ fines eruptione moti, quod nequaquam ſe pares obſidioni ſimul urgendæ, & prælio cum tanta barbarorum multitudine ineundo, fore putarent, vaſis collectis Jaurinum ſe verſus recepere, in id omni ſtudio incumbentes, ut & laborantibus Jaurinenſibus, ſi neceſſitas poſtularet, maturam opem ferre, & depopulationes hoſtiles inhibere, copiasque Barbaricas, quæ ultra trecenta hominum millia excurrere dicebantur, ubi ſe occaſio daret, carpere poſſent.

CAPUT DECIMUM.

De clade Raſcianorum Beczkerekienſium.

Obſeſſis arcibus Strigonio, & Hatvano, cum longe, lateque ſe ſe fama diffudiſſet, Principem etiam Tranſylvanum cum 40 hominum millibus jam jam adventare, & Temesvarum obſidere velle, quidam ex Raſcianis, a Balthaſare potiſſimum Bathoreo animati, & jure jurando, ad inferendam Turcis ubicunque occaſio ſe daret, vim adacti, imprimis Cianſi-

um

um quendam ad Principem Temeſvarino miſſum, ex inſidiis adorti, contra jus gentium interfecerunt. Ea re cognita, mitit extemplo Temeſvarienſis Baſſa, quendam e ſuis ad Principem Sigismundum, & per eum de interfecto Ciauſio, jureque gentium violato, accerrime conqueritur. Erat tunc Thordæ Princeps, & indictis comitiis, quid facto in tanto orientis, occidentisque motu opus eſſet, deliberabat. Igitur vocato in conſilium Friderico Zavor, homine fido, atque ſtrenuo, ex conſilii ſententia mandat, ut profectus confeſtim Lugaſinum, Georgio Palaticio, ejus tractus Bano communi nomine ſignificet, ut pacem, cum finitimis Turcis omni ſtudio tueatur, eosque qui fœderis violatores deprehenderentur, ſeveriſſime puniat. Fridericus mandata Principis apud Banum fideliter executus, Temesvarinum proficiſcitur, Baſſæque Principis nomine exponit, cædem Ciauſiorum nequaquam ejus voluntate perpetratam eſſe. Quod ut facilius barbaro perſuaderetur, vocavit eum ad locum, ubi cædes patrata fuerat, ibique Baſſa præſente, ac inſpectante, auctores ejus ſceleris, eo, quo ipſe juſſiſſet, mortis genere ex præſcripto Principis, ſe puniturum affirmavit. Aſſenſit tum ei Baſſa, ſeque ad præſtitutum diem, ac locum, omnino affuturum promiſit. Sed poſtea ſeu ſimulans metum, ſeu quod revera ita ſentiret, ſeque ab inſidiis Tranſylvanorum, metuere diceret, in loco, temporeque ex compoſito præfixo, comparere noluit. Ita cum & literis, & nunciis fruſtra rogatus Baſſa fuiſſet, ut ſpectator eſſe pœnæ fœdifragorum vellet, iisque non opus jam ea re renunciaſſet, cum certo conſtaret, Principem Tranſylvanum a Cæſare deſciviſſe. Fridericus, officio ſuæ fidei comiſſo, ſe defunctum ratus, homines illos cædis authores

res abſentia hoſtium ſalvos dimiſit. Illi ex tanto mortis periculo in libertatem aſſerti, cæpere confeſtim audaciſſimos quosque, & prædæ avidiſſimos ad inferendam barbaris vim allicere. Ita poſtquam ducenti ferme primum Raſcianorum, ac Valachorum ex ditione Tranſylvanica conveniſſent, periculo fortunæ facto, aliquot caſtella Turcarum, cœſis eorum cuſtodibus, diripuere. Inde animis hominum fortunæ ſucceſſu elatis, cœpere in dies magis, atque magis copias cogere, & ni ſe ſe ipſis adjungerent, mortem omnibus, confiſcationemque bonorum minitari. Illi, ut mortem, fortunarumque ſuarum diſcrimen, effugerent, nomina coacti dare, ac ſe illis adjungere. Ita poſteaquam ad duo millia circiter hominum coiſſent, nuncium palam ad præfectum Beczkerekenſem (Vajvodam ipſi vocitabant) uti ſequenti die ſe ad prælium accingeret, miſere. Ea re cognita præfectus duos confeſtim ex ſuis ablegat, unum Turcam, alium Ungarum, ut ii hoſtium copias juxta atque animum explorarent. Turca mutato habitu comitem ſe Ungaro addens, rebus omnibus hoſtium ſat exploratis, ita rem præfecto refert, uti ſuis animos adderet, & facile iis reſiſti poſſe ſignificaret. Ungarus vero, dum magnum eſſe hoſtium numerum indicat, prodente eum explorationis comite, parum omnino abfuit, quin a præfecto interficeretur, quod parum integra fide rem exponere, militesque terrere videretur. Præfectus igitur, ſperans oppidum Bagoo fluvio ſat munitum fore, penſilem in ponte portam extruit, eamque tormentis undique bellicis munit, & accita ex finitimis pagis, non exigua hominum agreſtium, manu, cuſtodiam oppido, quam maximam poteſt, ponit. Vix hæc ſatis commode diſpoſuerat, cum ecce poſtridie Pente-

coſtes

coſtes ſub meridiem, quo temporis articulo ſe venturos pronunciarant, ingens ex appropinguantium tumultu pulvis in aere apparet. Dubium principio ſpeculatoribus fuit, jumentorum ne pulvis ille, an hominum eſſet. Tandem hoſtibus adeſſe cognitis, ad arma conclamant, & ſtationem quisque ſuam repetunt. Miſſi autem fuere obviam hoſtibus nonnulli, ex primoribus oppidi exploratum, quid vellent, qui ſtatim ubi ad eos pervenere interrogantur, Regi ne Ungariæ, ac Principi Tranſylvaniæ, quorum ipſi milites eſſent: an barbaris ſe adjungere vellent, nam ſi hoc facere tentarent, eos ſe hoſtium perinde, ac Turcas ipſos loco habituros. Illi re improviſa territi, quando inter ſcyllam & charibdin poſiti, utrinque mortem ſibi imminere vident præſentiſſimam, reſponderunt ſe libentius chriſtianorum partes, ſi alterutrum horum faciendum ſit, quam barbarorum acturos eſſe. Id ſimul ac præfectus ſubaudivit, qui turbæ oppidanorum ſe admiſcens, eventum rei expectabat, equo confeſtim admiſſo, cum ſuis aliquot militibus fuga ſibi ſalutem quæſivit. Hoſtes vero fluvio protinus, partim vado, partim navibus trajecto, oppidum diripiunt. Mox paucis ibi diebus transactis, cum collecta præda inde abire conantur, reſiſtunt iis oppidani, & quando cæſis Turcis prædas ipſi omnes corraſerint, oppidoque extremum diſcrimen creaverint, ut ſecum jam manere, & conjunctis jam viribus, ac conſiliis, bellum contra barbaros (qui nequaquam hanc rem inultam laturi eſſent) gerere vellent, obnixe eos rogant; abnuunt illi, ac cum præda jam parta, mature ſe ad ſuos inde recipere conantur; quibus dum oppidani ſe ſe fortiter opponunt, interfectis utrinque aliquot hominibus, ita tandem inter

Digitized by Google

ſe componunt, ut oppidani, acceptis ex iis nonnullis, qui ſummæ rerum præeſſent, univerſas eorum copias, longe, quam inpræſenti eſſent, inſtructiores, propediem certa cum ſpe ſubſidii exſpectarent. Ita oppidani perfide ab iis deſerti, ratique, nequaquam Turcas hoc impune laturos, ipſa neceſſitate cogente, arma capiunt, & oppidum tueri ſtatuunt. Id ubi barbari cognoverunt, copiis ſtátim coactis, duce Baſſa Temesvarienſi, accurrunt, quem illi primo ſtatim impetu fundunt, atque fugant, filiumque ejus jam puberem in fuga interficiunt.

His oppidani ſucceſſibus magis atque magis inflari, & omnia pericula in dies contemnere. Baſſa vero amiſſis cum filio copiis, Temesvarinum revertitur, ac conjunctis cum prædeceſſore, ut vocant, qui tunc decedebat, e provincia viribus, rurſus eos invadit, ſed eodem, quo prius ſucceſſu, ab oppidanis funditur, atque fugatur, & jam quaternas, easque magnas de barbaris victorias miſeri reportaverant, & ad 25 circiter hominum millia carptím trucidaverant, cum nequaquam ſe fore pares hoſtibus rati, ni auxiliis quoque chriſtianorum adjuvarentur, legatos, & ad Principem Tranſylvaniæ, Banumque Lugaſienſem, & ad Stephanum Bathoreum (qui tunc cum ceteris Ungariæ proceribus, Hatvanum obſidebat) communi conſilio decernunt. Reſpondit Bathoreus ex conſilii ſententia, inconſulte prorſus eos feciſſe, quod non expectato chriſtianorum ſucceſſu, in ipſo Turcicæ ditionis meditullio contra valentiores barbaros arma ſumpſiſſent, ſe ſe modo, in tanta rerum difficultate, locorumque longinquitate, quando ipſi etiam ad urgendam tantæ arcis oppugnationem, ſubſidiis indigerent,

ne-

nequaquam poſſe ullas ipſis ſuppetias ſubmittere. Verum tamen quoniam eo jam proceſſiſſent audaciæ, unde nonniſi cum victoria, aut extremo periculo regredi liceret, ſe ſe ipſis auctores eſſe, ne vel caſtella Turcarum, uti audiretur ab ipſis factitari, invaderent, vel quoquam alio progrederentur, ſed oppidum duntaxat, ſeque ſolos tueri conarentur, donec Deo felicem oppugnationis eventum, dante, ſubſidia illis ſubmittere poſſent. Georgius vero Palaticius longe aliam ſecutus viam, quotidie eos nunc per internuncios, nunc per literas inſtanter animare, & modo pulverem tormentarium mittendo, modo rumores de adventu Principis diſſeminando, certam eis auxiliorum ſpem facere. Quibus illi animati, tres omnino hebdomadas variis victoriis, ac congratulationibus tranſegere, ignari miſeri, quantam ipſi cladem jam jam accepturi forent, barbari igitur obſidione jam Hatvanienſi ſoluta, militibusque domum inde reverſis, veriti, ne ſi Principiis non obſtarent, majoribus eorum ſucceſſibus reſiſtere nequaquam poſſent, novas viciſſim copias, quam maximas poſſunt contrahunt. Convenerant enim barbari non ſolum ex vicinioribus, ſed etiam remotioribus præfecturis, quæcunque alicujus momenti eſſe viderentur. Qua re per Ungaros quosdam aurigas cognita, cœpere ſtatim Beczkerekienſes conſternari, ſed urgente eorum fato, expectare tandem hoſtes, & marte rem diſcernere ſtatuunt. Appropinguantibus igitur barbaris, obviam ſtatim excelſis animis progreſſi, ita aciem inſtruxerunt, ut primas Ungari obtinerent, in poſtrema acie Raſciani, Valachique ſubſiſterent. Erant Turcarum 30 circiter millia, cum chriſtiani quatuor millium, & trecentorum numerum non excederent, proinde cum im-

par omnino conflictus videretur, ne a tanta hominum multitudine pauciores circumvenirentur, carris ſe noſtri, ac plauſtris more Schytico circumdant, ſe ſeque mutuo cohortantur, ut ſimul ac tormenta explodi a barbaris viderent, ad evitandos ictus humi confeſtim procumberent. Dato igitur pugnæ ſigno, tanto noſtri impetu in barbaros incurrere, ut primo ſtatim conatu eos propellerent, ſeu quod revera hoſtes ita ſentirent, ſeu quod ſimulata fuga ad tormenta eos pertraherent. Itaque tormentis exploſis, inclamant Ungari, cedendum parumper barbaris, dum tormenta exonerentur, atque intra munitionem carrorum recurrendum, ne ab iis abſtracti, circumvenirentur. Dum hoc Ungari faciunt, Raſciani, & Valachi, quos in poſtrema ſtatione poſitos, diximus, rati rem jam in fuga conſiſtere, terga protinus dant, & in pedes conjiciunt. Id ubi barbari conſpexerunt, acerrimo ſtatim impetu in noſtros ſe ſe inferunt, eosque fortiſſime reſiſtentes, fundunt, atque fugant. Ita ceſis omnibus viris, quicunque deprehenſi ſunt, fæminis autem, ac pueris maximo numero in ſervitutem abductis, vix ex tanto numero trecenti evaſerunt, qui documento ceteris eſſent, ne temere arma contra valentiores ſub incerta ſpe auxiliorum ſummerent.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIORUM DE REBUS UNGARICIS DECADIS DECIMÆ

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Tartarorum tranſitu per finem Tranſylvaniæ, & ad Sinanum in Ungariam adventu.

Interim, dum hæc aguntur, Chereius Tartarorum Chamus (ita ipſi Imperatorem ſuum vocitant) continuis Cæſaris Turcici, ac Sinani Baſſæ ſollicitationibus illectus, coactis octuaginta circiter millibus hominum in Moldaviam venit, hoc conſilio, ut captata ibi occaſione, per Tranſylvaniam iter faciendo, in Ungariam evadere, ibique ſe Sinani copiis conjugere poſſet. Quæ cum Principi Sigismundo innotuiſſent, coactis confeſtim copiis fines Regni undique muniit, & ita cuſtodias undique diſpoſuit, ut non facile in Regionem, & natura munitam, & exercitibus jam firmatam, hoſtes irrumpere poſſe, crederentur. Id ubi Tartari per exploratores cognovere, poſtquam Palatinum Moldavorum, nec precibus evocare ad ſe, circumvenireque potuiſſent, omnia quidem illo ad victum ne-

Digitized by Google

ceſſaria ſuppeditante, ſed tamen inſidias eorum attentiſſime interim devitante, in Confinibus Poloniæ, ac Daciæ per alpes montis Carpatii, Huztinum verſus ex iis emerſerunt, tam arduis Salebroſisque itineribus, ut niſi ea, de qua in ſequentibus dicemus, diſcordia Principem, ac Proceres diſtraxiſſet, nemini omnino poſſet eſſe dubium, quin facillimo negotio, in iisdem alpibus ad unum omnes circumveniri, cædique Barbari potuiſſent. Emergentibus, & præter ſpem quoque ſuam evadentibus iis, ex illa alpium difficultate, Huſztinoque oppido Marmaruſiæ appropinquantibus, Caſpar Kornis Præfectus Arcis Huztienſis, cum ſubitaria ſtatim militum manu occurrit, & cum primo in eos impetu facto, antecurſores eorum profligaſſet, poſtea concurrentibus undique Barbaris, & univerſo ex alpibus exercitu emergente, fuſus, atque fugatus, vix, multis ſuorum amiſſis, in Arcem ſe recipere potuit. Inde miſſo poſtea ſtatim nuncio, ſex equos jugales cum curru aliaque tempori, ac moribus Barbarorum accommodata munera Chamo offert, eumque vehementer orat, ut quoniam hæc provincia ſub tutela Cæſaris eſſet, cui & ipſi operam ſuam navarent, parcerent incolis terræ, ſeque in fines Ungariæ ditionesque hoſtium conferrent. Paruere Barbari poſtulatis, maxime hoc conſilio, ne Tranſylvanos in tam alieno tempore a Cæſaris Imperio abalienarent, indeque paucis omnino illatis detrimentis Meggieſinum, quod vocant auratum, in ditionem Ungaricam irruperunt. Inde longe, lateque diſperſis equitum alis, cum ipſe Chamus cum ſelectiſſima exercitus parte, in medio ſe fortiſſimorum militum continens, rectum iter tenderet. Echiedinum verſus, indeque inter Kalloum, & Debreczinum in fines Tur-

cicæ

cicæ jurisdictionis incolumis, paucis amiſſis, evaſere. Inaudiverant quidem Proceres Ungariæ, ingentem Tartarorum multitudinem ex Moldavia adverſus ſe adventare, ſed Principis Tranſylvani promiſſis confiſi, nequaquam credebánt fieri poſſe, ut traſitus ipſis per Tranſylvaniæ fines concederetur. Sed cum illa inter Principem, & Conſiliarios contentio exarſiſſet, ingenti cum Principis, ac bonorum omnium dolore factum tunc fuit, ut Barbari, Ungaris nec opinantibus, ex improviſo ſupervenerint. Nunciaverat tandem Korniſius, Stephano Bathoreo per celerrimos Tabellarios, ut quoniam proditione nonnullorum Tartari in fines Ungariæ evaſiſſent, mature ſibi, ac ſuis, ne imparati a rabioſa Gente opprimerentur, conſulerent. Is cum non pridem ſoluta obſidione Hatvanienſi, una cum aliis proceribus exercitum, quem habuerat, dimiſiſſet, ignarus in tanta temporis anguſtia, quid facto opus eſſet, collectis tamen undiquaque ſubitariis copiis, & præmiſſo ad explorandas hoſtium vires, accerſendaque ex compoſito Varadienſium auxilia, Franciſco Balaſſio, juvene jam in militia exercitatiſſimo, Barbaris omnino occurrere ſtatuit. Balaſſius excelſo animo in antecurſores Tartarorum, cum ſuis invectus, cum nec Thoracem nec Galeam haberet, a Barbaris circumventus, ac nimbis ſagittarum confectus, magno ſui deſiderio, apud omnes relicto, interiit, ac vix corpus ejus a ſuis aſportari potuit. Qua re cognita, multitudineque hoſtium animadverſa, Stephanus quoque Bathoreus, non appellentibus commodo tempore, tribus Cataphractorum millibus, quos Tiffenbachius, Caſſovia ipſi ſubſidio miſerat, multis id ſuadentibus, non duxit neceſſarium, temere ſe illis objicere. Ita Barbari tot gentium, Regnorumque

 Prin-

Principibus miſere deceptis, Thurinum primo, deinde ulterius progreſſi, Sinani ſe copiis conjunxerunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Tartarurum Origine, ac Moribus.

Sed antequam ulterius in hac narratione progrediamur, haud abs re fortaſſis fuerit, pauca de Tartarorum Origine, ac moribus dicere. Tartaros ex Scythia oriundos, haud immerito credimus, ex colonia earum Gentium prognatos eſſe, quas inter montes Caſpios, dupplici quondam porta Alexander Magnus occluſerat. Hi propriis ſedibus eggreſſi, Georgianam imprimis, montibus Caſpiis finitimam, mox Armeniam majorem vaſtarunt, & ſub jugum miſerunt, Perſas incurſarunt, & Aſiam late populati, varias Regiones ſuo Imperio ſubjecerunt, adeo, ut jam ingenti hominum multitudine, ac inaudita immanitate, non tantum Chriſtianis omnibus Populis, ſed ipſis etiam Turcis terrori quandoque eſſe conſueverint. Homines ſunt infauſto, truculentoque aſpectu, maxima ex parte ſtatura brevi, grandibus, bonisque capitibus, craſſis oculis, & quos palbebræ late contegentes, parvos oſtendunt, item naſo, fronte, facieque, lata cervicibus obæſis, imberbes, ut plurimum, ac raris in ſuperiore labro, & mento barbis, ad umbilicum anguſti, ſed lateribus latis, capita ex transverſo, ad utra usque tempora radentes præter verticem, longosque capillos ad aurem usque demittentes, inſuper craſſo quidem, ſed tamen agili corpore, brevibusque tibiis, ac cruribus, a pueris equitare, ſagitareque docti, nunquam fere

pedi-

pedibus gradiuntur. Dum iter faciunt, etiam Bobus equitant, Haniaxobiarumque more pro domibus currus pellibus opertos habent., nunquam fere gradatim incedunt, ſed aut tardiſſime, aut præcipitanter, oratione utentes tumultuaria, ac clamoſa, venatores optimi, & certiſſimi ſagittatores, feras loco motas præſefugant, mox in Choreæ ſpeciem actas, telis veluti ludentes, confodiunt. His equi ſunt dociles, & externa quidem ſpecie macilenti, ſed, ſupra quam cuiquam credibile ſit, veloces, & robuſti, qui hordeo paſcuntur, neque ferreis ſoleis pedes muniuntur, Exempla ſuppliciorum divinitus gentibus immiſſorum. Magna ipſorum pecorum copia, quando ſola carne equina, vel bovina, vel etiam quandoque humana contenti, tam vino, quam frumento facile carere poſſunt. Carne ſemicocta pro cibo, jure ejus pro potu utentes, nam equinum ſanguinem in deliciis habent, lacte tamen, & milio, pulmentoque delicatiores utuntur. Religionem cum Turcis communem habent, ac unus quisque Dei fidem ſe colere dictitant, ſed nulla cum Religione laude, ac oratione proſequuntur, idola quædam a ſe formata venerantur, Chamum ſeu Regem ſuum Dei filium agnoſcunt, ſomnia obſervant, vagos, & Veneficos colunt, dæmones in idolis reſponſa reddentes adorant, omne genus ſcelerum impune perpetrant. Sunt etiam effeminatæ, inauditæque libidinis, quippe, qui non modo in maribus, & fæminis, ſed ne in Beſtiis quidem ſuum furorem explere queant, belluæ magis, ac monſtra, quam homines, more Turcico plures uxores habent, a matre, & ſorore tantum humaniores abſtinent, reliquos cognationis gradus pro nihilo ducunt. Præterea usque adeo immanes, ut nec ſenes reverean-

tur,

tur, nec infantes miſereantur, ſanguinem humanum æque, ac aquam haurire non formidant, cœdibus exultant, hoſtium alios e rupibus dant præcipites, alios poſitis ſupra collum ſaxis, collidunt, plerisque deliteſcentibus, cum telo transverberant, proſilientemque inde cruorem ſugunt, capita cæſis non amputant, ſed gutture, ventroque læthaliter vulnerato aures, vel nares cordaque execta in teſtimonium victorum a ſe hoſtium ſecum aſportant, ſunt ad hæc aſtu, ac perfidia plus quam punica, & barbara, nam cum aliquod Oppidum obſident blandiuntur, mirum in modum Oppidanis, eosque ad deditionem hortantur, multaque iis pollicentur, mox voti compotes facti, promiſſis non ſervatis, captos omnes ad unum partim cœdunt, parrim in diram ſervitutem redigunt. Itaque dolo magis, quam viribus dimicant, & in certamen deſcenſuri, pernices quosdam equites præmittunt, qui nihil rapiunt, cœduntque pecora, obvios duntaxat quosque obtruncant, aut fugant, poſt hos immittunt alios, qui prædas agant, & tamquam canes ſagaces miris artibus miſeros homines inquirant.

Proſpectis hoſtibus multi ex agmine prodeunt, qui ubi ad congreſſum venere, jactis tribus, quatuorve telis protinus ad ſuos regrediuntur, ut ad poſitas inſidias eos alliciant, id ubi factum eos confeſtim circumveniunt, ac obtruncant. Si magnum adverſus ſe exercitum conſpicantur, declinata pugna, triduo retrocedunt, & aliam Regionem aggreſſu diripiunt, in munitiſſimis quandoque locis, usque adeo morantur, ut furtim, & ex improviſo incautum, vel diviſum exercitum hoſtium adoriantur. Principes eorum in pugnam non deſcendunt, ſed procul inter pueros, ac fæminas in equis prælia

ſuo-

ſuorum ſpectant. Quandoque etiam, ut major copiarum numerus appareat, humana equis ſimulacra imponunt. Hoſti fortiſſime pugnanti fugæ viam patefaciunt, & tam averſi, quam adverſi æque tela in hoſtes conjiciunt, cum aliquam invaſuri ſunt Regionem, antequam ad illam perveniant, latiſſimum agmen faciunt, ubi vero ad fines ejus appulſum eſt, noctu montes, qui circacircum ſunt, diſpoſitis equitibus occupant, mox illuceſcente die pernices equites ad campos emittunt, qui paſſim cuncta ferro, flammaque miſceant, ita homines citato tumultu, dum ad Sylvas properant, & ſibi quisque conſulit, in inſidias incidunt, cæduntur que; ſæpenumero ſtrenuos nacti hoſtes fugiunt, fugaque facta, poſt ſe eos alliciunt, demum longo curſu defatigatos, ſubito converſi, adoriuntur. Non raro etiam depreſſi in prælio ex induſtria, ut hoſtem admittant, mox admiſſum in ſibillum coacti circumveniunt, quacunque iter faciunt, dira confeſtim fames ubique conſequitur. Nam propter fruſtulum carnis vivum mactare bovem non dubitant, ceterum quos auffere nequeunt, perinde ut homines capite truncant. Victu uti jam dictum eſt, tam fœdo utuntur, ut pediculos, mulas, canes, feles, lac præ ceteris, & ſanguinem equinum, humanasque carnes, maxime inimicorum avide comedunt. In Cumano quidem bello cum multos captivos haberent, omnes decimarunt, decimatosque percupide devorarunt, ſed & in penultimo eorum eggreſſu, dum Tokaium obſiderent, humanas, invitatis tam Turcis, quam Chriſtianis, appoſitas ad veſcendum carnes, ab oculatis teſtibus accepimus. Patinas habent, & ollas æreas, easque ſecum ſemper geſtant, ſed nunquam purgant, ut qui ſordibus magis delectentur, quam eas abominen-

nentur, habitu utuntur nigro genutenus, quo nec brachia, nec latera, nec pectus, neque reliqua pars ſupra, infraque umbilicum tegitur. Induſiis plerique carent, & niſi ſummum frigus impediat, nudi quandoque incedere non erubeſcunt. Pileis utuntur variis, maxime tamen in mytræ ſpeciem, corio, laminaque ferrea brachia muniunt, potiores tamen galeas e corio fingunt, pauci lanceis, ac ſcutis, frameisque abundant, arcui tantum, ac equeſtri pernicitati confidunt. Siquis e plebe læthali morbo afficiatur, in ejus ſtationem haſta defigitur, pileo nigro præfixo, eo viſo intrat nemo, ſed clam vita functus ſepelitur, in ſepulchro ejus, ſi occaſio, ſuo ipſos more uti permittat, menſam ante illum, ſciphum equini lactis, & carnis alveolum ſtatuunt, quibus adjiciunt jumentum cum pullo, & phaleratum equum. His confectis, jumentum illud comedunt, ejusque corium ſtramine completum in patibulo ſuſpendunt, comeſtique equi oſſa comburunt, ſiquis eminentioris fortunæ vita exceſſerit, cum precioſiſſimo habitu humi etiam reconditur, trigintaque diebus lugetur, Principes antequam exſpirent, ſervum deligunt, quem ſecum vivum ſepeliendum curant, ita non tantum vivi, ſed & mortui diriſſimæ immanitatis laude delectantur.

CAPUT TERTIUM.

De horrenda Tartarorum immanitate, quam in hac recenti expeditione perpetrarunt.

Quatvor jam expeditiones in Ungariam ab immani Tartarorum gente ſuſceptas fuiſſe, ex hiſtoriis com-

compertum habemus. Primam irruptionem huc fecere regnante Bela quarto, quem etiam, vaſtata prius crudeliſſime tota regione, ad inſulas maris Adriatici expullere. Inde poſtea Rex, poſtquam exacto in Ungaria triennio, fædiſſimi hoſtes abſceſſiſſent, auxilio Rhodianorum, crucigerorum, & Frangepanum comitum in priſtinam dignitatem reſtitutus. Alter eorum ingreſſus incidit in tempora Ladislai quarti, qui Stephani quinti filius fuit, quando Tartari totam regionem longe, lateque ad Peſtinum usque, direptionibus, ac incendiis abſumpſerunt, & anno deinde, poſtquam irrupſiſſent, ſequenti, ingentibus cum ſpoliis, eo, unde venerant, redierunt. Tertium eorum bellum adverſus Ungariam exſtitit memoria patrum noſtrorum, quo tempore Solymanni Cæſaris authoritate exciti, partes ſuperioris Ungariæ ultra, citraque Tybiscum late diſcurſarunt, prædas abegerunt, & innumera utriusque ſexus multitudine hominum in triſtiſſimam ſervitutem abducta, poſtquam Solymannus Sigetho, Gyulaque potitus, e rebus humanis exceſſiſſet, in Schytiam abſceſſere. Anno poſthæc nono, & vigeſimo, cum multi adhuc ſupereſſent, e Tartaris, qui diram illam Ungariæ devaſtationem deguſtarant, vel ut manumiſſionem e ſervitute impetrarent, abjurata Chriſtiana religione, Mahumethanam amplexi fuerant. Sollicitationibus Cæſaris Amurathis, ac Sinani Baſſæ non difficulter eo ſe impelli paſſi ſunt, ut quartam, & utinam poſtremam in Ungariam martialis ludi aleam ſuſciperent, expeditionem eo conatu, & quaſi ſecum ipſi certaturi, & ſuperiorum temporum crudelitatem, inaudita diritate ſuperaturi, talia facinora ederent, qualia ne fando quidem mortales audiviſſent. Ut tamen documento ſit Chriſtianis Principibus, cum qualibus

libus non dico hominibus, ſed monſtris, ac belluis teterrimis negotium ſit ipſis, viſum eſt hoc loco unum atque alterum, inauditæ crudelitatis eorum exemplum in vulgus edere, ut iis jam tandem chriſtiani expergefacti, diſcant unanimi conſenſu bellum in barbaros ſuſcipere. Ludus fuit ipſis, ac jocus infantes in aera projectos, diſſecare, vel palis vagientes cervicetenus affigere. Nulli propemodum viro, vel etiam provectioribus ætate fæminis pepercere, ſed omnes ſine ullo ætatis, aut ſexus diſcrimine crudeliter mactavere. Virgines tamen, ac ſelectiores matronas, quas vel aliqua forma inſignior, vel ætas florida commendaret, ad inauditam libidinem explendam, reſervarunt, qua usque adeo, plerasque earum humi religatas, promiſcue excruciarunt, ut mortem propter id dedecus complures earum obierint. Immaturas virgines, ac pueros crudeliſſima, eaque nefanda venere, enecatos, paſſim, in viis abjecerunt. Coram viris uxores, & parentibus filias incæſtare pro voluptate duxerunt. Diſcumbentibus ad cibum ſummendum, vincti crudeliſſime captivi menſarum, ſediliumque vicem præbuerunt. Effoſos in cæmeteriis mortuos transfigere, & in eruta prædæ ſtudio cadavera ſævire volupe illis fuit. Boves anteriore, & poſteriore parte excoriatos, & ſuis eorum crudis tergoribus colligatos: captivas item fæminas, ac virgines detractis ad opprobrium veſtibus concatenatas pecorum inſtar ante ſe nudas, & flagris Tartareis, ubi præ laſſitudine ire non poſſent, immaniſſime cæſas egerunt. Sitientes præ mœrore, laboribusque pueros, ac virgines equino lacte potavere. Eſurientes ſemicocta carne equina cibavere. Prægnantes mulieres, una cum immaturis partibus diſſecuere, ut

ſitum

ſitum eorum in utero materno ſpectarent, & hujus diriſſimæ anatomiæ ſpectaculi oculos exultabundi paſcerent. Horret animus cogitare, & pudet me reliqua inauditæ immanitatis genera, quæ nos ipſi pene oculis noſtris, hac triſtiſſima tempeſtate conſpeximus, vel certe ab oculatis teſtibus accepimus, ſingillatim recenſere, quando quæcunque crudelitatis facinora, vel Buſyridis, vel Lycaonis, vel Phalaridis, a veteribus decantata cum his conferantur, ne minima quidem ex parte ea æquare poſſint, nimirum hæc omnia crudelitatis monumenta, quæcunque unquam usque fuerint, ſine controverſia ſuperarunt. Tales ſunt adverſarii, tales hoſtes noſtri, quos chriſtiani, dum inter ſe diggladiantur, in ſinus ſuos excipiunt, & ad petendas cervices admittunt.

CAPUT QUARTUM.

Qua ratione & quo pacto Tranſylvani a Turcico Imperio deſciverint.

Sed ut jam ad ſeriem ipſius hiſtoriæ redeamus, dicendum imprimis videtur, quam ob cauſam, & quomodo Tranſylvani a Turcico Imperio ſub cujus tutela pacatum regni ſtatum 30 circiter annis tenuerunt, deſciverint, & Moldaviam, juxta ac Transalpinam, ab obedientia Turcica abduxerint. Igitur poſtquam Georgius Ravazdius, qui Principis Tranſylvani nomine Conſtantinopolim profectus fuerat, tandem inde reverſus, & Alibegus eundem ſubſecutus, uti ſupra demonſtratum eſt, copioſa oratione Principi, atque conſiliariis expoſuiſſent, omnes Si-

nani

nani conatus ad deletionem Tranſylvanorum intendi, idemque barbarorum nonnulli, quos ex animis fideles jam pridem Tranſylvanis fuiſſe, multis argumentis cognitum antea ſæpenumero fuit, literis occultiſſime datis, ad Principem inſtantiſſime confirmaſſent: re ſecum diu, multumque deliberata, cum & ſuum, & patriæ periculum præ foribus adeſſe videret, cœpit tandem Princeps a Turcico fœdere magis, atque magis alienus eſſe. Id cum iis, quos ob ſingularem prudentiam, ac rerum experientiam a conſiliis habebat, data occaſione expoſuiſſet, & quid in tanto rerum diſcrimine jam facto opus eſſet, cum iisdem ſæpe tam privatim, quam publice in ipſo conſilio disquireret. Ecce quam commodiſſime ſupervenerunt legati Pontificis Maximi, Archiducis Auſtriæ, & Proregis Ungariæ inferioris, quibus omnibus, ut de hac ipſa re cum Principe agerent, propoſitum idem unumque fuit. Iis cum ſenatus, poſtulantibus, ſecreto ac ſingulatim datus fuiſſet, cæpere pluribus verbis Principi, ac toti conſilio oſtendere, quomodo barbari contra jus, fasque imprimis Ungariam, deinde per fata ejus univerſum chriſtianum orbem, ſub immaniſſimæ tyrannidis jugum mittere ſtatuerint. Quamvis autem Tranſylvania ipſa multis jam annis Imperio Turcico affixa, mediocrem pacem, ac tranquilitatem habuerit: conſtare tamen omnibus, quod nec ipſos Tranſylvanos lateret, quam dirum Sinanus propoſitum ex præſcripto, ac conſenſu ipſiusmet Cæſaris animum Ungariam dehinc Tranſylvaniam ipſam atque adeo totum chriſtianum orbem tyrannidi ſuæ ſubjiciendi ſuſceperit. Quibus omnibus ſatis ſuperque conſideratis, ſtatuimus inquiunt, conjunctis viribus, ac conſiliis arma contra juratos chriſtiani nominis ho-

hoſtes ſummere, ac ſacram more majorum noſtrorum expeditionem ſuſcipere. Proinde cum & vos ejusdem gentis, ejusdem religionis, ejusdem denique periculi ſocietas nobis obſtringat, antequam quicquam moliremur, voluimus vos tantorum principum, atque adeo totius chriſtiani orbis nomine, ſerio monere, ut perſpecto extremo, quod vobis juxta, ac nobis immineret, diſcrimine, in ſocietatem ſacri hujus belli, contra publicos communesque hoſtes, ſponte vos nobis conjungeretis. Audita hac legatorum oratione, honorifice Princeps eos habitos, bona ut decebat, cum ſpe à ſe dimiſit. Ne tamen quicquam ſine conſiliis eorum, quorum prudentia feliciter tamdiu provinciam adminiſtraſſet, agere videretur, conventum indicit Albam Juliam, non generalem, neque ſolito modo partialem, ſed talem, in quo duodecim conſiliarii, comites item, & barones fere omnes, & viri aliquot illuſtres adeſſent. Illis ubi jam conveniſſent, per Volffgangum Kovaciocium, hominem prudentem, pariter ac ſapientia, facundiaque ſingulariter excellentem, tria potiſſimum deliberationis capita proponit, quo in ſtatu, cardineque Reſpublica verſaretur, quid propoſiti Sinanus de occupanda provincia haberet; poſtremo quid Pontifex Romanus, Mathias Archidux, & Proceres Ungariæ à Principe, atque adeo ab ipſis Tranſylvanis poſtulent. Reſponſum eſt à conſilio Principi, hanc rem, de qua conſulendum foret, quoniam tanti eſſet momenti, nequaquam ſtatim decidendam eſſe, ſed interponendum aliquid ſpatiii, quo diligentius de ea, ii, quorum intereſſet, cogitarent. Nam & priusquam incipias conſulto, & ubi conſulueris, mature facto opus eſſe, deliberandumque diu, quod ſemel ſtatui debeat

Poſt multa igitur procerum colloquia, & habitos ultro, citroque ſermones, deliberatio tandem dilata eſt ad conventum generalem, quem Albam iterum Juliam coegit.

CAPUT QUINTUM.

De oratione Principis Sigismundi ad Provinciales, eorumque ad eam reſponſio.

Poſtquam igitur Albæ ad præſtitutum diem tota ferme nobilitas coiit, Princeps non in ſummo templo, quod ibi Michaeli Archangelo ſacrum, a Joanne Corvino fuit ædificatum, quo in loco antea generale conſilium haberi conſueverat, ſed in ipſa aula voluit conventum peragere. Eo ubi cuncti ordines convenere, Princeps primum per Volffgangum Kovaciocium cancellarium, cœpit tria illa capita prioris orationis altius enumerare, & propoſitum deſciſcendi a Turcis ſenſim hominibus inculcare. Sed cum animadvertiſſet cunctantius omnes ordines, ſuis poſtulatis reſpondere, coram ſibi hanc rem, ſerioque agendam ratus, foras in conſpectum nobilitatis, quæ in exterius, majusque aulæ palatium, convocata fuerat, præſenti animo prodiit, & univerſos in concionem evocando, circumſtantibus detra levaque ſummis conſiliariis, Stephano, & Balthaſare Bathoreis, Alexandro & Franciſco Kendiis, Franciſco Geſztio, Stephano Bochkaio, Volffgango Kovaciocio, Pancratio, Sennieio, Georgio Vaſſ, & ceteris, quos omnes recenſere non eſt neceſſarium, orationem ſumma cum omnium attentione talem exorſus eſt. Non ſum inquit neſcius, proceres, quomodo me, tenera imbecillique ætate mea nequa-

quam

quam contempta, in Principem hujus provinciæ elegeritis, hoc proculdubio fine, ut chariſſima provincia noſtra fideli gubernatione, ac diligentiſſima adminiſtratione mea, contra tot tantorumque hoſtium inſultus, ſarta tectaque conſervaretur. Id me ſemper habuiſſe propoſiti, ac etiamnum habere, teſtor ipſum Deum, cujus gratia, ac bonitate tot jam annos gubernaculis hujus provinciæ fideliter præſideo. Verum enim vero pro ea ego cura, ac ſollicitudine, quam erga patriam dies, atque noctes gero, ex multis, iisque certiſſimis indiciis cognovi, omnes Barbarorum conatus, atque machinationes in deletionem patriæ noſtræ regionis tendere: quod ita ſtatutum eſſe, ac firmiſſime ab eis decretum, omnes ſibi tam certo perſvadeant, ut nec precibus ullis, nec omni opum noſtrarum effuſione, totiusque Regni gaza immutare unquam illud queamus. Quæ cum ita ſint, mearum eſſe partium exiſtimavi, hoc tempore, periculum hoc patriæ publice omnibus ſignificcare, & ad deliberandum proponere, ut univerſi mecum ſingillatim de communi ſalute ſua conſilia communicent, ſuffragiaque libera ad me deferant. Quod ſi certis rationibus, firmiſſimisque argumentis demonſtrare, perſvadereque ſingulis potuero, propoſitum meum eſſe neceſſarium, æquum erit omnes, depoſita pertinacia, pedibus in meam ſententiam contendere. Sin vero minus, profiteor me nemini hoc nomine vim illaturum, ſed majoris, melioriſve partis conſilia etiam hac in re libenter ſecuturum eſſe. Nemo, ut quidem mea fert opinio, plura a me jure ipſo ſperare poſſet, quam quæ pro ratione mei muneris, quo divinitus dato fungor, præſtare teneor, nec plura de me polliceri velim, quam quæ debeo.

Illud ſancta fide teſtor, ea me erga patriam charitate animatum eſſe, ſemperque, dum vixero, fore, ut mortem, juxta atque vitam communem mihi vobiſcum, ac cum patria cui natus ſum, ſemper eſſe velim, atque cupiam. Quid enim glorioſius unquam ſalutariusque principibus etiam apud ſeram poſteritatem eſſe poſſet, quam pro aris, ac focis, pro lege, & pro grege, pro religione, atque Deo ipſo, ejusque Gloriæ patrocinio, ſi neceſſitas ita tulerit, vitam profundere. Equidem tamdiu velim eſſe ſuperſtes, donec patriam video ſuperſtitem, ac bonis legibus, libertateque florentem: ea perdita, quis ſanæ mentis cupiat, etiamſi maxime poſſit, vitam miſeram, ac deformem agere. Sed non eſt tamen, quod de ſalute Regni noſtri prorſus deſperemus, animosque deſpondeamus. En hoc tempore Chriſtianus orbis, qui jam facto fœdere, unanimi conſenſu arma contra ſæviſſimum Tyrannum ſumpturus eſt, ſponte nobis auxilia, atque Patrocinium pollicetur, nosque in ſocietatem ſacri hujus belli ſollicite invitat. Quid ſi hanc occaſionem amiſerimus, juratisque Chriſtiani nominis hoſtibus potius, quam Chriſtianis, ac Fratribus noſtris, quos eadem Religionis, morum, patriæ, atque cognationis ſocietas nobis conjunxit, adhæſerimus, videte etiam atque etiam, ne pertinacia, atque mutuis ſimultatibus in eam fortunam deveniamus, ut quod nunc Chriſtianus orbis, ſponte nobis ad defenſionem, ac ſalutem Patriæ noſtræ amanter offert, id impoſterum inanibus lacrymis, ac precibus ſero tandem, ac irrito conatu ab eo petere cogamur. Me quidem eum ſemper principem habebitis, qui & vivere vobiſcum, & mori quandocunque neceſſitas ita tulerit, paratiſſimus ſit. Habuit hanc orationem prin-

princeps magna cum omnium admiratione, & attentione adeo, ut cum nunquam antea publice locutus fuiſſet, multis tunc cordatis hominibus, partim facunda ſermonis nativi, latinique gratia, partim veneranda quadam vultus alacritate, lacrymas præ tacito gaudio excuſſerit. Poſtquam igitur hæc, atque his ſimilia alia, maximo cum omnium in ſe ordinum amore in medium gravi, eaque continua oratione protuliſſet. Proceres pro tanta ejus in patriam cura, ac paterna affectione gratias ei ſingulares egere, & quoniam tanti momenti eſſet hæc deliberatio, tempus in medium conſulendi, petivere ſimul, ac impetravere. Ita principe in interiora ſe palatia recipiente, ſua quisque diverſoria petivere, eumque diem ſeriis deliberationibus transegere. Poſtero die collatis ſententiis, convocatisque conſiliis reſponderunt ordines Regni, eodem convocati, per Joannem Forró, nequaquam id e dignitate, neque principis fore, ut omnes ſingillatim, quotquot ſint nobilium cum eo diſputent, verum conſtare ſibi, quod princeps habeat ſecum ſapientes, uſuque rerum exercitatiſſimos conſiliarios. Proinde quicquid cum iis Principalis Majeſtas componeret, atque communicatis conſiliis concluderet, quod quidem ad publicam patriæ ſalutem faceret, ei ſe univerſos, ac ſingulos ſummo conſenſu ceſſuros, atque ſubſcripturos eſſe. Ita Conventu ſoluto, quisque ad ſua dimiſsi fuere.

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

De Comitiis armatis Sabeſienſibus, & Thordenſibus.

Poſtquam comitia fuerunt ſoluta, & aliquot quieti, apparatuique dies conceſſi, vix duæ, tresve hebdomadæ tranſierant, cum ecce princeps ſeveriſſimum in omnes partes provinciæ edictum promulgat, uti omnes ordines armati, in campis Sabeſienſibus, uno ab Alba Julia milliari diſſitis conveniant, partim ut ſi neceſſitas ita ferret, obviam hoſtibus iri poſſet, partim vero, ut quid in tantis rerum motibus facto opus ſit, ulterius conſultaretur. Turca enim cognito jam principis per exploratores animo, cæperat rurſus eum artibus circumvenire, & adulationibus ad tædium usque, atque nauſeam demulcere. Eo ubi omnes conveniſſent, & aliquot dierum princeps cum conſiliariis diſceptationem habuiſſet, primus Balthaſar Bathoreus quorundam inſtinctu in transverſum actus, tentoria ſua diripi, aſportarique juſſit, omnibus cordatioribus ex eo colligentibus fore, ut triſtiſſima inde diſcordiarum ſemina exurgerent. Interim nunciis, ac variis ſubinde rumoribus affertur. Chereium Tartarorum Chamum, cum ingenti hominum multitudine Huztinum verſus tendere, diramque toti provinciæ ruinam minitari. Exhorruere omnium animi, & cum conſiliarios non per omnia cum principe conſentire, animadverteretur, eo magis etiam, ex rumore maximopere veriti, ne truculentus hoſtis hac occaſione uſus, in Provinciam irrumperet, omniaque ferro, atque flammis abſummeret, Hæc cum omnium oculis

lis obverſarentur, omniaque turbarum, atque confuſionum plena eſſent, placuit ex Sabeſienſibus Comitiis omnes armatos Thordam proficiſci, ibique in campis libera comitia haberi, cum ut facilius inde, ſi ita neceſſitas poſtularet, occurri Tartaris poſſet, tum vero, ut nova de iis, quæ nondum componi ex omnium votis potuerant, rebus, deliberatio inſtitueretur. Eo ubi rurſus convenerunt, neſcio quorum inſtinctu cæpere animi nonnullorum ex proceribus a Chriſtiano fœdere, prioribusque conſultis ad Turcarum favorem propendere. Id ſimul ac princeps Albæ cognovit, & ſiniſtra quorundam de ſe, rejectis prioribus ſtatutis, nova ſibi conſilia ii potiſſimum cepiſſent, quorum authoritate tum alia omnia, tum etiam has ipſas res molitus fuiſſet, noluit Thordam proficiſci, quoniam cuncti ordines armati convenerant, ſed Kövarinum verſus diſceſſit, Balthaſarique Bathoreo mandavit, ut omnia, nomine ſummi, ut vocant generalis, ſe abſente, adminiſtraret. Is edicto promulgato, ut univerſi ſe Claudiopolim conferrent, ipſe quoque illuc cum præcipuis quibusque proceribus profectus, comitia non in campis, ſed in ipſa urbe haberi voluit.

CAPUT SEPTIMUM.

De Principis ad ordines Regni literis ejusdemque Claudiopolim in comitia adventu.

Princeps cum paucis Familiaribus iter Kövarinum verſus ingreſſus, nequid præter decorum dignitatis ſuæ videretur facere. Kapliano patentia ad omnes Regni ordines diplomata promulgavit, in quibus nul-

ſam aliam eſſe cauſam demonſtrat, ob quam Thorđam in generalem conventum, uti ex S. C. ſtatutum erat, non venerit, quam quod certo cognoverit, priora de rejiciendo fœdere Turcico, novoque cum Chriſtianis ſanciendo ſtatuta deliberataque ab iis immutata rurſus eſſe. Proinde viderent etiam atque etiam, quid agerent, & cur a prioribus conſiliis deſciſcerent, bene perpenderent. Quod ſi enim Barbaris rurſus Chriſtianique nominis hoſtibus adhæreſcerent, & quæ ſemel communi conſilio ſtatuiſſent, rurſus ea reſcindenda judicarent, ejus ſe rei auctorem unquam, nec fautorem futurum, neque etiam in comitia eorum venturum omnino eſſe. His literis in conventu lectis, mira protinus animorum mutatio ſecuta eſt, & multorum ſententiæ in diverſa abiere. Nonnulli enim præſertim præcipuorum, id ordinibus Regni ſuadebant, ut quoniam Princeps inconſulto diſceſſit, iret, quo vellet, eique alius ſubſtitueretur. Cum hæc, & multa alia his non abſimilia, quæ non neceſſe duximus omnia commemorare, a præcipuorum nonnullis palam dicerentur; tota fere nobilitas, cum Siculis, ac Saxonibus uno ore conclamat: Principem confeſtim eſſe revocandum, eo comitiis præſidente, de rebus omnibus deliberandum tandem, ſtatuendumque eſſe. Non enim ſe ſe alium unquam eo vivo principem agnituros, nec quicquam niſi eo reverſo in publicum conſulturos eſſe. Terruit is conſenſus ordinum multos, eosque præcipuos, dum reverſi Principis vererentur indignationem. Verum tamen quia ſæpe vox populi, vox Dei eſt, tandem omnium ordinum conſenſu coacti, aſſenſere iis, communicatisque conſiliis, quatuor viros ex omni ordine elegere, qui principem reducerent. Ii fuere

Ga-

Gabriel Kendi, Balthaſar Bogati, Joannes Siger, Albertus Suegh, qui omnes eo profecti, Principi perſuaſerunt, ut veniret in conventum, ibique præſens, de rebus omnibus, quicquid in publicam Regni ſalutem cedere videretur, pro arbitrio, ac poteſtate, quam divinitus datam haberet, concluderet. His aſſenſit, & conſilio Franciſci Gezty, ac Stephani Bochkai, qui duo feſtinantiſſime illum inſecuti, ſingularem ei fidem præſtiterant, uſus, patræque opem laboranti ferre cupiens, Ujvarinum primum venit. Ibi occurrunt ei primores ordinum, quos, omnes comiter appellatos, plerosque bonæ ſpei a ſe dimiſit. Mox literis inde in comitia miſſis moram adventus ſui excuſat, ſeque paulo poſt ad eos venturum pollicetur. Id ubi ordines Regni cognoverunt, ingenti omnes lætitia perfuſi, tamquam Patrem Patriæ accepturi, obviam Principi adventanti gratulatum effunduntur, eumque frequentiſſima hominum multitudine ſtipatum, honorificentiſſime ſummo cum omnium gaudio exceptum, in diverſorium deducunt.

CAPUT OCTAVUM.

De renovato deſciſcendi a Turcis decreto, captisque, ac interfectis nonnullis Magnatibus.

Ibi poſtquam ſe jam in tuto poſitum videt, quamvis acceptæ injuriæ altius animo, quam credi potuit, inſederant, nequaquam tamen in vindictam protinus erumpendum ratus, ingenti animo iracundia diſſimulata, ne extrema ii, quibus ſuccenſebat, deſperatione correpti, aliquid obſtinacius molirentur,

ſingu-

ſingularem lenitatem præſeferebat. Tanta enim pollebant adverſarii potentia, ut maxime verendum fuerit, ne ſi in manifeſtum erumperet bellum, plurimum negotii ſuis opibus, ac clientelis Principi faceſſerent. Cui rei, ut obviam iret, ſpem nullis occludebat, neque occurrentes, aut ſe adeuntes, limis oculis intuebatur, ſed ea, qua prius comitate, ac facilitate cum iis converſando, modo de rebus ſeriis deliberabat, nonnunquam etiam jocabatur, ac cibum ſumebat. Ne gratiam quidem, petentibus eorum nonnullis, difficilem ſe præſtabat. Sed exorabilem ſe iis præter omnium opinionem præbebat, & immemorem ſe injuriarum oſtendendo, inſperatam præſeferebat mansvetudinem, ut iis, quibus ſecum, ſupra quam cuiquam credibile fuit, indignaretur, fiduciam ſuſcitaret, ac metu ſimul, & ſupicione omni liberaret. Hæc ut ſerio a ſe agi magis omnibus perſvaderet, cum varii de primatum proditione, ac aliis id genus, ad eorum dedecus pertinentibus, rumores paſſim, ac ſermones, famoſique Libelli circumferentur, edictis, ac diplomatibus in valvas ſummi templi affixis; publice prohibuit, ne quis proceres proditionis inſimularet, neque aliis probri generibus vel publice vel privatim afficeret. Quisquis ſecus faceret, eum, ſi nobilis eſſet, confiſcatione bonorum, ſin autem plebeius, capite ſe puniturum interminatus eſt. Mox ubi paucis interjectis diebus conquieviſſet, interruptum comitiorum curſum continuari juſſit, & ut communi omnium ordinum conſenſu a Turcico fœdere deſciſceretur, per Cancellarium ampliſſima, & tamquam cygnæa, ut ajunt exponentem oratione, poſtulavit. Quibus Principis poſtulatis acceptis, & nonnullis ultro citroque ſermonibus ea de re habitis, uno tandem

omnium

omnium conſenſu ſocietati Turcicæ nuncius remiſſus fuit. Quibus omnibus rebus, poſtquam ſatis fiduciæ, ac ſecuritatis adverſariis injeciſſet, ſequenti die dominico omnes ad ſe acciri juſſit, eo colore, ut quibusdam ſeriis rebus tractatis ſe ſacra acceſſurum honoris cauſa deducerent. Eo ubi omnes ad unum conveniſſent, & jam ingenti hominum multitudine in plateis deducendi cauſa commorante, magnates etiam Principem, quaſi jam jam proditurum, præſtolarentur: inclamat Princeps per feneſtram palatii prætorianos, & an fidem ſibi præſtare vellent, interrogat. Illi paratos ſe ad omnia fore reſpondent, moxque ſine mora dato ſigno centuriones ad id delecti irrumpunt in illa palatia, in quibus proceres commorabantur, eosque confeſtim comprehenſos, vinciunt. Mox ſedato tumultu, qui ingens ex ignorantia rei ortus fuerat, diverſoria vinctorum procerum occupantur, & ne quid ſeditionis a clientibus, Famulisque eorum emergeret, clauſis omnibus portis, cuſtodiæ civitati ponuntur. Exacto ita triduo ſub auroram, quo penitus momento inauditæ magnitudinis grandinem multis in locis decidiſſe, deprehenſum eſt, Alexander Kendi, Joannes Iſſiu, Gabriel Kendi, Joannes Forro, Gregorius Literatus, apud Gemonias civitatis ſcalas capite truncantur, & duobus prioribus in templo ſepultis, reliqui in cæmeterium elati, ibique tumulati fuere. Reliqui eorum, ita in cuſtodias diviſi fuere, ut Balthaſar Bathoreus cum Volffgango Kovaciocio Ujvarinum, Franciſcus cum Joanne Bornemiſza Gialvinum, Joannes Gerendi, Albertus Lonai, Georgius Szalanci, Balthaſar Szilvasy Albam ducerentur. Sed ex his quatuor poſteriores clementia Principis, vita donati, reliqui omnes lege Julia, ſcilicet Majeſtatis, non-

nonnulli vero etiam ex iis Cornelia de ſiccariis condemnati, decimo quinto poſt priores die vitam finiere. Princeps ut variis hominum ea de re ſermonibus, ac judiciis ſatisfaceret, longa ſe oratione excuſavit, non ſe hæc crudelitate, ſed neceſſitate coactum feciſſe, & quæ ſibi illi machinati fuiſſent, in eorum capita revolviſſe, ſe, ut eorum erga ſe benevolentiam tueretur, non ſecus eos, ac patres, & fratres, atque adeo pupillam oculorum obſervaſſe, omnia illis erogaſſe, ſibi nihil propemodum reliquiſſe. At vero eos pro tantis beneficiis peſſimam gratiam ſibi retuliſſe, ut ipſe e Regno eliminaretur, aliusve ſurrogarerur, conatos fuiſſe. Quorum omnium locupletiſſima ſe teſtimonia, ac indicia propriis eorum Chyrographis comprobata habere. Proinde Deum ipſum, ac Cœlos ſe, univerſosque mortales conteſtari, non ſe triſtiſſimi hujus ipſorum exitii, ſed ſe ipſos cauſas eſſe, quod etiam ipſe acerbiſſimo animo toleraret. Sed quoniam interſit reipublicæ, talia exempla ſeveriſſime vindicari, ipſa ſe invitum, neceſſitate muneris ad has pœnas irrogandas deſcendiſſe. His itaque ſimilibus poſtquam ſe coram tota nobilitate excuſaſſet, dimiſſis comitiis, Albam ipſe quoque reverſus eſt.

COM-

COMMENTARIORUM DE REBUS UNGARICIS DECADIS DECIMÆ

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Sed ut jam rebus Tranſylvanicis pauliſper omiſſis, ad Ungaricas redeamus. Sinanus, qui totam hyemem Belgradi commoratus, ſimulato metu in tantum apud noſtros venerat contemptum, ut nunquam jam copiam pugnandi facturus videretur, coactis circiter, ut perhibetur, tercentis hominum millibus Budam venit. Id ubi ſoluta jam antea obſidione Hatvanenſi, Mathias Archidux accepit ratus ſe tantæ multitudini imparem fore, præſertim cum tentata accerrima oppugnatione Strigonii multos ſuorum partim armis, partim peſtilentia amiſiſſet, collectis vaſis Strigonienſem obſidionem intermiſit, & Jaurinum verſus cum univerſo exercitu ſuo ſe recepit. At Sinanus non contentus Strigonienſes obſidione acerrima ſolviſſe, Tatam arcem per deditionem Georgii Paxi Præfecti in poteſtatem ſuam redigit. Inde progreſſus, quoniam Veſprimium, & Palotam ſuperiori anno expugnaverat, quia iter

Vien-

Viennam facientibus impedimento eſſe viderentur, omiſſa in præſens ad ſiniſtram Comaromienſi arce eam civitatem obſidendam duxit, qua capta non ſolum Comaromium, ſed etiam alia omnia Viennam usque firmamenta facilius capi poſſe viderentur. Itaque iter in ulteriore Danubii ripa faciens, & cuncta obvia ferro atque flamma, præſertim vero Tartarorum crudelitate, qui jam ſe illi conjunxerant, devaſtans, menſe Julio Jaurinum obſedit urbem, & natura & operibus totius Ungariæ munitiſſimam. Jaurinum alias Jaurum, ubi olim Breghetium fuit Arabon amnis alluit, qui etiam Germanica lingua Rabe nomen ei attribuit: & cum ibi Danubium influat, inſulam a conſpectu facit, inauditamque urbis firmitudinem mirum in modum auget. Mœnia habet intus, & extra aggeribus offirmata, quæ ne bellicorum tormentorum ictibus ſint obnoxia perpetuis coronantur ambulacris, & in coronæ ſpeciem ſuperbarum turrium frequentia excoluntur. Earum quædam e quadratis lapidibus quadrangulares, nonnullæ latericiis rotundæ conſurgunt, quibus crateatæ, ferreæque inſunt feneſtræ, atque ferrea oſtia, ut iis contra inſultus muniantur, foveis obducuntur undique mœnia latis, juxta atque profundis, & quod plurimum ad robur facit, duorum celeberrimorum fluviorum Danubii, ac Rabæ confluentia muniuntur. Supra portas urbis quadratæ turres conſurgunt, tam munitæ, ut impetum quemque maximum facile ſuſtineant, ſuburbia undique circum maxima effunduntur, urbemque haud aliter, ac arcem complectuntur. Urbs ipſa præter arcem in ripa Danubii miro exſtructam artificio, ædificia habet ſuperbiſſima, & cum urbs tota ſit penſilis, infra ſoli planitiem ſubterraneis abundat fornicibus,

vina-

vinariisque cellis magna laxitate, ad omnes uſus accomodatiſſimis. Multa in ea fuere ſacerdotum collegia ſanctimonialium clauſtra, & cetera, quæ urbis præſtantiam vulgo adaugere judicantur. Firmitudo quidem ejus tanta, ut vel Viennam multorum judicio ſuperare videatur, quippe cui non ſolum Ungaria parem ullam, ſed ne Germania quidem multas ſimiles habuerit. Eam omnes chriſtiani populi ſperaverant, & collatis ad id communibus expenſis, voluerunt Romani Imperii, atque adeo totius chriſtianæ Reipublicæ unicum propugnaculum eſſe. Ejus oppugnandæ Sinanus duplicem rationem ſecum inivit, terra atque Danubio, in continenti quidem cum foſſæ, valla, ac muri longe robuſtiſſimi, & ad miraculum usque munitiſſimi, nec tormentis bellicis, quorum ingentem habebat numerum, nec ulla alia ratione ſuperari poſſe viderentur, confiſus tantæ hominum multitudini aggerem, tumulumque ex egeſta terra faciendum, & muris advolvendum curavit. Id quamvis ingenti labore fieret, tamen quatuor, ſexve hebdomadarum ſpatio id opus abſolvit, & tumulos aggeresque admirandæ magnitudinis, ita mœnibus admovit, ut ex propinguo jam ea tormentis bellicis peti, imo & ſcalis ſuperari poſſe crederentur. In Danubio qui urbem alluit ita oppugnationem inſtituit, ut quoniam oppidani omnem ſuam ſecundum Deum ſpem in Mathiæ Archiducis, qui in exteriore Danubii ripa ex adverſo in ipſo urbis conſpectu caſtra habebat exercitu, collocatam haberent, facto ponte, Iſtrum tranſire, copiasque intentare ſtatuerit. Sed navibus tranſire neque ſatis tutum, neque ſatis facile arbitrabatur, neque ſuæ, neque Imperatoris etiam dignitatis eſſe ſtatuebat. Itaque etſi ſumma difficultas faciendi pon-

pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque Danubii omnium totius Europæ fluviorum maximi, tamen ut facilius hoſtes ex improviſo adortos propelleret, omnino id ſibi contendendum exiſtimabat, rationem igitur pontis hanc inſtituit: coacta ingenti materiarum copia, & accitis undique artificibus, naves in inſula Kevienſi, quinque infra Budam milliaribus diſſita, tales fieri magna arte inſtituit, ut proræ eſſent angulares, puppes autem præacutæ, triangularesque, duobus utrinque earum lateribus, leviter in piramidem quandam faſtigatis, ut iis rapida Danubii unda magno impetu, ſecundoque decurſu illata ſcinderetur, faciliorque ponti ſtatio conciliaretur.

Eas igitur poſtquam carris, atque jumentis in caſtra devehi curaſſet, machinis idoneis in flumen demiſit, & admenſa Danubii latitudine, ubi pontem facere ſtatuerat, pro ejus proportione in ipſa ripa catenis colligavit, & interjectis inter ſingulas ſex pedum intervallis ita trabibus, aſſeribus inſtruxit, ut facile in alteram ripam continuata illa navium ſeries transduci poſſet. Inſtructis in hunc modum navibus, & captata nubiloſa cœli temperie, jubet tormenta bellica ex compoſito in caſtra Matthiæ Archiducis intendi, explodique tanta aſſiduitate, ut omnem primo chriſtianis, quid eo prætextu ageretur, proſpiciendi facultatem, partim fumo ex tormentis evaporante, partim vero nebulis cœli Danubio incumbentibus, penitus adimeret. Interim dum quid barbarus moliretur, Chriſtiani diſquirunt. Sinanus naves, jam ad eum uſum concatenatas, remosque inſtructas, ſummo militibus ſtudio adnitentibus, in ulteriorem ripam transvehi, & anchoris in flumen dejectis ſtabiliri curat. Quibus

per-

perfectis protinus prædicto navium interſtitio admenſuratas trabes injici, trabibusque aſſereres imponi mandat. Mox magnum tormentorum majorum, ac minorum numerum per pontem ante ſe transvehi, iisque aditum pontis, ne ab ingruentibus hoſtibus, dum milites transportarentur, interrumpi poſſet, firmiſſime muniendum imperat. Ipſe quoque, præmiſſis Janizaris, cum centum circiter ſelectorum equitum, peditumque, quibus & Tartari intermixti fuerant, millibus, in exteriorem rippam evadit, relictis ultra Danubium reliquis, qui obſeſſos, ne erumpere poſſent, urgere non deſiſterent. Id ubi Mathias Archidux accepit, primo mirari, qua ratione Danubium barbari tranſiviſſent, mox cognito ipſum quoque Baſſam, cum ingenti multitudine adeſſe, proditum ſe ratus, quid hoc rei eſſet Davidem Ungnat interrogare. Is conſcius rei bono Archiducem jubet eſſe animo, quando aliqua duntaxat exercituos pars navibus videretur, transportata. Dum hæc circa Mathiam aguntur, jam Sinanus cum transvecta exercitus parte, caſtris chriſtianorum inſtabat, & jam jam irrupturus videbatur. Acciderat autem id perincommode, quod eo ipſo tempore Franciſcus Nadasdius, Georgius Zrinius, & ceteri noſtrates clari militiæ duces, cum magna Ungarorum parte ex caſtris, paucis ante diebus, diſceſſerant, ut Tartaros, quos eo ipſe fine Sinanus ad depopulandas eorum ditiones emiſerat, a ſuis finibus arceret. Ita Mathias Archidux, & proditione Davidis circumventus, & abſentia eorum, qui conſiliis ſuis tam inopinatæ barbarorum incurſioni, ſimilibus jam antea rebus ſæpenumero exercitati, reſiſterent, impeditus, jubet ſuos paulatim retrocedere.

Fit ingens certamen, & cadunt utrinque, quam plurimi, eo tamen eventu, ut ſi barbari noſtris fortius inſtitiſſent, actum eo die de toto exercitu chriſtianorum fuiſſet. Sed nihil ſecundum providentiam Dei majori noſtris præſidio fuit, quam quod Mathias Archidux ingenti animo milites ad reſiſtendum cohortatus ſit, ſenſimque, ac pedetentim retro cedendum, mandaverit. Ita Sinanus, pulſis chriſtianis, caſtra diripit, impedimentaque omnia cum mille circiter carris onerariis in poteſtatem ſuam redigit. Mox ubi ſe voti ſui compotem factum conſpicatur, ſpoliis onuſtus, Danubium tranſit, eaque occaſione urbem aggreditur. Antequam tamen totis viribus oppugnationem inſtitueret, hoc commento uſus eſſe fertur, ad ſubruendos, qua Danubius aluit, muros, quos tormentis petere ea ex parte non poterat, delectos ex calonibus, ac lixis audaciores cimbis, ac ſcaphis imponit, inſtrumentisque ad ſubruendos muros, excavandosque lapides idoneis inſtruit. Mox captata occaſione ſilentio noctis eos muris citra omnem ſtrepitum adnavigare jubet, & primum quidem ſcalpellis, cultellisque, ad id jam antea factis, latericeos muros excavare, deinde excavatis ita mœnibus ſe inſinuare, ac torcularibus ferreis, aliisque machinis fundamenta eorum ſubruere mandat. Illi feliciter mandata executi, factas in muris cavernas, pulvere tormentario complent, & dato ejus rei ſigno ſuccendunt. Simul eductis e caſtris militibus ita copias Sinanus dividit, ut feſſis recentes ſemper ſubmittere, ſeptemque vicibus una die, novam militum manum oppugnationi admovere poſſet. Quibus rebus omnibus rite diſpoſitis, dato pugnæ ſigno ingenti cum clamore irruunt. Milites in tumulos, & terra Danu-

nu-

nubioque pariter oppidanos urgent. Mox tempore ad id deſtinato, propugnaculum ſuccenſum diſrumpitur, & ingenti ſonitu edito disjicitur. Quod etſi vehementiſſime animos oppidanorum perculit, nequaquam tamen barbaris cedendum rati, ruinas implent, & inaudito cum furore irruentes hoſtes ſtrenue repellunt. Ajunt multos eo die ex barbaris, faſcino quodam ipſis uſitato in rabiem actos, exutis omnibus veſtibus, frameas tantum in manibus habentes nudos in muros proſiluiſſe, tanta cum audacia, ut mortem pro ſalute Cæſaris, ac propagatione imperii, cum ſumma voluptate oppetere viderentur. Nam cum tormentis in eos exploſis ingens Turcarum multitudo cæſa propelleretur, eodem momento recentes, ac longe plures depulſis ſuccedebant. Poſtquam tanto furore barbari, multos dies oppugnationi inſiſterent, nec quicquam jam ſpei de auxiliis ſubmittendis ſupereſſe videretur, oppidanique partim ruina muri disjecti, partim tanto hoſtium furore, ſuorumque cœdibus conſternati fuiſſent, Ferdinandus Hardekius, cujus & ſupra dignam fecimus mentionem, proditionis cum Davide Ungnat jam bene conſcius, & hac occaſione utendum ratus, primores militum, qui jam pauci ſupererant, convocat, & quid facto opus ſit disquirit. Cum plerique eorum nequaquam deditionem eſſe faciendam aſſeverarent, Hardekius oſtenſa muri ſuccenſi ruina, tumulorum, ex quibus oppugnaretur, propinguitate, hoſtium item multitudine ac rabie, ac ſuorum paucitate, perſuadet tandem illis, ut pacti ſalutem, barbaris urbem tradant.

Ipſe, re cum Sinano clam communicata, acceptis in præmium proditionis, octuaginta, ut ajunt aureorum millibus, deſtinato ad id die ex urbe pro-

dit, eamque Turcis dedit. Ajunt Sinanum, ubi Hardekius ad eum ſalutandi cauſa deductus fuiſſet, comiter eum demulſiſſe, & laudaſſe ejus benevolentiam, ceteros Germanos convitiis affeciſſe, & ut Viennam ituri, eam quoque, ubi tempus eſſet, ſibi traderent, cum ludibrio monuiſſe. Sinanus tanti momenti urbe, ac totius fere chriſtiani orbis propugnaculo potitus, ruinas ejus confeſtim reficit, commeatibus, militibusque, complet, & præfecto ei Bego illo, qui Strigonium conſervarat, motis inde caſtris Comaromium obſidet.

CAPUT SECUNDUM.

De Comaromienſi obſidione ſoluta.

Dum hæc ibi aguntur Rudolphus Imperator, veritus, ne ſi opem laborantibus afferre cunctetur, Jaurinum in poteſtatem hoſtium redigatur, contractas, quantas potuit maximas ex Bohemia, Auſtria, & Sileſia, ceterisque finitimis Germaniæ regionibus copias ſubſidio Mathiæ fratri, quam celerime miſit, ſed antequam illæ copiæ ad Mathiam perveniſſent, jam Sinanus capto Jaurino Comaromium obſederat. Quominus autem illud cœperit, hoc ei imprimis impedimento fuiſſe compertum eſt, quod Tartari capto ſtatim Jaurino, ex ejus caſtris diſceſſerint, reditumque in patriam paraverint. Proinde cum ſe ita in obſidione Comaromienſi a Tartaris deſertum videret, tentandam tamen ejus oppugnationem ratus, quatuor millia equitum ex omni exercitu ſeligit, eosque in finitimas provincias depopulatum mitit, hoc fine, ut chriſtianos in defendendis

dis finibus ſuis occupatos, ab auxilio obſeſſis, ferendo arceret. Barbari mandata Sinani celeriter exequi cupientes, in hoſticum magno cum impetu ducunt, & in inſidias noſtrorum illati, omnes fere cæduntur, paucis elapſis, qui nuncium ejus rei in caſtra hoſtium deferrent. Illi igitur, rati chriſtianos protinus in caſtra Sinani venturos, rem ei, ut geſta fuit, exponunt, ſeque ſolos ex omni numero ſalvos evaſiſſe nunciant, & ut confeſtim illinc diſcedat, monent. Ille territus cum jam non amplius, quam triduum obſeſſi vim hoſtium laturi viderentur, exploſis in arcem tormentis omnibus, conclamatisque, vaſis, & impedimentis fere omnibus inibi relictis, fugam arripuit. Id ubi obſeſſi certis quibusdam ex ſignis animadvertiſſent, rati, quod res erat, hoſtes metu noſtrorum diſcedere: portis ſe erumpunt, impedimentisque fere omnibus in arcem deductis, barbaros inſequuntur. Qua re in chriſtianorum caſtris renunciata, quamvis ſua eorum victoria contenti, audaciam in eos irrumpendi, nequaquam hactenus habuiſſent: tamen occaſione divinitus oblata, utendum rati, totisque viribus effuſi, barbaros fugientes inſequuntur, & cum Comaromienſibus, jam Dei beneficio liberatis, conjuncti, non exiguam eorum ſtragem edunt. Mox cum jam tempus ad res gerendas incommodum ingrueret, contenti hac in præſentiarum victoria, triſtes magis, ob amiſſum Jaurinum, quam læti, obſervatum Comaromium, ac pulſos inde hoſtes, domum ſe quisque receperunt.

CAPUT TERTIUM.

De expeditione Lugaſienſi.

Poſtquam Sigismundus Princeps, ut jam in Tranſylvaniam revertamur, deducentibus eum inter ceteros maxime præcipuis Franciſco Geſztio, & Stephano Bochkaio, quos ſingularem ei fidem in tantis rerum motibus ſupra præſtiſſe commemoravimus, Albam Juliam rediit, datis paucis quieti diebus, nihil omnino antiquius habuit, quam rei ſemel cœptæ, firma jacere fundamenta, quæ antea affecta tantum, nequaquam perfecta fuerant. Proinde Stephano Bochkaio legationis principe deſignato, adjungit ei ex S. C. Gregorium Cziakium, Joannem Siger, & Albertum Sevek, iisque mandat, ut ad Rhudolphum Cæſarem profecti, cuncta ex præſcripto ſuo cum eo componerent. Interea dum hæc expediuntur, cognitis Turcarum, Tartarorumque conſiliis omnes ordines ex edicto Principis in campos Albenſes armati convenere. Illuc affertur falſis rumoribus, qui in gerendis bellis admodum noxii eſſe ſolent, ideoque prudentibus Ducibus vehementer fugiendi, univerſam Tartarorum multitudinem domum tendere, duobus duntaxat eorum millibus Temesvarini cum Chamo relictis, qui ſpem juſti Exercitus præbendo, aliis tempus, ac facultatem abeundi præberent. Ad has igitur Tartarorum reliquias intercipiendas, eodemque labore Oppidum Lippenſe, ac Temesvarienſe diripiendum, generali duce copiarum Franciſco Geſztio deſignato veterano jam bellatore, ac Principi imprimis fideliſſimo, univerſum Princeps Exercitum, Lugaſinum verſus dimiſit. Ipſe, ut pacem provinciæ tue-

tueretur, & quæ bello uſui forent, procuraret, Albæ remanſit. Eggreſſi e finibus Tranſylvaniæ noſtri, poſtquam Facziado Caſtello Turcio, quo Lugaſinum ituri diverterant, appropingvaſſent, præmiſſus cum ſelectis aliquot equitibus, Moſes Zekely vir manu ſtrenuus, tanto in hoſtes atque adeo in portas ipſius caſtelli, impetu invectus eſt, ut ſi pedites, ad id delecti pari celeritate uſi, cum conſequi deſtinato tempore potuiſſent, nullum dubium eſt, quin eo protinus impetu in Caſtellum irrumpere valuiſſent, ſed cum illi ſerius, quam par erat accurrentes, nulli eſſe uſui potuiſſent, Moſes tormento bellico ictus vix evaſit, cæteri ejus comites eo ſublato paucis amiſſis incolumes ſe in exercitum receperunt. Pedites nihilominus ſimul ac advenerunt, vineas, ac aggerem jacere, cuniculosque ſubterraneos tanta diligentia cæperunt ſtruere, ut non dubium eſſet, quin paucos poſt dies Caſtello potituri forent. Sed ubi nox ingruit, ternis allatum eſt nunciis ad generalem copiarum ducem, magnam Turcarum, atque Tartarorum manum Temesvarino Lippaque prodiiſſe eo ſane conſilio, ut noſtros oppugnatione Facziadi occupatos, ſi impares ſibi fore cognoverint, adoriantur, ſi minus Lugaſinum recta profecti, Oppidum cum finitimis locis diripiant, cunctaque ferro atque flamma abſummant. Id ſimulac belli dux accepit, convocatis confeſtim omnibus noctu, qui vel authoritate, vel aliquo rerum uſu valere viderentur, rem eis cunctam aperit, & utrum in oppugnarione Caſtelli perſiſtant, an hoſtibus occurrant, disquirendum proponit. Viſum eſt poſt longam, eamque ſeriam diſceptationem toti conſilio, omiſſa n præſens caſtelli oppugnatione, copias confeſtim Lugaſinum ducere, ne dum aliena capere conantur,

Digitized by Google

propria, eaque longe majoris, quam tantillum ſit caſtellum, momenti, maximo cum reipublicæ detrimento, amittere cogantur, ita revocatis S. C. a cœpta oppugnatione militibus, quanta potuerunt celeritate Lugaſinum omnes profecti ſunt. Ibi poſtquam aliquot hebdomadas tranſegiſſent, creberrimisque excurſionibus non exiguum Tartarorum numerum nonnullis vivis captis, carptim conſumpſiſſent, nec ulla rei pro voto gerendæ commoditas offerretur, ne temporis injuria, commeatusque penuria homines pariter, ac jumenta fruſtra conficerentur, incolumes omnes, paucis duntaxat amiſſis, domum rediere.

CAPUT QUARTUM.

De defectione Moldavorum, ac Tranſalpinorum, a Turcico imperio, fœdereque cum Tranſylvanis icto.

Præerat eo tempore, quo hæc gerebantur Moldavis quidam Aaron, de quo copioſe ſupra dictum eſt, Tranſalpinis vero Michaël Palatinus (quem ipſi Vajvodam appellant) & manu ſtrenuus, & prudentia, multarumque lingvarum cognitione præſtans. Ii partim ſponte ſua, tot malorum, & expilationum pertæſi, partim vero exemplo, ſuaſionibusque Principis Tranſylvaniæ adducti, quamvis Jaurinum jam a Barbaris captum cognoviſſent, conſiliis clam communicatis a jugo Turcicæ Tyrannidis deſciſcere omnino ſtatuerunt. Id quo magis & Sigismundo Principi, & aliis chriſtiani fœderis, proceribus perſvaderent, uno, eodemque tempore ad id deſtinato,

Aaron

Aaron in Metropolitano Regni ſui Oppido, quod forum Iazygum vulgo appellant, Michaël Bekoreſtini Turcas omnes quicunque deprehendi ibi, & accomodatis ad id artibus eo allici potuerunt, ex compoſito trucidaverunt, & non exiguam ex eorum ſpoliis pecuniæ ſummam corraſerunt. Mox miſſis in Tranſylvaniam legatis, fœdus cum Principe certis, iisque honeſtis conditionibus inierunt, ſe ſeque & vivere, & mori cum Chriſtiani fœderis ducibus paratiſſimos eſſe, ſolenni jurejurando utrinque confirmarunt. Ita brevi tempore, eoque, quod minime omnium ad defectionem accomadatum videretur, tres non parvi momenti Regiones, Tranſylvania, Moldavia, & Tranſalpina Valachia, quæ olim integram daciam conſtituebant, occulto quodam fato ab imperio Turcico deſciverunt, ceterarumque Regionum Principibus non parum momenti ad ſacrum bellum contra juratos Chriſtiani nominis hoſtes unanimi conſilio ſuſcipiendum, ſuis exemplis attulerunt.

CAPUT QUINTUM.

Quid Moldavi, & Tranſalpini Tranſylvanicis adjuti copiis poſt defectionem egerint.

Ingruente hyeme, quæ tota inſani frigoris acrimonia, niviumque magnitudine pene inaudita deſæviit, ne occaſionem rei bene gerendæ taciti prætermittere viderentur, Aaron, atque Michaël non exiguas uterque copias contraxerunt, & ſelectiſſimis a Sigismundo Principe militibus aucti, hoſtiles ditiones ferro, atque flamma vaſtare ſtatuerunt. Itaque Aaron bipartitis copiis in hoſticum ducens Tegeninum,

ninum, Killieninum, & Albam Nezter, ac quidquid cis, & ultra Danubium eſt, longe lateque diripuit, cæſisque quam plurimis Turcis, atque Tartaris, cum tormentis majoribus deſtitutus, temporumque iniquitate impeditus, Caſtellis potiri non potuiſſet, cum ingenti præda domum ſe ſe, paucis omnino ſuorum amiſſis recepit.

Eodem ſucceſſu, ſed longe majore alacritate, & Michael Palatinus rem in Tranſalpina geſſit. Poſtquam enim ingentes voluntariorum, ex Ungaria, & Tranſylvania militum copias collegiſſet, imprimis Girgioniam, mox Orozczikinum, Drezlonium item, & complura alia Oppida Turcica, citra, ultraque Danubium ſita, cæſis quamplurimis Barbarorum, & non paucis mancipiorum Chriſtianorum in priſtinam libertatem aſſertis, ferro, atque flamma conſumſit, ingentemque omnis generis prædam inde reportavit. Ita vaſtatis hoſtilibus circumquaque ditionibus, felix ſi finis, quod optandum eſt, principio reſponderit futuri belli exordium fecere.

Exſtat de hoc ipſo bello Sinani Baſſæ in Bibliotheca Telekiana:

Szölöſi (Iſtván) Rövid Hiſtoria mellyben megiratik, Szenán Baſsának Török Cſáſzár erejével, Havaſalföldének, és Erdélly Orſzágának puſztitására valo ki jövetele, és Iſtennek ſegittsége által annak a' ſok Pogányságnak a' Magyarok által megverettetése, és ſzégyen vallása. Annak ſellette ugyan akkor Borbélly György kapitányságaba Lippa várával egyetemben, tizennyoltz váraknak és kaſtélyoknak a' Töröktöl valo megvétele. Ad notam Trojanæ Hiſtoriæ — 1595. In quarto.

Digitized by Google

APPENDIX.

HUJUS TOMI II.

XXI.

Ex vetuſto Antiphonario in membrana ſcripto, ex Bibliotheca Budenſi ad Vienenſem Cæſaream translato, & a me lecto excerpſi ſequentia.

1387. 20. Febr. Obiiſſe Diometrium tituli SS. 4. Coronatorum Presbyterum Cardinalem, & Gubernatorem Eccleſiæ Strigonienſis.

1418. 30. Maji. Obiiſſe Joannem Archiepiſcopum Strigonienſem.

1382. 11. Sept. Obiiſſe Ludovicum Regem Hungariæ.

1457. 1. Julii. Obiiſſe Dominum Nicolaum de Themesvar, Doctorem, Cantorem, & Vicarium Strigonienſem, deinde Præpoſitum S. Stephani in Caſtro Strigonienſi, Auditorem Cauſarum Concilii Baſileenſis. Fundavit in Eccleſia S. Stephani prædicta Collegiata quot hebdomadis tres miſſas.

1473. Ultima Auguſti Obiiſſe D. Georgium Nalacz, Præpoſitum S. Thomæ Martyris in Promontorio Strigonienſi, qui fundavit pro die anniverſario ſex miſſas 1. De B. V. 2. De S. Michaële. 3. De Apoſtolis. 4. Pro Defunctis. 5. Pro Peccatis. 6. De S. Dorothea.

1375. 1. Decembr. Obiiſſe Thomam Archiepiſcopum Strigonienſem.

1391. 19. Decemb. Obiiſſe D. Thomam Archi-Diaconum Comaromienſem, qui legavit fundum Curiæ ſuæ penes fundum Curiæ Majoris Præpoſiti, a parte

parte occidentali adjacentem, ut inhabitantes perpetuo curent in die anniverſario cantari in porticu unum Placebo, & miſſam pro defunctis.

1418 24. Decembr. Obiiſſe Dominum Joannem de Uyvaras, Præpoſitum S. Stephani de Caſtro Strigonienſi.

1460. 23. Maji. Obiiſſe D. Michaelem de Tuun, Archi Diaconum Neugradienſem, & Rectorem altaris B. Margaretæ V. Eidem Altari, & ejusdem Rectori exſtruxit domum, & fundavit Sacrum anniverſarium.

Ibidem in Calendario ponuntur Feſta.

24. Febr. S. Gerardi Epiſc. & Mart.
4. Apr. S. Ambroſii Epiſc. & Confeſſ.
9. Maji. Translatio S. Nicolai.
22. Maji S. Helenæ Reginæ.
4. Julii. Translatio S. Martini.
7. Julii. Translatio S. Thomæ Martyris.
11. Julii. S. Benedicti Abbatis.
17. Julii SS. Andreæ, & Benedicti Mart.
8. Aug. Adventus Sanguinis Chriſti.
20 Auguſt Elevatio S. Stephani Regis.
2. Sept. S Emerici Confeſſoris.
24. Sept. S. Gerardi Epiſcopi & Mart.
12. Novembr. S. Joannis Eleemoſynarii Epiſc. & Confeſſ.

30. Maji. Alio charactere tardius adſcriptum: Inventio Dextræ S. Stephani Regis. Et in decurſu poſita eſt ſeq. annotatio pariter alio charactere in margine ſcripta.

Deus! qui es Sanctorum tuorum ſplendor mirabilis, quique hodierna die B. Stephani Regis, Martyris & Confeſſoris tui glorioſam dextram revelaſti, da

da nobis in digna lætitia de ejuſdem protectione gaudere.

Pro die S. Ladiſlai 27. Junii eſt ſequens Oratio.

Deus, qui B. Ladiſlaum Regem noſtrum, & Confeſſorem tuum miro miſerationis modo, delinquentem ad veniam, & juſtum tranſtuliſti ad gloriam, præſta quæſumus, ut quem rectorem habuimus in terris, eum modo protectorem ſentiamus in cœlis. Per &c.

Pro SS. Andrea, & Benedicto MM.

Sanctorum Martyrum tuorum Domine Benedicti, atque Andreæ natalitia veneranda, quatenus Eccleſia tua devote ſuſcipiat, & fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per &c.

Pro elevatione S. Stephani Regis.

Deus qui B. Stephanum Regem noſtrum, & Confeſſorem tuum terreni Imperii gloria, & honore coronaſti, & ſanctorum tuorum ſocietate ſublimaſti: præſta quæſumus, ut quem Pannonia habuit divinæ religionis doctorem in terris, eum modo Eccleſia tua mereatur habere defenſorem in cœlis. Per &c.

Pro ſuffragiis poſt orationem de SS. Petro, & Paulo ponitur ſeq. de S. Paulo.

Inclyta ſpes gentis tuæ Doctor, & Apoſtole credulitatis noſtræ, ac ſpeculum ſanctitatis, & juſtitiæ: per te Chriſto credidimus, per te in Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto ſalvemur; ora pro populo, interveni pro clero, ut nullus de tuis præda fiat hoſtis.

Juſtum deduxit Dominus &c. Oratio ut ſupra.

Sequitur de S. Emerico.

Ave flos nobilium, ſacræ ſtirpis virgula, ſpeculum ſublimium, ſanctitatis regula; ſalve ſpes humilium, ſydus ſine macula, lucerna fidelium, rubens mundi roſula, vale candens lilium, pigmentorum cellula, ſolamen flebilium, ſave nobis ſedule, ſer Emerice prœmium, repelle pericula, ut, Iuſti &c.

XXII.

Ex vetuſto Breviario Strigonienſi in folio veteri charactere Monaſtico impreſſo. Anno 1484. *ex eadem Budenſi Bibliotheca allato; nuncque in Cæſarea Bibliotheca Viennæ aſſervato habetur:*

1464. Mathiam de Hunyad Regem fuiſſe coronatum per Dionyſium Cardinalem Strigonienſem die 29. Martii.

1465. Obiiſſe Dionyſium de Zeech, Archiepiſcopum Strigonienſem 1. Febr.

1472. Obiiſſe Joannem Archiepiſcopum Strigonienſem die 9. Aug.

1510. Sexta die Martii lata eſt in Curia Romana ſententia, pro capitulo Strigonienſi, contra Thomam Archiepiſcopum, in cauſa Capellæ. Ibidem ſcriptum notatur.

1508. Die 4. Junii coronatus eſt Ludovicus Infantulus nondum triennis in Regem. Ibidem ſcriptum.

1484. Fuit Vicarius Strigonienſis, & cauſarum Auditor Generalis Michael Epiſcopus Milkovienſis, cujus juſſu fuit editum dictum Breviarium.

In Calendario præfixo illi Breviario habentur ſequentia Feſta.

8. Februarii S. Helenæ Reginæ.

24. Februarii S. Gerardi Martyris, & Epiſcopi, habetur etiam 24. Sept.

30. Martii Quirini Martyris.

2. Maji. Translatio S. Eliſabethæ.

10. Maji. Translatio S. Andreæ Apoſtoli.

30. Maji. Inventio dexteræ S. Stephani Regis.

3. Julii. Translatio S. Thomæ Apoſtoli.

4. Julii. Translatio S. Martini.

17. Julii. SS. Andreæ, & Benedicti Mart.

29. Julii. Depoſitio S. Ladislai Regis.

2. Sept. Depoſitio S. Emerici Ducis, & Confeſſoris.

5. Novembr. Translatio S. Emerici Ducis.

6. Novembr. Translatio S. Adalberti Epiſcopi & Martiris.

12. Novembr. S. Joannis Eleemoſynarii. Eſt tantum adſcriptum.

De S. Helena Regina habetur hymnus, cujus eſt initium: Gaude felix Hungaria: Gaude de Chriſti munere: Laudes in voce varia, corde promas & opere. Helena Sanctiſſima de te naſcente prodiit: rite deteſtans infima, cæleſte Regnum petit &c.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

Ad art. 12. A. 1526.

Conſtitutiones exercituales Univerſitatis trium Nationum Tranſylvanicarum, Nobilium videlicet, Siculorum, atque Saxonum a Sereniſſimo Domino Matthia Rege approbatæ. Budæ Anno 1463. *Feria III. poſt Dominicam Miſerere.*

I. Nobiles univerſi, & ceteri poſſeſſionati homines, dum in extrema neceſſitate exercitus generalis proclamatur, per ſingula capita inſurgere tenentur, niſi gravi morbo, aut ſenio impediantur; ita tamen, ut in Comitatu de Hunyad, tamquam prædatorum incurſionibus magis expoſito, tertia, in ceteris vero Comitatibus Tranſylvaniæ, quarta eorumdem Nobilium pars domi relinquatur.

II. Jobbagiones Nobilium ſimiliter capitatim ire ad generales Expeditiones obſtringuntur, equis, & armis inſtructi, quibus facultas ſuppetit, reliqui autem Ruſtici pauperiores pedites pixidarii, vel ſaltem armis ruſticanis induti; quinta nihilominus parte eorum, more antiquo ad cuſtodienda Confinia, & Caſtella, atque alia loca domi retenta.

III. Nobiles unius Seſſionis, ſive nullos Jobbagiones habentes, pariter viritim inſurgere obligantur, quartus quisque tamen horum intra fines Tranſylvaniæ reſervatur; locupletiores eorum inter equites, pauperes inter pedites militare debebunt.

IV. Proceres, & Nobiles quoque ſenio adfecti, qui nonniſi curru ad exercitum venire valerent, ſed alioquin bene poſſeſſionati reperiuntur, uti etiam

iam talium Viduæ hominem Nobilem, & Rei Bellicæ peritum loco ſui ad exercitum mittere tenentur; ut qui publico bono fruuntur, publice junctis viribus etiam pro eodem deſudent.

V. Comites Parochiales obligati ſint cum probis viris Nobilibus adminus quinque, illis ab Univerſitate Nobilium cujuslibet Comitatus ad hoc negotium ordinatis, tam ipſorum Nobilium, quam Ruſticorum Nomina, & Numerum quolibet anno in Regeſtrum conſuetum conferre, & juxta illud Gentem Comitatus, cui præſunt, ad exercituandum adſumere, ut requirente tempore, coram Univerſitate trium Nationum rationem reddere queant, quam recte hoc officio ſuo defuncti fuerint.

VI. Dum hujusmodi Regeſtrum conſcribitur, debent iidem Comites, & delecti Nobiles perluſtrare equos, arcus, pharetras, haſtas, clypeos, & reliquos apparatus bellicos hominum regeſtratorum, ut ſi neceſſitate ingruente, generalis Inſurrectio ſive literis Domini Wajvodæ Tranſylvanienſis, ſive enſe cruento, aut alio quolibet modo velociter promulgetur, ad locum denominandum protinus convenire, & parati eſſe poſſint, indeque ſub Ducatum Domini Wajvodæ procedere, altero Comite cujuslibet Comitatus cum ſigno publico illis præeunte.

VII. Item: in hujusmodi Regeſtro hæc limitatio habeatur, ut etiam tunc, quando belli generalis tempore per ſingula capita Inſurrectio demandatur, ubi Pater cum filio uno pane veſcitur, pariter ſi duo Fratres indiviſi fuerint, talium unus tantum ad exercituandum ire adigatur, & ſi is in illo bello cadat, alter loco ejus mitti non debeat. Et hæc Conſtitutio ad tres Nationes æqualiter extendatur.

Digitized by Google

VIII. Item: pro cuſtodia Caſtellorum ad publicam ſecuritatem facientium Caſtellani; pro curiis vero præcipuorum Dominorum Magiſtri Curiæ, cum illisve Nobiles impoſſeſſionati, & Jobbagiones Hungarici ſanguinis, eo numero, quem Comites, & Nobiles ad hoc ordinati definiunt, domi relinquantur. Sed horum quoqne Nomina, cum Nominibus quartæ partis Nobilium in Regeſtrum inferantur, veluti ceterorum exercituantium.

IX. Tandem univerſum exercitum Nobilium alter Dominorum Wajvodarum, tamquam Generalis Capitaneus Tranſylvaniæ ductabit, alter vero, ſi ambo fuerint ſimul conſtituti, ſin vero minus, Vice-Wajvoda, in his partibus Tranſylvanicis pro tutiori Rerum ſtatu permanebit: Wajvoda vero caſu, quo non exiſtente, Dominus Vice-Wajvoda Capitanei munus obibit. Sed neuter Dominorum Wajvodarum exercitum Generalem Nobilium ultra metas Regni Hungariæ educet, niſi caſu poſcente, ſponte Nobiles ipſi contra infideles, & æmulos Sacræ Coronæ exire voluerint. Intra limites vero Regni de cibatu Regali, Nobilium, & ſuarum Gentium provideri curabit.

X. Siculi, juxta ſuum modum antiquum, ad exercitum Generalem mittere obligantur duas Gentis ſuæ Partes, tertia ad omnes eventus domi relicta. Eorum vero convocatio ad inſurgendum fiat, vel gladio ſanguine tincto, vel literis Comitis eorumdem Siculorum, vel Domini Wajvodæ, ſi is ſimul Comes fuerit. Dum tamen neceſſitas tumultum excitare cogit, Capitanei Sedium cunctarum tympanis, & Záldobonibus, atque accenſis ſtruibus lignorum in ſciundis locis Tüzhalom vocatis conclamationem faciant; & qui ad hæc non concurrit, caput amittat.

XI.

XI. Ne tamen defectus vel in motione, vel in bello contingat, ſingularum Sedium Capitanei tenentur pacis tempore, neque admodum raro, luſtrationem armorum, & reliquorum apparatuum peragere: quod ſi neglexerint Capitanei, vel non obediverint mandati - - - - quisque luat teneatur. - - -

XII. Si aliqui temporis ſucceſſu his declaratis conſtitutionibus ſe contumaciter opponerent, & rebellationem concitarent, non tantum Bona ſua amittant, ſed capita etiam eorum amputentur, vel de ligno ſuſpendantur; excitator vero, ſi reperietur, qui ceteros ſeduceret contra Sereniſſimum Dominum Regem, & charam Patriam, is ferro candente ad mortem uſtuletur; ne gratia quidem Domini Regis in contrarium vires habente.

Præter has, Conſtitutiones, quas pridem Anno 1435. in Decreto ſuo Sereniſſimus Dominus Sigismundus quondam Imperator, & Rex cum Regni Ordinibus edidit, nunc quoque fideliter acceptamus.

XXIV.

DE SICULIS

Et Modo ſignaturæ Boum.

Siculi in communi omnes ſunt nobiles, & ab omnibus contributionibus exempti, ſed diſtributi tamen in tres ordines, quorum, qui præcipui ſunt, vocantur nobiles, qui quaſi baronum, aut patritiorum loco habentur.

Alii vocantur lingua eorum Lófü Székelyek ipſi latine primipilos vocant, qui quaſi equeſtris

ſunt ordinis, reliqui ſunt ceu plebei, omnes tamen, ut dictum eſt, nobiles.

Tenentur viritim (ut dicitur) Regem in bellum ſequi, & gratis militare per menſem, expleto vero menſe, ſi non confligitur cum hoſte, ipſis ſtipendia a Regibus deberi, ſi eos diutius in exercitu retinere velint.

Debent præterea centum equites de numero eorum aſſidue manere in curia Regis, per vices tamen, ter in anno mutatione facta.

De vulgo nobilium Siculorum, qui ſunt poſtremi ordinis, tenentur ſinguli, qui boves habent, dare Regi ſingulos boves tempore coronationis, nuptiarum, & cum Regi naſcuntur filii. Signaturam boum vocant propterea, quod boves dati continuo ſignantur, per impreſſionem ſigni, quod repræſentat primam literam comitatus in quo exiguntur.

De modo exigendi concluditur cum ipſis in congregatione eorum generali, in qua ſignatura boum petitur, & decernitur. Eſt in more, ut ei, qui bovem dat Regi, permittatur optio & facultas eligendi aliquos boves pro ſe antequam Exactor Regis delectum facere poſſit. Quot autem cuiquam liceat eligere, ſtatuitur in dicta congregatione pro numero boum, quos habet; qui quatuor tantum habet, is deligit duos, Exactor Regius ex reliquis duobus, unum, quem vult, ſummit, ſi duos tantum habet, adjunguntur his alii æquivalentes duo alterius Siculi, qui ſimiliter non plures duobus habet, & ex his eodem modo Siculus deligit duos, ex aliis duobus Regius Exactor unum capit. Cogitur autem quisque Siculus ſub juramento omnes boves ſuos tempore ſignaturæ exactoribus præſentare.

In-

Digitized by Google

Inolevit mos malus, & Regibus in ſignatura boum, valde damnoſus inter Siculos, quod Siculi potentiores, qui vocantur nobiles, & Loſu Székelyek, multos de reliquo vulgo Siculorum, qui ad contributionem boum tenentur, non tam pro bono illorum, quam pro ſuo proprio commodo, eximunt a tali contributione hoc prætextu, quod in eorum ſolo habitent, & ſint clientes ipſorum, de quo nocivo more abrogando, non tam dictam ob cauſam, quam ob alios certos reſpectus erit cogitandum.

XXV.
ELENCHUS CRONOLOGICUS.

Monumentorum literariorum Chartophylacii Verantiano - Draganichiani, jam Grammatophylacii Széchényiani.

N.— An.

1 — 1529. Capituli Budenſis teſtimoniales ſuper faſſione Lud. de Thomor, qua Michaelem Wrantium de Sibenico procuratorem conſtituit ad levandos 200 florenorum auri Hungarici ex banco Pauli Grimaldi a Magnifico Domino barone Burgii, quos idem levaverat a RR. quondam domino Paulo de Thomor Archiepiſcopo Colocenſi, Budæ d. 5. Martii anno 1529.

2 — 1534. Joannis Regis literæ credentionales, & reſpective ſalvi conductus penes Antonium Wrantium, præpoſitum Budenſem & Secretarium ſuum ad Regem

N. — An.

Franciæ expeditum nuncium, ad Gyaſſerbeeg Zanchacum de Zwoynyk directæ. Dat. Budæ d. 25. Julii 1534.

3 — 1534. Ejusdem Regis aliæ ſalvi conductus literæ, ejusdem tenoris, penes eundem Antonium Wrancium ad Huzreſſbeeg Samandriæ & Belgradi Zanchacum dat. ibid. eod.

4 — 1540. Antonii Verantii epiſtola ad Joannem Statilium Epiſ. Tranſylvaniæ avunculum ſuum de obitu Joannis Regis. Dat. Albæ Juliæ VII. kal. ſextiles 1540. Vid. Scr. Rer. Hung. Min. ined. T. I. N. XIII. p. 48.

5 — 1540. Ejusdem Antonii Verantii alia epiſtola, ad eundem Joannem Statilium de iis, quæ obitum Joannis Regis ſubſecuta ſunt, Dat. Albæ Juliæ XVIII. kal. Sept. 1540. utrumque in autographa minuta.

6 — 1543. Fratris Georgii prorogatoriæ cauſæ inter Mich. Wranczy, And. Barchay, Andr. Baláthffy, & Joann. Ravazdy de Aran, controverſæ, ob ejusdem Wranczii legationem in Polonia. Dat. Albæ Juliæ fer. II. poſt dominicam Jubilate A. 1543. Orig.

7 — 1544. Literæ ſalvi conductus per Iſabellam Reginam viduam penes Mich. Wrantium aulæ ſuæ familiarem pro emendis certis rebus Venetias miſſum. Dat. Albæ Juliæ d. 20. Auguſti 1544. Orig.

Digitized by Google

N. — An.

8 — 1544. Iſabellæ Reginæ mandatum ad Leonard. Zeley Capitaneum Caſſovienſem, ut Petro & Ferd. Carthaginen. ac Mich. Verantio ad Poloniam expeditis de ſalvo conductu provideat. Dat. Albæ Juliæ, dominica poſt feſtum aſſumptionis Virg. Mariæ A. 1544. orig.

9 — 1544. Iſabellæ Reginæ ad Ant. Verancium Eccleſiæ Albæ Tranſylv. præpoſitum literæ, quibus ei de adverſa valetudine condolet, ſolatur, & licentiam dat, quandocunque in aula comparendi. Dat. Albæ Juliæ d. 12. Nov. 1544. Orig. Italice.

10 — 1549. Petri Petrowytth de Suraklyn comitis de Wnacz & comitis Themeſienſis, partium Regni Hungariæ Inferiorum Capitanei Generalis, & Bani Sebeſienſis, teſtimoniales ſuper morum integritate Ant. Verantii Præpoſiti S. Mich. Albæ Tranſylv. & Secretarii Iſabellæ Reginæ, Petri Berizlavi Epiſcopi Veſprimienſis, ac Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bani, & Joannis Statilii Epiſcopi Tranſylv. nepotis, ex Tranſylvania diſcedentis. Dat. Albæ Juliæ feſto divæ Magdalenæ A. 1549. orig.

11 — 1449. Ejusdem patentes literæ teſtimoniales, commendatitiæ, & ſalvi conductus pro eodem Ant. Verantio. Dat. Varadini d. 19. Aug. A. 1549. Orig.

12 — 1550. Nicolai Olahi Epiſcopi Agrien. Perpetui comitis Heveſien. conſiliarii, & cancellarii Regii, collationales ſuper

N. — An.

Archidiaconatu de Zabolch cum Canonicatu & Rectoratu, altaris S. Crucis in eccleſia Agrienſi, per translationem Pauli de Gregoriáncz ad Epiſcopatum Zagrabienſem legitime vacantibus, pro magiſtro Ant. Verancio Præpoſito Albæ Juliæ. Dat. Viennæ d. 9. Junii A. 1550. Orig.

13 — 1550. Ferdinandi I. Regis Hung. collationales ſuper Lectoratu, Canonicatu & præbenda eccleſiæ Strigonien. per magiſtri Clementis de Hagymás ad Lutheranam ſectam apoſtaſiam & initum matrimonium, vacantibus, pro Antonio Vrancio, alias Præpoſito Albæ Tranſylvanæ. Dat. Auguſtæ Vind. d. 10. Octob. A. 1550. Orig.

14 — 1551. Ferdinandi I. R. H. collationales ſuper Abbatia eccleſiæ B Margarethæ de Porno ordinis Ciſtercien. per ſpontaneam reſignationem Petri Kozylytth legitime vacante, pro Ant. Vrancio Lectore, & Canonico eccleſiæ Strigonien. Dat. Viennæ d. 3. Nov. A. 1551. orig.

15 — 1551. Capituli eccleſiæ Albæ Tranſylv. teſtimoniales pro Ant. Verantio, quod ibidem per Joann. de Felvincz Epiſcopum Filiopolitanenſem Canonicum, & Suffraganeum ejusdem eccleſiæ ad Presbyteratum promotus fuerit. Dat. fer. III. in feſto conceptionis B. V. M. A. 1551. Orig.

N. — An.

16 — 1553. Ferdinandi I. R. H Antonio Verantio Præpoſito Pornenſi Secretario Regio, ac Paulo literato de Palyna nunciis ſuis Budam emandatis ſcriptæ literæ, penes quas, literas ſalvi conductus a Baſſa Budenſi pro iis ſubmiſſas transmittit, & demandat, ut eo profecturi, juxta inſtructionem ſibi datam de induciis tractent. Dat. in Gratz d. 29. Mart. A. 1553. Orig.

17 — 1553. Ferdinandi I. R. H. collationales ſuper Epiſcopatu Quinque-Eccleſienſi, per mortem Georgii Thompa legitime vacante, pro Ant. Verancio Abbate de Porno cum jurepatronatus eccleſiarum & Canonicatuum, excepta Præpoſitura majori, & minori collationi Regiæ reſervatis. Dat. Viennæ d. 6. Junii. A 1553. Orig.

18 — 1553. Ferdinandi I. R. H. collationales pro Ant. Verancio Abbate de Porno ſuper Præpoſitura majori, & Canonicatu cum præbenda in eccleſia Albæ Juliæ per mortem fratris Georgii legitime vacantibus. Dat. Viennæ die 6. Junii A. 1553. Orig.

19 — 1553. Ferdinandi I. R. H. Prorogatoriæ cauſarum tam activarum, quam paſſivarum pro Ant. Verantio Epiſcopo Quinque-Eccleſ. Præpoſito majori Albæ Juliæ & Conſiliario ſuo ad Imp. Turcarum oratore miſſo, usque ad re

di-

N. — An.

ditum ejus ex eadem legatione. Dat. Viennæ d. 17. Jun. A. 1553. Orig.

20 — 1553. Franc. de Thah ſupremi regni Hungariæ Capitanei recognitionales ſuper bonis Epiſcopatus Quinque - Eccleſien. ab Ant. Verantio pro uno anno in arendam acceptis, & ſumma arendatitia coram Franciſco Zay, & Mich. Vrantio fratre Antonii: quem affinem ſuum appellat, numerata. Dat. Viennæ d. 19. Jun. A. 1553. Orig.

21 — 1553. Antonii Verantii Epiſcopi Quinque Eccleſ. Abbatis de Porno, Præpoſiti Tranſylv. & Conſiliarii Regii Plenipotentiales pro Mich. Verantio fratre ſuo Germano ad tempus ſuæ, in legatione Turcica abſentiæ. Dat. Sopronii d. 1. Julii 1553. Orig.

22 — 1553. Ferdinandi I. R. H. literæ Ant. Verantio ad Principem Turcarum deſtinato oratori ſcriptæ, quibus mandat, ut progreſſum ſuum ad eam legationem cum collega acceleret, quorum moram ægre fert. Dat. Viennæ d. 15. Julii R. 1553. Orig.

23 — 1553. Ferdinandi I. R. H. Antonio Verantio & Franc. Zay de Chemer, Nazadiſtarum Regiorum generali Capitaneo Conſiliariis ſuis literæ, penes quas eisdem mittit dupplicam literarum ad Imp. Turcarum & ipſos datarum circa moram, quæ expeditioni oratoris ſui

Jo-

N. — An.

Joan. Mariæ Malvezi interpoſita eſt. Dat. Viennæ d. 5. Dec. A. 1553. orig.

24—1553. Ferdinandi I. R. H literæ ad eosdem oratores ſuos, quibus ſignificat, ſe literas ad Imp. Turcarum Sultanum Solymanum mittere excuſatorias, quod Joann. Mar. Malvezium ægrotantem, ob magnitudinem negotii ſerius expedire poſſit, quod item Andream Tarnoczy ad Baſſam Budenſem expediverit, ut inducias interim obſervare velit, ut nuncii hincinde ſecure commeare poſſint. Dat. Viennæ d. 5. Dec. 1553. Orig.

25—1554. Ferdinandi I. R. H. mandatum, quo Wolfg. Dersfy, arcis Zygeth Capitaneum a turbandis bonis Epiſcopi Quinque Eccleſ. Ant. Verantii in legatione Turcica abſentis inhibet. Dat. Viennæ d. 18. Febr. A. 1554. orig.

26—1554. Ferdinandi I. R. H. ad Ant. Verantium, & Franc. Zay legatos literæ Cryptographicæ. Dat Poſonii d. 15. Apr. A. 1554. Orig. perc. Conſtantino. d. 11. Jun.

27—1554. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 21. Jun. perc. Conſtantinopoli d. 7. Aug. 1554. Orig.

28—1554. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 2. Julii perc. Conſtantinopoli. d. 25. Aug. 1554. Orig.

29—1554. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Pragæ d. 28 Aug. perc. d. 28. Oct. 1554. orig.

Digitized by Google

N. — An.

30 — 1554. Ejusdem ad eosdem literæ, quibus ſignificat I. M. Malvezio ægrotante, ne diutius oratorem mittere moraretur, ſubſtitutum eidem eſſe Augerium a Busbeck cum inſtructione, literis credentionalibus, & tributo Tranſylvanico eorum collegam expeditum. Item: quod literas eorum diebus 4. & 9. Octobris ſcriptas cum voluptate perceperit. Dat. Viennæ d. 26. Nov. 1554. perc. Conſtantinopoli d. 20 Jan. A. 1555. Orig.

31 — 1555. Ferdinandi I. R. H. ad eosdem oratores literæ Cryptographicæ triplices, quibus adnectitur extractus querelarum de violentiis Baſſæ Budenſis & finitimorum. Dat. Auguſtæ Vind. d. 21. Febr. perc. d. 21. Maji 1555. orig.

32 — 1555. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ reſponſoriæ ad perceptas literas Imp. Turcarum, eorumdemque d. d. 6. & dupplicatas d. 8. Febr. ne ſe ſinant ſeparari. Quod Dely Sabacz facultatem obtinuerit repreſſalium in cauſa debiti heredum Nic. a Salmis. De conſtituendis Commiſſariis, in injurias confiniariorum inquiſituris. De violentiis Turcarum. De captivitate filii Chauzii. De providendo viatico, per eos commendato Stephano Nagy tabellario. Dat. Augſtæ Vind. d. 29. Mart. perc. Conſtantinopoli d. 24. Jun. 1555. Orig.

Digitized by Google

N. — An.

33 — 1555. Ejuſdem ad Ant. Verantium, & Franc. Zay literæ, penes quas mittit ſuas literas ad Imp. Turcarum, & Busbequium brevi ſecuturum ſcribit. Dat. Viennæ d. 25. Octob. perc. Conſtantinopoli d. 4. Dec. 1555.

34 — 1555. Ejuſdem Inſtructio pro R. Devoto, Magnif. & nobile, fidelibus nobis dilectis: Ant. Verantio Epiſcopo, Quinque Eccleſienſi, Præpoſito Pornenſi, & Franc. Zay de Chemer, generali Nazadiſtarum noſtrorum Capitaneo, nec non Augerio a Busbeck, noſtris Conſiliariis & Oratoribus ad Sereniſ. ac Potentiſ. Imp. Turcarum expeditis, ad cujus præſcriptum ſe ſe in declaranda Magnitudini ejus voluntate noſtra, in negotio reſtitutionis Tranſylvanienſis, & proſecutione cœptorum cum Magnitudine ejus pacis tractatuum, accommodare, & gerere debebunt. Et quæ præterea Augerio ipſi ſoli, in tranſitu apud Baſſam Budenſem agenda, & exequenda erunt. Dat. Viennæ d. 14. Nov. A. 1555. orig. ſine ſigillo.

35 — 1555. Prima actio Conſtantinopoli, ſive narratio nunciorum de iis, quæ in ſua legatione egerunt, per modum relationis ad Ferdinandum Regem. Eſt conceptus, ſive minuta originalis, hinc inde manu Ant. Verantii interpolata, ſed ſine dato.

N. — An.

36 — 1556. Ferdinandi I. R. H. ad ſuos Conſtantinopoli Oratores literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 3. Febr. perc. Conſtantin. d. 6. April. 1556. Orig.

37 — 1556. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 19. Mart. perc. Claudiopoli d. 15. Maji 1556. Orig.

38 — 1556. Ejusdem ad eosdem literæ, quibus queritur de violentiis, per Sanchiacos, & alios officiales Confiniarios contra inducias exercitis, de quibus ab Imp. Turcarum nullam reſolutionem accepiſſet; mandat proinde, ut horum medelam apud Portam adurgeant. Dat. Viennæ d. 27. Mart. Appulſæ d. 29. Apr. perc. Conſtantin. d. 3. Maji. 1556. Orig.

39 — 1556. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 27. Mart. perc. Conſtantin. d. 1. Maji 1556. Orig.

40 — 1556. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ Dat. Viennæ d. 15. Jun. perc. Conſtantin. d. 9. Jul. 1556. Orig.

41 — 1556. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 15. Aug. perc. d. 2. Oct. 1556. Orig.

42 — 1556. Ejusdem Poſt-ſcripta æque Cryptographica literis præcedentibus adnexa. Dat. Viennæ d. 9. Oct. 1556. Orig.

43 — 1557. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Ratisbonæ d. 3. Mart. perc. Conſtantin. d. 4. Maji 1557. Orig.

Digitized by Google

N. — An.

44 — 1557. Summa ſucceſſus ultimæ Actionis Legatorum. Ant. Verantii, Franc. Zay, & Augerii a Busbecche apud Principem Turcarum Zoleymanum habitæ menſe Auguſto A. 1557. ad Sacratiſſ. Regiam Maj. Dominum ſuum Clementiſſ. Relatio ſub titulo: ultima Tranſactio 1557. Conſtantinop. minuta Orig.

45 — 1557. Ferdinandi I. R. H. Literæ ad Ant. Verantium, & Franc. Zay, reduces ex Turcia Legatos, ut cum Comaromium appulerint, adventum ſuum Thomæ de Nadasd Palatino, ad Jaurinum Caſtra metanti, ſignificent, & Viennam ſine mora veniant. Dat. Viennæ d. 28. Sept. 1557. Orig.

46 — 1557. Ejusdem ad eosdem literæ Reſponſoriæ ad eorum literas d. 14. Oct. datas, ut quatuor Turcas, per Baſſam eisdem pro comitiva adjunctos Viennam deducant. Dat. Viennæ d. 16. Oct. 1557. Orig. quibus adjacet ſcheda Crytographica Poſt-ſcripta Syngkmoſeri Secretarii nomine Regis ſcripta.

47 — 1557. Ejusdem Collationales ſuper Epiſcopatu Agrienſi, per mortem Franc. ab Wylak, legitime vacante pro Ant. Verantio. Dat. Viennæ d. 19. Nov. A. 1557. Orig. Membr.

48 — 1557. Ejusdem pro eodem collationales ſuper Jure patronatus in Diœceſi Agrienſi, excepta Præpoſitura Majore, &

Ar-

N. — An-

Archi-Diaconatu de Pankota. Dat. Viennæ d. 19. Nov. 1557. Orig. Membr.

49 — 1557. Ejusdem ad Paulum Zarkandy Proviſorem, & Nic. Zekel, Caſtellanum Arcis Agrienſis mandatum, ut Ant. Verantio Epiſcopatum, & Bona collata reſignent. Dat. Viennæ d. 6. Dec. A. 1557. Orig.

50 — 1558. Maximiliani II. Regis collationales honoris Comitis Comitatus Borſodienſis pro Ant. Verantio ad beneplacitum Cæſareæ Regiæque Maj. Dat. Viennæ d. 5. Apr. 1558. Orig.

51 — 1558. Georg. Draskovich Electi Quinque-Eccleſ. qua Protonotarii Tranſumtio literarum Capituli Albenſis Teſtimonialium ſuper promotione Ant. Verantii ad Presbyteratum, fer. III in feſto Conceptionis B. V. M. A. 1551. uti ſupra ad h. a. datarum. Dat. d. 20 Aug. 1558. Membrana ſub auth.

52 — 1559. Maximiliani II. Regis ad Ant. Verantium Epiſcopum Agrienſem, Comitem perpetuum Hevelien. & Adminiſtratorem Comitatus Borſodien. mandatum, ut informet, an inter pedites Agrien. aliquam mutationem inducere intendat, ad communicatam ſupplicationem Centurionum Franc. Gemes, & Demetrii Philippi Capitaneorum peditum arcis Agrienſis. Dat. Poſonii d. 5. Mart. Perc. 21. Mart. A. 1559.

N. — An.

53 — 1559. Ferdinandi I. R. H. ad Ant. Verantium Mandatum, ut abſoluta conſultatione, quamMaximilianusRex deRebusTurcicis cum potioribusConſiliariis Hungaricis,ad octavam Paſchatis inſtituit, ad ſe illico concedat Auguſtam Vindelicorum. Dat. ibid. d. 29. Mart. perc. Scepuſii d. 17. April. A. 1559. Orig.

55 — 1560. Ejusdem ſalvus conductus pro Mich. Verantio in Dalmatiam profecturo. Dat. Viennæ d. 21. Jun. 1560. Orig. Germ.

54 — 1561. Fauſti Verantii Epiſtola ad Ant. Verantium qua ſcribit, ſe penes Caſparem Præceptorem ſuum bene in literis proficere. Dat. Poſonii d. 29. April. 1561. Orig.

56 — 1561. Zachariæ Epiſcopi Pharenſis Pii IV. PP. Nuncii legati ad Aulam Imp. & Regis Hung. facultas legendi libros prohibitos & Hæreticos, ac recitandi cum aliis horas Canonicas, Epiſcopo Agrienſi (Ant. Verantio) conceſſa. Dat. Pragæ VI. Id. Octobr. A. 1561. Membrana Orig.

57 — 1562. Maximiliani II. R. ad Ant. Verantium reſponſum ad literas ejus d. 15. & ultima Maji, ac 4. Junii ſcriptas, ut Szigethienſes Agriæ ſerviant quieti; de Turcarum conatibus; de mittendis Agriam commiſſariis; de duellis cum Turcis interdictis. Dat. Viennæ d. 2. perc. Agriæ d. 22. Julii A. 1562. Orig.

Digitized by Google

N. — An.

58 — 1563. Ejusdem ad eundem literæ, quibus petit informari de ſale Nitri in Debreczen cocti, quomodo poſſit obtineri. Mandat, ut armamentarii Agrienſis Inventarium conficiat, ejusque unum par Vito Penninger, illius præfecto, aliud vero conſilio bellico tradat, & aditum ad Armamentarium aliis intercludat. Dat. Viennæ d. 2. perc. 29. Aprilis 1563. Orig.

59 — 1563. Ejusdem ad eundem literæ, quibus petit, ut impediat, quo minus Thomas Baxay miles Agrienſis Sophiam Patoczy conſortem Georg. Bebeky in bonis Gagy, eidem Bebeky collatis moleſtet, ad viam juris illum relegando. Dat. Viennæ d. 25. Maji 1563. orig.

60 — 1563. Ejusdem ad eundem literæ, penes quas eidem communicat Mandatum Joannis II. R. ad Barb. Balaſſa relictam, & Valent. filium Joan. Therek de Enyngh, ut in Comitiis Thordæ in feſto SS. Trinitatis celebrandis literas inſcriptionales ſuper oppido Debreczen ſibi datas adferant, ut illud ad ſe redimere poſſit. Dat. ex clauſtro Zenthmihalkove d. 25. Maji 1563. & petit ad inſtantiam Franc. Therek de Enyngh informari, an oppidum Debreczen Joannis Zapolyæ reipſa hereditarium ſit, an item, & quomodo redemtio per eum denunciata impediri poſſit, vel debeat. Dat. Viennæ d.

27.

N. — An.

27. Junii, perc. 10 Julii, A. 1563. Orig.

61 — 1563. Ferdinandi I. Imp. & R. Tranſactio cum Ant. Verantio de Epiſcopatu Agrienſi, tam quoad arcem, & oppidum, quam quoad decimas. Dat. Viennæ kal. Dec. 1563. Orig. Regeſtr. f. 98.

62 — 1563. Ejusdem Collationales ſuper Præpoſitura B. V. M. de Thurocz per mortem Joannis Colosvarienſis Epiſcopi Chanadienſis legitime vacante pro Ant. Verantio. Dat. Viennæ d. 13. Dec. A. 1563. Orig.

63 — 1566. Maximiliani II. Imp. & R. ad Ant. Verantium Epiſcopum Agrienſem, & Chriſtoph. a Teuffenbach Conſiliarios ſuos mandatum, ut juxta aliud mandatum d. 15. Junii ſemet celerrime ad legationem Turcicam cum muneribus jam paratis accingant. Dat. Poſonii d. 17. Perc. 18. Jun. 1566. Orig.

64 — 1566. Joach. Camuglia Dalmatæ ad Ant. Verantium Epiſtola Reſponſoria ad illius epiſtolas diebus 15. Mart. & 4. Junii de quibusdam ſolutionibus & negotiis privatis ſcriptas. Dat. Agriæ d. 16. Jun. 1566. Orig. Ital.

65 — 1567. Muſtapha Baſſæ Budenſis, Locumtenentis Turcarum Imp. in Hungaria literæ ad Joan. Trautzon Rom. Imp. ſupremum legatum & oratorem reſponſoriæ ad ejus literas d. 4. Jun. ſcriptas, quod Antonius Verantius &

N. — An.

Chriſtoph. Teuffenbach Oratores ad Portam ſecure cum muneribus & comitiva, a ſe adjungenda proficiſci poſſint. Dat. Budæ d. 4. Jun. 1567. Orig. Hung.

66 — 1567. Caroli Archiducis Auſtriæ literæ ſalvi conductus pro Mich. Verantio in Dalmatiam profecturo. Dat. Viennæ d. 9. Jun. 1567. Orig. Germ.

67 — 1567. Maximiliani II. Imp. & R. Informatio pro rev. devoto, ac nobile, fidelibus nobis dilectis Ant. Verantio Epiſcopo Agrienſi & Chriſtoph. a Teuffenbach in Mayrhoffen Conſiliariis & Oratoribus noſtris ad Sereniſ. Imp. Turcarum, vicinum & amicum noſtrum honoratum deſtinatis: de his, quæ apud ſpect. ac magnif. virum ſincere nobis dilectum Muztapha Baſſam dicti Sereniſ. Turcarum Imp. Budæ Locumtenentem ägere, & tractare debebunt. Dat. Poſonii d. 23. Jun. 1567. Orig.

68 — 1567. Ejusdem Diploma Plenipotentiæ pro Ant. Verantio, & Chriſtoph. a Teuffenbach Oratoribus ſuis ad Sultanum Selymum pro pace cum eodem ineunda miſſis Dat. Poſonii d. 23. Jun. 1567. copia.

69 — 1567. Ejusdem Inſtructio, ad cujus præſcriptum R. Antonius Epiſcopus Agrienſis ac nobiles Albertus de Wyſs, & Chriſtoph. a Teuffenbach in Mairhoffen Conſiliarii & Oratores noſtri fideles nobis

N. — An.

bis dilecti ſe ſe in obeunda infraſcripta legatione apud Sereniſ. Principem D. Sulthanum Selymum Turcarum, ac Aſiæ & Græciæ &c. Imperatorem vicinum & amicum noſtrum honoratum, ac Ill. ſpect. & magnif. viros, Mehmet, & reliquos Baſſas Conſiliarios illius accommodare debebunt. Dat. Poſonii d. 25. Jun. 1567. Orig.

70 — 1567. Ejusdem memoriale eorum, quæ R. devoto Ant. Verantio, Epiſcopo Agien. ac nobilibus Alb. de Wyſſ, & Chriſtoph. a Teuffenbach in Meurhoffen, noſtris Conſiliariis & Oratoribus ad Sereniſ. Imp. Turcarum deſtinatis fidelibus, ultra negotium illud principale, de quo ſeparatam illis inſtructionem dedimus, curanda, & exequenda erunt. copia.

71 — 1567. Verzeichnis, wie hoch ſich die Türkiſche Verehrung und Fertigung, welche anjetzo hierin geen Conſtantinopel bey Hr. Biſchoff von Erlau, und dem von Teuffenbach verwenden ſoll werden, erſtreken werdet, und was dem Türkiſchen Kaiſer, und dem Wáſcha unterſchiedlich überantwort, ſoll werden. RR. Epiſcopo Agrienſi exhibendum Orig. perc. Poſonii d. 26. Jun. 1567. Paratæ pecuniæ 30000 aureorum, ſeu ducatum ab uno, & dimidio tallero computando 45000

N. — An.

Tallerorum. In toto ſola parata pecunia efficit ultra 70000 Talerorum.

72 — 1567. Sequitur conſignatio pecuniæ paratæ, vaſorum argenteorum & horologiorum RR. D. Ant. Verantio Epiſcopo Agien. atque nobili ſtrenuoque D. Chriſtoph. a Teuffenbach ambobus Conſiliariis S. C. Maj. ex ejusdem decreto & commiſſione ad inſtitutam in Turcicum Imperium legationem per me Andr. Schmätterl ſolutionum bellic. Hung. Regnum attinentium magiſtrum adminiſtratorum & traditorum conteſtante ſubſequentis ſeriei tenore. Actum Poſonii 28. die Junii A. 1567. Orig. ſumma paratæ pecuniæ & pretium vaſorum argenteorum & horologiorum comprehenſim conſtitit 97333 Rh. fl. 56. cruc. 3. den.

73 — 1567. Conſignatio omnium honorariorum, in quantum nimirum ſe extendant jam Conſtantinopolim ad Turcicum Imp. & Baſſas, per D. Agrienſem Epiſcopum, & D. de Teuffenbach ferendorum, ac diſcrete Turcarum Imp. & Baſſis per eosdem legatos adminiſtrandorum.

74 — 1567. Maximiliani II. Imp. & R. Aſſecuratoriæ pro Ant. Verantio ad periculoſam legationem Turcicam ituro, de conſanguineis ejus gratia & beneficiis Regiis proſequendis. Dat. Poſonii d. 29. Jun. 1567. Orig.

N. — An.

75 — 1567. Ejusdem pro eodem ſacultas de bonis ſuis teſtamento diſponendi. Dat. Poſonii die ultima Junii 1567. Orig.

76 — 1567. Ejusdem ad Oratores ſuos in Turciam ablegatos literæ, quibus adjunctis relationibus de hoſtilitatum rumoribus mandat, ut Baſſæ Budenſi in tranſitu hoc ipſum pro ponendo remedio exponant, qui ſi non fecerit, Imperatori Turcarum deferant. Dat. Poſonii d. 3. Jul. perc. Comaromii d. 4. Jul. 1567. Orig.

77 — 1567. Ejusdem ad eosdem mandatum, ut nulla Comaromii mora protracta, in itinere properent. Dat. Poſonii d. 4. perc. Comaromii d. 5. Julii A. 1567. Orig.

78 — 1567. Ejusdem reſcriptum ad literas eorumdem d. 3. Julii ſcriptas, erga quas pro Præfecto Strigonienſi duas cuppas argenteas valoris 300 fl. muneri dandas mittit, & iter, miſſo illis etiam curru, accelerare mandat. Dat Poſonii d. 5. perc. Comaromii d. 6. Julii 1567. Orig.

79 — 1567. Ejusdem mandatum ad eosdem, ut ſuo nomine Baſſam Budenſem ibidem conſervandum Turcarum Imperatori commendent. Dat. Poſonii d. 17. Julii, perc. 6. Aug. 1567. Orig.

80 — 1567. Ejusdem reſcriptum ad binas eorumdem literas, Budæ d. 12. Julii ſcriptas. Probat, quod Præfecto Strigonien-

N. — An.

nienſi, qui ſecum loquendi eisdem copiam non fecit, munus non tradiderint. Laudat Baſſam Budenſem, & ut ibidem conſervetur, ſuo nomine Turcarum Imperatori commendandum iterum mandat. Mittit pro Nuncio a Baſſa Budenſi Viennam expediendo literas ſalvi conductus. Excuſat, quod Comes Eggius a Salmis ſupremus Capitaneus Jaurinenſis, & alii quidam circa Papam, Veſprimium & Palotham cum gentibus convenerint, cum rumor fuerit Sanziacum Albenſem aliquid hoſtilitatis moliri. Probat etiam cetera oratorum acta. Dat. Poſonii d. 23. Julii perc. in Tatarpazarchyth d. 7. Aug. 1567. Orig.

81 — 1567. Tributum Conſtantinopolitanum, ſeu ſtributio munerum in Porta Ottomanica, in forma Diarii connotata a die 28. Aug. An. 1567. usque d. 17. Mart. 1568. Minuta Orig.

82 — 1567. Maximiliani II. Imp. & R. Reſcriptum ad ſuos Oratores in Turciam ablegatos, eorumque literas Belgrado d. 19. Julii, & ex Tatar-Pazarchyth d. 8. Aug. ſcriptas. Probat accelerationem itineris, ſcribit: Baſſam Budenſem Nuncium ſuum Kwrth-Agam ad ſe miſiſſe cum muneribus & petitione, ut cum Hungari ægerrime a rapinis contineri poſſint, velit loca finitima Præſidiis Germanicis firmare. Tranſylvanum,

N. — An.

num, & Turcas in partibus Sclavonicis violentias inferre. Dat. Viennæ d. 30. Aug. perc. Conſtantinopoli 12. Oct. 1567. Orig.

83 — 1567. Ejusdem ad eosdem literæ, penes quas Querelas nuperrime ad S. C. ac Hung. & Boh. &c. Regiam Maj. perlatas de variis injuriis, ac violentiis, quæ ſubditis, atque militibus Cæſ. Maj. tempore præſentium induciarum illatæ fuiſſe perhibentur, hiſce accluſas, pro quærendo remedio communicat. Dat. Viennæ d. 1. Sept. perc. Conſtantinopoli d. 12. Oct. 1567. Orig.

84 — 1567. Ejusdem ad eosdem literæ, penes quas communicat dupplicam literarum ad Baſſam Budenſem a ſe datarum, & ſcribit, ea ſibi grata fuiſſe, quæ unus eorum, Albertus de Wyſs d. 11. Julii ad ſe perſcripſiſſet. Dat. Viennæ d. 3. Sept. perc. Conſtantinopoli d. 11. Dec. 1567. Orig.

85 — 1567. Ejusdem ad eosdem literæ, quibus ſcribit, ſibi per Lazarum Schwendi ſignificatum eſſe, Præſidiarios Onodienſes, facta excurſione ad Oppidum Thur, ibi Greg. Bethlen Nuncium Joan. junioris Zapolyæ interfectum, Chauſium autem Imp. Turcarum captum, & alias violentias exercitas eſſe præter ſcitum, & voluntatem ſuam. Quæ res, ne contra inducias facta eſſe explicetur, jubet Oratores excuſare, & a ſe o-

omnem

N. — An.

nem ſatisfactionem impenſum iri promittit, communicando literas ea de re ad Baſſam Budenſem a ſe ſcriptas. Dat. Viennæ d. 19. Sept. pere. Conſtantinopoli d. 12. Dec. 1567. Orig.

86 — 1567. Ejusdem ad eosd. literæ Cryptogr. Dat. Viennæ d. 28. Sept. 1567. Adnectitur ad eosdem mandatum, ut pro Nicolao Franc. filio Gabr. Doczy, in exercitu Archiducis Caroli capto, & Conſtantinopoli detento, eliberando laborent. Orig.

87 — 1567. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 4. Oct. 1567. Adjungitur his quoque aliud ſimile mandatum, de eliberando Joanne filio Adami Gall in Losdorff, alias apud Nic. Zrini militante, in expugnatione Szigethi capto, primum Conſtantinopoli, deinde in Civitate Burſia apud Begum Mehemeth Tschelebi in compedibus detento, Orig.

88 — 1567. Ejusdem ad eosdem Literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 4. Oct. 1567. quibus iterum adjacet mandatum de eliberando Lad. Guſith filio Cathar. viduæ captivo ad Triremes redacto, pro quo Capitaneus illius Joannes Cruſyth Alberto de Wyſs e proprio 130. Ducatos depoſuit. Orig.

89 — 1567. Ejusdem ad eosdem mandatum, ut Albertus de Wyſs, Gaſparem Guſpary ad Gerbas captum, & Conſtantinopolim abductum eliberet; item Hiſpanum Lope-

cotan

N. — An.

cotan Carauayal Capitaneum peditum Regis Hiſpaniæ, in conflictu ad Moſtogan captum, poſt octo annorum captivitatem apud Vice-Regem Algirienſem, Imperatori Turcarum dono datum. Dat. Viennæ d. 17. Nov. 1567. Orig.

90 — 1567. Ejusdem ad eosdem Reſcriptum quoad diruendas Arces, & Caſtra Tata, & Veſprimium; de poſitione limitum, & diviſione villarum communium. In Poſt-ſcriptis ſignificat, ſe literas eorum d. 4. Aug. 18. Sept. & 7. Oct. item Alb. Wyſs. d. 11. Jul. & 11. Aug. ſcriptas rite percepiſſe. Dat. Viennæ d. 22. Nov. 1567. perc. Hadrianopoli d. 13. Jan. 1568. Orig. & Copia Legator.

91 — 1567. Ejusdem ad eosdem Reſcriptum, quo ſignificat, ſe illis 2000. Ducatos pro ſumtibus per Eduard. de Proviſionali mittere, ex quibus Alberto de Wyſs 1000. Talleros numerent, reliquum, hoc eſt 1900. Coronatos per Cambium Venetum aſſignatum iri. Dat. Viennæ d. 25. Nov. 1567. Orig.

92 — 1567. Ejusdem ad eosdem literæ Cryptographicæ. Dat. Viennæ d. 24. Dec. 1567. perc. Hadrianop. d. 17. Mart. 1568. Orig.

93 — 1568. Ejusdem ad eosdem Mandatum, ut falſos rumores, quaſi arcem Huſzth, contra Joan. Sigism. oppugnare vellet, apud Portam diluant. Dat. Viennæ d.

5.

N. — An.

5. Jan. perc. Hadrianop. d. 13. Febr. 1568. Orig.

94 — 1568. Maximiliani II. Imp. & R. Oratorum ad Portam Otomanicam expeditorum Memoriale circa Subditos dedititios, tributarios, & communes Hungariæ, porrectum ſupremo Vezirio Mehmet Baſſæ Hadrianopoli d. 26. Jan. 1568. Italice. Copia manu Verantii Scripta.

95 — 1568. Eorumdem aliud ſcriptum quoad pacem cum Philippo Hiſpaniarum Rege concludendam, & obſervandam. Expoſitum oretenus hoc ſcriptum eſt D. Supremo Vezirio Mehmeth Baſſæ Hadrianopoli d. 28. Jan. 1568. Italice. Autographum Verantii.

96 — 1568. Maximiliani II. Imp. & R. Reſcriptum ad fratrem Ant. Verantii (fors Michaelem) quo ſignificat, ſe literas Oratorum ſuorum menſe Februario ſcriptas, & illius de dato 11. Febr. grato animo percepiſſe, ad quas Reſcriptum ſuum adnexum, ad eosdem promovendum eidem transmittit. Dat. Viennæ d. 4. Mart. 1568. Orig.

97 — 1568. Ejusdem ad ſuos Oratores Reſcriptum erga literas eorumdem d. 3. Apr. Comaromio ſcriptas, provocando ad ſuas d. 4. Apr. expeditas, mandat oratorem Turcicum commode deducendum & ordines jam eſſe diſpoſitos. Dat. Viennæ d. 5. Apr. perc. Comarom. d. 6.

Maji

N. — An.

Maji (indubie error ſcribentis in menſe) Orig.

98 — 1568. Ejuſdem ad eosdem Reſcriptum ad literas eorum Buda d. 29. April. ſcriptas de ſuo reditu. Mandat Oratorem Turcicum per eos usque Fiſchamundam deduci, ipſos vero inde Viennam prævie venire, deliberaturos de illius excipiendi modo. Dat. Viennæ d. 4. Maji perc. Comarom. d. 5. Maji 1568. Orig.

99 — 1568. Cardinalis Delfini Epiſtola ad Ant. Verantium gratulatoria de confecta pace, & felici reditu a Legatione Turcica. Dat. Romæ d. 4. perc. Viennæ d. 21. Sept. 1568. Italice. Orig.

100 — 1568. Cardinalis Amutii ad Ant. Verantium literæ, quibus excuſat, ſe non reſpondiſſe ad ejus literas ante iter Conſtantinopolitanum ad ſe ſcriptas, cum jam ante abitum reſponſum percipere non potuerit. Ad alteras d. 12. Julii per Franc. Diotalevi ſuum Agentem ſcriptas gratulatur de rebus feliciter confectis. Dat. Romæ d. 4. Sep. 1568. Orig. Ital.

101 — 1568. Cardinalis Alexandrini ad Ant. Verantium reſponſoriæ erga Epiſtolam d. 12. Jul. qua iter, & negotia a ſe Conſtantinopoli confecta deſcripſit, & gratias agit, pro miſſis munusculis. Dat. Romæ d. 22. Sept. 1568. Orig. Ital.

102

N. — An.

102 — 1568. Cardinalis Farneſii reſponſum ad literas Ant. Verantii, quas ſibi, & notitiam cum eodem, hactenus de nomine tantum noto, gratam eſſe ſignificat, & officia offert. Dat. Romæ d. 19. Oct. 1568. Orig. Ital.

103 — 1569. Joannis Dominici de Meldis Vicentini, Facultatis Juridicæ Patavii Rectoris, Teſtimonium, quod *Fauſtus Verantius Dalmata, habens Cicatricem in fronte* ſit eorum ſcholaris. Dat. Patavii d. 14. Apr. 1569. Impreſſum ſub auth.

104 — 1569. Maximiliani II. Imp. & R. ad Ant. Verantium mandatum, ut e veſtigio Viennam ad Aulam in arduis negotiis compareat. Dat. Viennæ d. 24. Jun. 1569. Orig.

105 — 1569. Hieronymi Ruffini ad Ant. Verantium Epiſtola officioſa. Dat. Romæ d. 17. Sept. 1569. Orig. Ital.

106 — 1569. Cardinalis Amuti ad Ant. Verantium Epiſtola officioſa. Dat. Romæ d. 17. Sept. 1569. Orig. Ital.

107 — 1569. Zachariæ Cardinalis Delphini ad Ant. Verantium Epiſtola officioſa. Dat. Romæ d. 18. Sept. 1569. Orig. Ital.

108 — 1569. Card. Alexandrini ad Ant. Verantium Epiſtola officioſa, qua ſe negotia illius apud ſanctiſſimum pro poſſe promoturum pollicetur. Dat. Romæ d. 16. Sept. 1569. Orig. Ital.

109 — 1569. Maximiliani II. Imp. & R. Collationales pro Ant. Verantio ſuper Archiepiſcopatu

Digitized by Google

N. — An.

patu Strigonienſi. Dat. Poſonii d. 17. Oct. 1569.

110 — 1569. Ejusdem Collationales pro eodem Ant. Verantio ſuper Jure patronatus Eccleſiarum in Archidiœceſi Strigon. Dat. Poſonii d. 17. Oct. 1569.

111 — 1569. Patriarchæ Venetiarum Epiſtola ad Ant. Verantium, qua ſe ex Epiſtola Maſcini Fracaſſi magno cum ſolatio intellexiſſe ſcribit, gratulaturque, Verantium Strigonienſem Archiepiſcopum denominatum eſſe. Dat. Venetiis d. 5. Nov. 1569. Orig. Ital.

112. — 1569. Zacharias Card. Delphini gratulatur, in Dieta Hungarica Verantium Archiepiſcopum Strigonienſem nominatum eſſe, dolet tamen, in eadem contra ſe immeritum tumultuoſos clamores excitatos fuiſſe, ſua proinde negotia commendat, & mutua officia promittit. Dat. Romæ d. 12. Nov. 1569. Orig. Ital.

113 — 1569. Mantuæ Ducis ad Ant. Verantium officioſæ fidei literæ penes Andreaſſy, ſuum apud aulam Cæſaream Nuncium. Dat. Mantuæ die ultima Nov. 1569. Orig. Ital.

114 — 1569. Zachariæ Card. Delphini reſponſoriæ ad binas literas Ant. Verantii quibus illi pro cura rerum ſuarum gratias agit, & commendat negotium Epiſcopatus Jaurinenſis. Dat. Romæ d. 16. Dec. 1569. Orig. Ital.

115.

N. — An.

115 — 1570. Sigismundi Auguſti Poloniæ Regis ad Ant. Verantium commendatitiæ literæ penes Georg. Faby Archidiaconum Coloſienſem & Canonicum Lauretanum ut eum apud Imp. ſua interceſſione protegat. Dat. Varſaviæ d. 19. Jan. 1570. Orig.

116 — 1570. Maximiliani II. ad Ant. Verantium Archiepiſcopum, & Comitem Strigon. & Hontenſem perpetuum. Reſcriptum ad ejus literas die 4. Mart. ſcriptas, quibus eum de rebus Tranſylvanicis edocuerat. Dat. Pragæ d. 21. Mart. 1570. Orig.

117 — 1570. Ejusdem ad Ant. Verantium Reſcriptum, quod Georgium Faby Dalmatam, ab eo, & Rege Poloniæ ſibi commendatum, ad beneficia promovere non poſſit, tamquam exterum, vagum, & ſuſpectum. Monet autem, ut memor conditionis, in collationalibus ſuper jurepatronatus adjectæ, ne exteros Italos, præſertim Dalmatas Venetis ſubjectos ad beneficia promoveat, quo Regnicolis via querulandi adimatur, & Capitulum abſque turbis in quiete maneat. Dat. Pragæ d. ultima Mart. 1570. Orig. perc. Poſonii d. 7. April.

118 — 1570. Ejusdem ad eundem Ant. Verantium Reſcriptum, quo ad illius ſupplicationem pro nepote ſuo (fauſto Verantio) ut illi Præpoſitura Thuroczienſis conferatur, cum aliqua inculpatione præ-

de-

Digitized by Google

N. — An.

deceſſoris ſui Primatis, cui Præpoſitura illa invito ademta, & Verantio, tunc Epiſcopo Agrienſi, beneficiis deſtituto collata fuit, interpoſitam; nunc nepoti ejus eandem conferri non poſſe, verum Verantii ſucceſſori proxime nominando iterum conferri debere. Juvet interim nepotem ſuum, qui alioquin ſtudia nondum abſolvit, neque ſacris initiatus eſt, ex aliis beneficiis in Eccleſia ſua ſufficientibus, cui, ſi dignus viſus fuerit, Rex deinde providendi occaſiones habebit. Poſtremo hortatur, ut Præpoſituram illam Cameræ reſignet. Dat. Pragæ d. 4. Apr. 1570. perc. Poſonii d. 12. Apr. Orig.

119 — 1570. Ejusdem literæ ad Ant. Verantium, quibus eum invitat pro celebranda deſponſatione Annæ filiæ ſuæ cum Philippo Hiſpaniarum Rege. Dat. Pragæ d. 15. April. 1570. Copia.

120 — 1570. Ejusdem ad eundem Ant. Verantium Mandatum, ut quoniam Carolum Archiducem fratrem loco ſui Viennæ ad tractanda negotia reliquit, & penes illum ex Conſiliariis Prælatis Hung. nonniſi Epiſcopi Quinque - Eccleſien. & Tinninien. ſint, iique adhuc inexperti, Verantius quoque ibi per duos menſes reſideat, de cujus expenſis diurnis Camera providebit. Dat. Pragæ

N. — An.

d. 21. perc. Tyrnaviæ d. 28. Maji 1570. Orig.

121 — 1570. Mantuæ Ducis ad Ant. Verantium literæ, quibus eidem pro equo barbaro dono ſibi miſſo gratias agit. Dat. Revero. d. 28. Jul. 1570. Orig.

122 — 1570. Caroli Archiducis ad Ant. Verantium Mandatum, ut opinionem depromat; quomodo de rebus Turcicis tam in vicinitate, quam Conſtantinopoli major, & accuratior certitudo haberi poſſit, ne deinceps, ut antea in incertos exploratores magni ſumtus fruſtra profundantur. Dat. in Nova civitate Auſtriæ d. 1. perc. Wywar d. 5. Sept. 1570. Orig.

123 — 1570. Muſtaffa Baſſæ Budenſis ad Ant. Verantium Requiſitoriæ ne Maruſienſes, oves depellentes detineri curet, cum ad ſuam ditionem pertineant. Dat. Budæ d. 12. Sept. 1570. Orig. Hung.

124 — 1571. Ant. Verantii Patentes pro Mich. Lyndvenſi in Adminiſtratorem bonorum Wywarienſium, ubicunque ſituatorum conſtituto, quem pro tali ab omnibus agnoſci vult. Dat. Poſonii d. ultima Januar. 1571. Orig.

125 — 1571. Guilielmi Epiſcopi Olomucenſis ad Ant. Verantium, quod Balthaſarem Concionatorem, quem petit, velut Eccleſiæ Olomucenſi obligatum, per Petrum Illicinium a Tyrnavienſibus conductum, & a ſe Canonicum, Cuſtodem, & Paro-

N. — An.

rochum Olomucenſem creatum, amplius remittere nequeat. Dat. Olomucii d. 7. Julii 1571. Orig.

126 — 1571. Epiſtola ad Fauſtum Nepotem Tyrnaviam directa, qua ſignificat illi ſe 50. taleros pro veſtibus mittere, ſemperque illius curam habiturum, ſi in virtutibus & literis profecerit. Dat. Wywarii d. 10. Jul. 1571. Autographa.

127 — 1571. Caroli Archiducis literæ ſalvi conductus pro Fauſto Verantio Venetias ituro, & redituro. Dat. Viennæ d. 3. Sept. 1571. Orig. Germ.

128 — 1572. Maximiliani II. Imp. & R. Reſcriptum ad literas Ant. Verantii d. 21. Febr. ſcriptas, quod libenter intellexerit, Status & OO. jam tanto numero ad comitia conveniſſe; filios ſuos hac ipſa hora verſus Mayerheks proficiſci, & cras circa horam 2. Poſonium perventuros: modum, eos excipiendi, per Verantium præſcriptum approbari. Dat. Viennæ d. 22. Febr. perc. Poſonii d. 23. 1572. Orig.

129 — 1572. Michaelis Lyndvenſis ad Ant. Verantium literæ, quibus ſcribit ſemet commiſſiones & quietantias erga remiſſionem ſubmittere. Orales commiſſiones eſſe. 1. Decima Poſs. Naghlean in Diſtrictu Tapolchan detur condam Perſonali præſentiæ. 2. Decimæ Poſſes. Zenth-Pál & Ekkel D. Magiſtro And. Zazy 3. Michaeli Beyczy in ejus eli-

N. — An.

berationem Decima ad valorem 50. fl. 4. Andreæ Zewleſy Aſſeſſori ſedis Jud. Suæ Maj. 25. metretæ Poſon. ex tritico 5. Tonſoribus, curantibus læſos a Suranienſibus pedites & colonos, ſatisfiat, & tritico provideatur. 6. Vincentio Cubiculario 400 fl. 7. Joanni Nagh Officiali in Zewles 247. f. 61. d. Se hoc anno adminiſtraſſe 7125. f. 83. d. Lamentatur deinde, audiri: nullum Officialem cum Verantio conveniſſe, vel convenire poſſe, ſeque incertum eſſe de ejus ſervitio, cum tamen ipſe honeſto Protonotariatus Officio illius cauſa valedixerit. Dat. in Kerthwelyes d. 6. April. 1572. Orig.

130 — 1572. Maximiliani II. Imp. & R. Regales, quibus Ant. Verantium ad comitia Poſonii pro feſto Nativitatis B. V. M. celebranda evocat. Dat. Viennæ d. 23. Jun. perc. ibid. d. 9. Jul. 1572. Orig.

131 — 1572. Ejusdem Diploma ſuper collata Locumtenentia in Regno Hung. Antonio Verantio Dat. Viennæ d. 24. Jun. 1572. Copia.

132 — 1572. Cardinalis Ceſi ad Ant. Verantium Reſponſoria, quod multo plura, quam præſtiterit, pro eodem facere optaſſet. Dat. Romæ d. 1. April. 1572. Orig.

133 — 1572. Ant. Verantii Oratio, qua nomine omnium Ordinum, & SS. Regni Hung. Rudolphum Archiducem Auſtriæ venientem Poſonium, ad ineundam coro-

ro-

Digitized by Google

N. — An.

ronationem excepit d. 21. Sept. 1572. Venetiis apud Franc. Rampazaba 1572. Reimpreſſa eſt ibidem 1793. & in Belii Hung. Nov. T. I. p. 480.

134 — 1572. Articuli Decretales Diætæ Poſonienſis A. 1572. Dat. Poſonii d. 15. Octob. ſcripti ſub auth.

135 — 1572. Maximiliani II. pro Anton. Verantio Compulſorium ad Comitatus Strigon. Poſon. Nitrien. Barſien. Honten. & Comaromien. Dat. in Al - Zaz d. 4. Nov. 1572. Orig. indubie Protonotarii Andr. Zazy.

136 — 1572. Maximiliani II. Imp. & R. ad Gregorium XIII. PP. literæ, quibus Ant. Verantium in Cardinalium numerum (quin tamen hujus dignitatis diſertam mentionem faciat) promovendum commendat. Dat. Viennæ d. 2. Dec. 1572. Orig. Membran.

137 — 1572. Rudolphi II. R. ad eundem Pontificem Interceſſionales pro eodem, nulla itidem Cardinalatus expreſſa facta mentione. Dat. Viennæ d. 2. Dec. 1572. Orig. Membr.

138 — 1572. Ejusdem ad Philippum S. R. E. Tit. Sanct. Xyſti Presbyterum Cardinalem Buoncampagno literæ, quibus petit, ut commendationem ſuam pro Ant. Verantio, ad dignitatem Cardinalitiam evehendo, promoveat. Dat. Viennæ d. 2. Dec. 1572. Orig.

Digitized by Google

N. — An.

139 — 1572. Maximiliani II. Imp. & R. Reſcriptum ad literas Ant. Verantii d. 6. Dec. ſcriptas, quas ſibi gratas fuiſſe profitetur, petitque, ut tam de Turcarum, quam aliorum æmulorum reprimendis conatibus, opinionem depromat. Dat. Viennæ d. 16. Dec. 1572. Orig. perc. Tyrnaviæ. d. 25. Dec.

140 — 1572. Cardinalis d'Auguſta literæ ad Ant. Verantium, quibus ſignificat, ſe quidem commendationem Cæſaream & Regiam ſuæ Sanctitati expoſuiſſe, eumque illam etiam ad notam ſumſiſſe, interim tamen repoſuiſſe, pro nunc non eſſe ſibi animum, aliquem ad Cardinalatum promovendi. Dat. Romæ d. 18. Dec. 1572. Orig. Ital.

141 — 1572. Philippi Boncompagni Cardinalis ad Sereniſſ. Hung. Regem literæ, quibus reſpondet, ſe omnimode acturum, & ſperare futurum eſſe, ut ſummus Pontifex, habita ratione Cæſareæ, & Regiæ commendationis ſuo tempore Ant. Verantio ſummam dignitatem conferat, nulla itidem facta expreſſa Cardinalatus mentione. Dat. Romæ d. 24. Dec. 1572. perc. d. 14. Jan. 1573. Orig. lat.

142 — 1573. Maximiliani II. Imp. & R. Diploma ſuper honore ſupremi Comitis Comitatus Hontenſis Ant. Verantio ad beneplacitum ſuum collato. Dat. Viennæ d. 9. Jan. 1573. Orig.

143

N. — An.

143 — 1573. Cardinalis Piſani ad Ant. Verantium. Reſponſoriæ ad literas d. 21. Dec. 1572. per Diotalevi Secretarium Verantii ſibi exhibitas. Profitetur id, quod pro eo in ordine ad ampliorem dignitatem evehendo feciſſet, unice meritorum, & virtutum ejus intuitu factum eſſe. Dat. Romæ d. 28. Feb. 1573. Orig. Ital.

144 — 1573. Scipionis Lanceloti Reſponſoriæ ad literas ab Ant. Verantio d. 21. Dec. ſibi ſcriptas, quibus perſcribit, quomodo Cardinalatus adurgendus ſit. Dat. Romæ d. 6. Jun. 1573. Orig. Ital.

145 — 1573. Jac. Boncompagni Reſponſoriæ ad literas Fauſti Verantii officioſæ. Dat. Romæ d. 8. Oct. 1573. Orig. Ital.

146 — 1573. S. Antinori Epiſcopi Volaterrani ad Fauſtum Verantium Reſponſoriæ, quod ejus literæ magnæ ſibi conſolationi fuerint. Dat. Florentiæ d. 14. Nov. 1573. Orig. Ital.

147 — 1573. Archiepiſcopi Colocenſis & Epiſcopi Jaurinen. literæ ad Fauſtum Verantium Reſponſoriæ ad literas ab eodem d. 28. Oct. Poſonio ſcriptas, cujus ſupplicationem in certo negotio cum Mehmet Baſſa per oratorem Conſtantinopoli commendando ſuæ Maj. exhibuiſſet, eamque id D. Fyhauſer V. Cancellario Imperiali commiſiſſe. Dat. Pragæ d. 20. Nov. 1573. Orig. Ital.

Digitized by Google

N. An.

148 — 1574. Maximiliani II. Imp. & R. Mandatum ad Steph. Feyerkevy. Veſprim. & Zachariam Moſſoczy Tinnien. Epiſcopos, aliosque executores teſtamenti Ant. Verantii, ut Turcæ Hanyza dicto, ex ſuſpicione fraudis in carceres Ujvarini conjecto pro ademtis equo & framea, ex maſſa demortui Archiepiſcopi Strigon. 50. f. dent, cui totidem, velut innocenti, ex ærario dari juſſit. Dat. Viennæ d. 3. Jan. 1574. Orig.

149 — 1574. Ejusdem literæ ſalvi conductus pro ſorore defuncti Ant. Verantii ad lares ſuos reduce. Dat. Viennæ d. 20. Sept. 1574. Orig.

150 — 1574. Steph. Radetii Epiſcopi Agrien. comitis Heveſien. & Locumtenentis Regii literæ ſalvi conductus pro Gener. & Egregio D. Fauſto Verantio cum matre (affine ſorore Ant. Verantii) & ſororibus ſuis Venetias, & in Dalmatiam proficiſcente, ac illis ibi relictis, redituro. Dat Poſonii d. 24. Sept. 1574.

151 — 1575. Vita Ant. Verantii Archiepiſcopi Strigon. ac per Hungariam Locumtenentis Regii, Autore Fauſto Verantio ejusdem Nepote ſcripta Poſonii d. 16. Sept. 1575.

152 — 1579. Steph. Feyerköy Epiſcopi & comitis Veſprimien. & Zaladien. Collationales pro Fauſto Verantio ſuper Capitaneatu & Adminiſtratoratu Bonorum Epiſcopa-

pa-

N. — An.

palium. Dat. Simegh. d. 27. Sept. 1579. Orig.

153 — 1581. Nic. de Ponte Ducis Ventiarum, ad Viſatum Juſtinianum Proviſorem equeſtrem in Dalmatia, Mandatum licentiæ pro Caſimiro Verantio inter Equeſtres milites Reip. Venetæ adlecto. Dat. Venetiis d. 29. Apr. 1581.

154 — 1582. Rudolphi II. Imp. & R. Regales, quibus Fauſtum Verantium, per Regnum Hung. Secretarium Regium, pro Diæta Poſonii d. 1. Mart. 1583. celebranda evocat. Dat. Viennæ. d. 28. Dec. 1582. Orig.

155 — 1583. Nic. Telegdini Epiſcopi Quinque Eccleſienſis, Steph. Feyerköy Veſprimien. & Zachariæ Moſſoczy Nitrien. Epiſcoporum, Comitum & Conſiliariorum Regiorum, Teſtamenti Ant. Verantii Executorum, Determinatio ſuper 600 f. Hung. ex maſſa communi pro Fauſto Verantio, & Caſimiro fratre ejusdem germano in perfectionem Fabricæ domus Poſonienſis convertendis, contra Curatores puerorum Franciſci & Ant. Verantii patruelium ſuorum deſumendis. Dat. Poſonii d. 25. Febr. 1583. Orig.

156 — 1583. Thomæ Erdödy Comitis Montis Claudii, Conſiliarii R. ad Generoſum & Egr. D. Fauſtum Verantium, Invitatoriæ pro ſuis nuptis, cum Anna Maria filia Chriſtoph. Ungnad. Comitis Comi-

Digitized by Google

N. — An.

mitatus Varasd. & Croatiæ Bani, Poſonii d. 22. Januar. A. 1584. celebrandis. Dat. Kermend d. 20. Dec. 1583. Orig.

157 — 1584. Rudolphi II. Imp. & R. Mandatum ad Fauſtum Verantium, ut quo ocyus Pragam ad Aulam veniat, cum Georg. Draskovich Archiepiſcopus Colocen. Adminiſtrator Jaurinen. eorumque locorum Comes, Conſiliarius, & ſummus Aulæ Cancellarius, ob imbecillitatem venire nequeat. Dat. Pragæ d. 4. Jun. 1584. Orig.

158 — 1584. Ejusdem ad eundem Mandatum, ut ſine mora ad ſe veniat, cum Joan. Jóo de Kazahaza alter Secretarius, & Conſiliarius penes Archiducem Erneſtum Viennæ manere debeat. Dat. Pragæ d. 19. Dec. 1584. Orig.

159 — 1585. Joannis Gritti Epiſtola ad Fauſtum Verantium, qua ſcribit ſe ſolatium accepiſſe ex promotione (ut videtur, Ant. Verantii, ſed ſero) ad Cardinalatum, ſe ad legationem Romanam iturum, ubi cum Fauſto conventurus ſit. Dat. Venetiis d. 10. Jan. 1585. Orig. Ital.

160 — 1585. Erneſti Archiducis ad Fauſtum Verantium Mandatum, ut cum Joanni Jóo Conſiliario & Secretario licentiam abſentiæ indulſerit, ipſe Viennam ad reſidendum veniat. Dat. Viennæ d. 23. Jun. 1585. Orig.

161

N. — An.

161 — 1585. Rudolphi II. Imp. & R. Mandatum ad Erneſtum Archiducem, ut Fauſtum Verantium Secretarium ad ſe mitat. Dat. Pragæ d. ultima Junii 1585. Orig.

162 — 1585. Archiepiſcopi Colocenſis ad Fauſtum Verantium literæ, penes quas transmittit Epiſtolam Diotalevii, & ſcribit, cupere ſe, ut Secretario Jóo expeditionibus non ſufficiente, ipſe quo citius veniat, interim de valetudine ſua ſcribat, Viennæ jam peſtem remittere. Dat. Viennæ d. 7. Dec. 1585. Orig.

163 — 1585. Rudolphi II. ad Fauſtum Verantium mandatum, ut cum Georgio Draskovith ad Eccleſiam ſuam abeundi licentiam conceſſerit, Verantius ad Aulam redeat. Dat. Pragæ d. ultima Junii 1585. Orig.

164 — 1586. Joannis Nagy ad Fauſtum Verantium Epiſtola de rebus Oeconomicis. Dat. Veſprimii d. 25. Oct. 1586. Orig. Hung. Item alia, ut videtur, ejusdem ad eundem, de negotiis privatis. Dat. Veſprimii d. 22. Apr. 1587. Orig. Hung.

165 — 1587. Ejusdem ad Erneſtum, ut Fauſtum Verantium, erga ejusdem petitionem, pro curandis quibusdam negotiis propriis, tantillum ad ſe Pragam dimittere velit, remittendum cum Petro Hereſſinczy, electo Epiſcopo & Comite Perp. Jaurin. ſummo per Hung. Cancella-

rio

N. — An.

rio & Conſiliario Regio. Dat. Pragæ d. 1. Sept. 1587.

166 — 1587. Ejusdem Regales, quibus Fauſtum Verantium pro Diæta Poſonii ad feſtum OO SS. ſeu d. 1. Nov. reformati Calendarii, veteris vero ad diem 22. Oct. celebrandam evocat. Dat. Pragæ. d. 12. Aug. 1587. Orig.

167 — 1587. Ejusdem ad Eundem reſcriptum, ut cum petitus Secretarius Himmelreich in negotiis Hung. verſatus, ſibi neceſſarius ſit, Verantium, non obſtante facultate abſentiæ eidem conceſſa, ad ſe Viennam evocare poſſit. Dat. Pragæ d. 27. Sept. 1587. Orig. Germ.

168 — 1590. Rudolphi II. Imp. & R. mandatum ad Fauſtum Verantium, ut literas ſigillatas Cancellariæ, quæ ab obitu Petri Hereſynzy, Epiſcopi Jaurinenſis, & Cancellarii Hung. Viennæ remanſerunt, colligere, regeſtrare, & conſervare noverit. Dat. Pragæ d. 15. Junii 1590. Orig.

169 — 1591. Ejusdem ad Erneſtum Archiducem Grationales ſuper 2000 fl. Fauſto Verantio intra quadriennium exſolvendis. Dat. Pragæ d. 9. Jan. 1591. copia Germ.

170 — 1591. Ejusdem ad Fauſtum Verantium reſcriptum, erga ſupplicationem illius pro conferendis ſibi Bonis in Dalmatia. Dat. Græcii d. 1. Mart. 1591. Orig. Germ. Adeſt etiam ſignatura, qua motiva pro im-

N. — An.

impetrandis Bonis in Dalmatia connotavit.

171 — 1591. Baronis Venceſl. Joan. de Proſzek ad Fauſtum Verantium Conſiliarium, & Secretarium Regium Epiſtola, qua ſcribit, ſe pro ejus inſtantia in conſilio bellico omnia quidem, ſed fruſtra egiſſe. Dat. Græcii d. 10. Apr. 1591. Orig. Ital.

172 — 1591. Furio Molza Referada ad Erneſtum Archiducem ratione duorum pagorum Dalmaticorum pro Fauſto Verantio. Dat. Zeng. d. 22. Maji 1591. Orig. Germ.

173 — 1591. Conſili Aulæ Bellici ad Fauſtum Verantium nomine Erneſti Archiducis Reſcriptum, quod Rex conſenſerit, ut pagi illi Dalmatici in Homagium ſuſcipiantur. Dat. Græcii d. 1. Jun. 1591. Orig. Germ.

174 — 1591. Sopronienſis Civitatis Magiſtratus ad Fauſtum Verantium mittit informationem erga mandatum Archiducis, in merito ſuſpenſionis ſententiæ contra Georg. Springeklees. Dat. Sopronii d. 16. Oct. 1591. Orig.

175 — 1591. Rudolphi II. Imp. & R. pro Fauſto Verantio Antonii ex frate nepote, Secretario Regio, Donationales ſuper caſtello Jablancz & Poſs. Gornye, & Dolnye-Zaxabye in Herczegovina, ac Dalmatia. Copia, ſed manca.

175.

Digitized by Google

N. — An.

176 — 1592. Erneſti Archiducis mandatum tertium ad generalem Capitaneum Croatiæ, ut informet in cauſa Mathiæ Kitzin & Traguriensium damnificationis, & violentiæ in pagis & diſtrictu Fauſto Verantio applacidato. Dat. Viennæ. d. 29. Jan. 1592. Copia. Germ.

177 — 1592. Colonelli Naunſeld ad Caſp. Zthankovaczky Epiſcopum Zagrabienſem Reſponſoriæ, quibus queritur contra Fauſtum Verantium. Dat. Carlovitz d. 18. Febr. 1592. Orig. Croat.

178 — 1592. Erneſti Archiducis ad Fauſtum Verantium, mandatum, ut Praga quo citius ad ſervicium ſuum Viennam redeat. Dat. Viennæ penultima Julii 1592. Orig.

179 — 1592. Fauſti Verantii ad Cameram Hung. memoriale, ne pro collatis ſibi Bonis Zelemérianis aliquid pecuniæ a ſe exigatur. Queritur item, ſibi pagos Dalmaticos, qui ſunt ſub Turcarum ditione difficulter concedi. Multa hic peregrinus iſte, negligens, & ut videtur, inquietus, impudenter allegat, quaſi gratiæ loco Regi ſerviret. Minuta Orig.

180 — 1592. Ejusdem ad ſuam Maj. humillima ſupplicatio pro relaxanda Taxa 2000 fl. pro Bonis Zelemérianis ſibi collatis dictata. Autogr.

N. — An.

181 — 1592. Rudolphi II. Imp. & R. Regales, quibus Fauſtum Verantium pro Diæta Poſonii ad diem 25. Jan. 1593. celebranda evocat. Dat. Pragæ d. 5. Dec. 1592. Orig.

182 — 1593. Electi Sirmienſis ad Fauſtum Verantium Epiſtola, qua expugnationem Siſcii per Turcos factam deſcribit. Dat. Zagrabiæ d. 6. Sept. 1593. Orig.

183 — 1594. Mathiæ Archiducis Mandatum ad Fauſtum Verantium, ut ad ſe Tyrnaviam ſine mora veniat. Dat. Jaurini d. 2. Febr. 1594. Orig.

184 — 1594. Ejusdem ad eundem Mandatum, ut ad Diætam d. 1. Junii celebrandam ſine mora compareat. Dat. in Caſtris ad Granum poſitis. d. 17. Maji 1594. Orig. Germ. Zu vorſtehender hungariſchen Landstags-Verſammlung, ſo auf den erſten Juny angeſtellet. Non ſunt autem convocatoriæ, ſed qua Secretarium evocat.

185 — 1594. Ejusdem ad eundem Mandatum, ut ad ſua Caſtra qua Secretarius absque mora compareat. Dat. in Caſtris ad Strigonium d. 16. Jul. 1594. Orig. Germ.

186 — 1594. Rudolphi II. ſalvus conductus pro Fauſto Verantio, qui officio ſponte cedens in Dalmatiam proficiſcebatur. Dat. Pragæ d. 20. Nov. 1594. Orig.

N. — An.

187 — 1594. Ejusdem pro eodem, aliæ ſalvi conductus literæ. Dat. Pragæ d. 21. Nov. 1594. Orig.

188 — 1598. Ejusdem pro eodem Collationales ſuper Epiſcopatu Chanadienſi per obitum Pauli Zegedini vacante. Dat. Pragæ d. 16. Apr. 1598. Orig.

189 — 1598. Archiepiſcopi Strig. ad Fauſtum Verantium literæ, quibus eidem Venetias perſcribit, quod die 16. Aprilis in Epiſcopum Chanadienſem denominatus & publicatus ſit. Dat. Poſonii d. 21. April. 1598. Orig.

190 — 1604. Franc. Soranzo Cancellarii legati Veneti, literæ ſalvi conductus pro Fauſto Verantio in Italiam proficiſcente. Dat. Pragæ d. 21. Febr. 1604. Orig. Ital.

191 — 1604. Articuli Diætales A. 1604. Dat. Pragæ d. 1. Maji 1604. impreſſi ſub authentico pro Fauſto Verantio expedit.

192 — 1604. Rudolphi II. Imp. & R. Regales, quibus Fauſtum Verantium Epiſcopum Chanadienſem ad Diætam Poſonii d. 6. Jan. 1605. celebrandam evocat. Dat. Pragæ d. 16. Dec. 1604. Orig. in folio complicato, non in extenſa phylera ſcriptum.

193 — 1604. Ejusdem Collationales ſuper Præpoſitura B. M. V. de Sagh per deceſſum Franc. Diotalevi vacante pro Fauſto Verantio Epiſcopo Chanadienſi. Dat. 18. Dec. 1604. Orig.

194

N. — An.

194. — 1605. Ejusdem pro eodem in Dalmatiam profecturo. literæ ſalvi conductus. Dat. Pragæ d. 5. Jan. 1605. Orig.

195 — 1605. Ejusdem pro eodem aliæ literæ ſalvi conductus. Dat. Ibid. eod. Orig.

196 — 1605. Ejusdem pro eodem Facultas, ut ubicunque reſidere velit, poſſit etiam extra Præpoſituram Saghienſem. Dat. Pragæ d. 4. Febr. 1603. Orig.

197 — 1605. Ejusdem pro eodem ſimilis Facultas absque clauſula: *in Regno noſtro Hung. Partibusque ei ſubjectis*, quæ in præcedente fuit, & Fauſti intentioni obſtabat. Orig.

198 — 1606. Steph. Illyesházy Epiſtola ad Fauſtum Verantium Romam ſcripta, qua contra Epiſcopos Micatium & Szuhay querulatur, & narrat, quid in Regno agatur. Dat. Viennæ d. 21. Jan. 1606. Orig. Hung.

199 — 1606. Fauſti Verantii ad ſummum Pontificem ſupplex Libellus, quo petit facultatem intrandi aliquem religioſum Ordinem, in quo reliquos vitæ dies in ſervitio Dei exigere poſſit, cui Sanctitas ſua annuit. d. 13. Mart. 1606. ut Card. Bellarminus ſubſcripſit. Orig. Ital.

200 — 1606. Ejusdem ad eundem alter ſupplex Libellus, ut occupata tota Hungaria a Re-

N. — An.

bellibus Hæreticis, ſibi concedat, ut in ordine F. F. S. Sylveſtri, vel de Nova Eccleſia cum illis vivere, & reliquos dies Deo ſervire poſſit. Min. Autogr. ſine dato.

201 — 1608. Ducis Urbinatis ad Fauſtum Verantium Epiſtola, qua illi concedit uſum Bibliothecæ ſuæ Piſaurenſis. Dat. Caſteld. d. 24. Jan. 1608. Orig. Ital. Adhuc illi, uti Epiſcopo inſcribit literas.

202 — 1608. Articuli Diætæ Poſonienſis Ante & Poſt-Coronationem editi. Dat. Poſonii d. 6. Dec. 1608. impreſſi, ſub authentico pro Fauſto Verantio expediti, uti videtur.

203 — 1609. Don Cosmi Doſſenii præpoſiti Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, Teſtimoniales pro RR. D. Fauſto Verantio, quod habitum ejusdem Religionis induerit, & Profeſſiodinem facere paratus fuerit, ſed expere judicatum ſit, ut in Hungariam redeat, afflicto ibi Religionis Statui utilior futurus. Dat. Mediolani d. 9. Sept. 1609. Orig. Membr.

204 — 1609. Fauſti Verantii ad Cardinalem Strigon. Epiſtola, qua ſcribit, quod ſummus Pontifex circa Præpoſituram Saghienſem, per Ruberum ſubreptitie impetratam

Digitized by Google

N.— An.

tam apud Regem ſe interpoſuerit, ut ſibi reſtituatur. Dat. Romæ d. 12. Dec. 1609. Min. autogr.

205—1610. Ejusdem ad eundem Epiſtola, qua declarat, ſe nec Profeſſionem religioſam elicuiſſe, nec Præpoſitura Saghienſi ceſſiſſe. Dat. Romæ d. 30. Jan. 1610. Cop.

206—1610. Cardinalis Strigon. ad Fauſtum Verantium reſponſum, quod Beneficia ejus, jam aliis collata, ſperare non poſſit, nec, niſi pro ſerendis litibus, ad Hungariam rediturus ſit, viderit itaque quo modo rebus ſuis conſulat. Dat. Tyrnaviæ d. 24. Febr. 1610. Orig.

207—1610. Pauli Rueber Epiſtola ad ſummum Pontificem, qua petit, ne in gratiam Fauſti Verantii Præpoſitura Saghienſi ſibi collata cedere debeat. Dat. Tyrnaviæ d. 2. Aug. 1610. Copia.

208—1610. Fauſti Verantii replica ad literas Pauli Ruberi ad Pontificem datas, qua quinque puncta contra ſe allata diluere, & evincere conatur, ſe Præpoſitura Saghienſi privari non poſſe. Copia.

209—1610. Matthiæ II. R. H. literæ ad ſummum Pontificem, quod Fauſtus Verantius ad Præpoſituram Saghienſem, a ſe derelictam,

N. — An.

ctam, & jam Paulo Rubero collatam citra convulſionem reponi nequeat, ſed patienter aliud beneficium vacaturum præſtoletur. Dat. Viennæ d. 3. Jan. 1611. Copia.

Fauſti Verantii replica ad literas Seniſs. Regis Hung. quas ad ſummum Pontificem in negotio Præpoſituræ Sághienſis dedit, quam ſerio refutare nititur, & in pluribus punctis fere aperte, falſitatis arguit. Copia. S. A. Latine & Italice.

210 — 1611. Fauſti Verantii Epiſtola ad Capitulum Strigonienſe, penes quam ſcripta, cauſam ſuam, ratione Præpoſituræ Sághienſis cum Paulo Rueber, concernentia transmittit. Dat. Romæ d. 1. Oct. 1611.

211 — 1612. Ejusdem Epiſtola ad Cardinalem Strigon. qua illi objicit, quod ab illo majori parte ea procedant, quæ intuitu Præpoſituræ Sághienſis patitur. Dat. Romæ Febr. 1612. Sed adnotat, has literas ſcripſiſſe quidem, verum nondum dediſſe. Sunt re ipſa effenſivæ.

212 — 1612. Fauſti Verantii ad ſummum Pontificem inſtantia pro reſtituenda ſibi Præpoſitura Sághienſi, qua tribus annis jam careret. Exhibita d. 3. Martii 1612. Ital. deliberatum: ut ſcribantur Brevia Regi, & Primati Hungariæ.

N. — An.

213 — 1612. Anonymi quidem, ſed ut videtur, Fauſti Verantii ad Summum Pontificem Projectum, ut in partibus Hungaricis Turcis ſubjectis, pro cura animarum ex ordine Franciſci, Epiſcopi, vel Vicarii conſtituantur. d. 21. Jun. 1612.

214 — 1612. Summi Pontificis Breve ad Mathiam Regem Hung. in negotio reponendi Fauſti Verantii ad Præpoſituram Sághienſem. Dat. Romæ d. 31. Aug. 1612. Copia.

215 — 1612. Ejusdem Breve ad Franc. Cardinalem Strigon. quo ſcribit, ſe Mathiæ Regi commendare cauſam Fauſti Verantii ratione Præpoſituræ Sághienſis, idque demandaſſe Placido Epiſcopo Melphienſi Nuncio ſuo apud Aug. Aulam agendum, quod & ipſi commendat. Dat. Romæ d. 31. Aug. 1612. Copia.

216 — 1614. Cardinalis Strigonien. Epiſtola ad Fauſtum Verantium, qua ſignificat, ad præſens nullum Beneficium pro eo vacare, ſpem tamen eſſe, recuperandæ Præpoſituræ Sághienſis, cum Paulus Rueber graviter phtyſi laboret. Dat. Viennæ d. 27. Nov. 1614. Orig.

Digitized by Google

N. — An.

217 — 1615. Petri Pazman ad Fauſtum Verantium reſponſum, quod ſerius, ob ſuam ægritudinem, reſpondeat, & apud Cardinalem effecerit, ut illius nepotulus, ſibi commendatus, inter Alumnos Tyrnavienſes ſuſcipiatur. Cum Tranſylvanis commodam Aug. Aulæ pacem concluſam eſſe. Turcarum Legatos Viennæ agere, & Cæſari munera plane Regia adtuliſſe, cum illis Cardinalem Strigonienſem, Kleſſelium, & Paulum Aponi tractare. De Præpoſitura Sághienſi, licet urgeat, ſe prope deſperare. Dat. Viennæ d. 30. Maji 1615. Orig.

218 — 1616. Ejusdem ad eundem Epiſtola, qua ſcribit, Cardinalem Strigonienſem mortuum, Sigismundum Balaſſa, ob colluſionem cum Turcis in arce Kékkeö captum eſſe. Dat. Pragæ d. 18. Jan. 1616 Orig.

Verantius extus ſequentia prophetica manu ſua adſcripſit: Queſto Gieſuita ha da eſſere adeſſo Arciveſcovo de Strigonia, & lo merita.

219 — 1616 Cardinalis Bandini ad Fauſtum Verantium Epiſtola Venetias ſcripta, qua illi gratias agit pro ſubmiſſo ſibi ejus Libro de Machinis. Dat. Romæ d. 16. Jul. 1616. Orig. Ital.

220

N. — An.

220 — 1616. Cardialis del Monte Epiſtola ad eundem in ſimili negotio. Dat. Romæ d. 16. Jul. 1616. Orig. Ital.

221 — 1616. Joannis Ambroſii Generalis Barnabitarum ad Fauſtum Verantium Reſponſoriæ ad ejus literas d. 22. Octo. datas, quibus gratias agit pro ſubmiſſo libro. Dat. Mediolani d. 24. Nov. 1616. Orig. Ital.

222 — 1617. Petri Pezman Archiepiſcopi Strigon. ad Fauſtum Verantium reſponſum, in quo ſimul de collato ſibi Archiepiſcopatu ſcribit. Tyrnaviæ d. 3. Jan. 1617. Orig.

223 — 1638. Laſcaris Magni Magiſtri Ord. Melicenſis reſponſoriæ ad Carolum Verantium Labacum directæ, quod commiſerit Priori Bohemiæ Colloredo, ut ejus Nobilitatem, ſine ipſius ad habitum religioſum admittendi, exploret, eumque dein recipiat. Dat. Melitæ d. 22. Febr. 1638. Copia.

Hiſtorica Verantiana.

224 — 1490. Ant. Verantii de rebus Hungaricis ab inclinatione Regni. Fragmentum. Autogr.

N. — An.

225 — 1538. De rebus geſtis Joannis Regis, Autore Ant. Verantio Fragmentum Ternio I. & III. Autographum.

226 — 1538. Liber tertius ejusdem operis de ſitu Tranſylvaniæ, Moldaviæ, & Tranſalpinæ, Fragmentum, vel potius opus imperfectum. Autographum.

227 — 1540. Ant. Verantii Caſtigationes in Jovium, ubi Hiſtoria traditæ Turcis Urbis Budæ deſcribitur. Autogr. Fragmentum.

Ant. Verantii Fragmentum de clade Perhati. Autogr.

228 — 1542. Excidium Albæ Regalis. Autore, ut videtur, Ant. Verantio. Autogr.

229 — 1543. Orationes duæ A. R. Ant. Verantii Archiepiſcopi Strigon. in ſecunda hac editione collectæ. Venetiis 1793. typis Modeſti Fentii. Franciſco de Comitibus Draganich Verantio dicavit Ant. Tartalea affinis. 4. Maj. continentur autem hic 1. Gratulatio RR. Ant. Wrancii Præpoſiti Tranſylv. in nuptiis felicibus Cl. Sigismundi Auguſti Regis Poloniæ nomine Sereniſſ. Iſabellæ Hung. &c. Reginæ habita VIII. Idus Maji 1543. Præmittitur Epiſtola: Ant. Wrancius Paulo Murany S. P. dicit. Cracoviæ XVII. Kal. Jun. 1593. Item: Paulus Murany de Torna Ant. Wrancio S. P. D. Cracoviæ 22. die Maji 1543.

Digitized by Google

N. — An.

1543. Initio orationis exprimitur VII. Id. Maj. Cracoviæ apud Hieronymum Vietor. 26. Maji 1543.

230 — 1551. Ant. Verantii Fragmentum Rerum Hung. Anni 1551. Autographum.

231 — 1553. Iter Buda Hadrianopolim A. 1553. exaratum ab Ant. Verantio tunc Quinque Eccles. mox Agrienſi Epiſcopo, ac demum Archiepiſcopo Strigon. Regio in Hung. Locumtenente, Magno Regni Cancellario, atque S. R. Cardinale Elect. Nunc primum e Verantiano Carthophylacio in lucem editum Comiti Franc. Draganitio I. U. D. dedicavit Alb. Fortis. Cum Numismate argenteo æri inciſo, Iconem Verantii referente. Excudebat Venetiis Aloyſius Milocco A. 1774. Menſe Aprili in 4. Pag. 48. Ejusdem opuſculi Fragmentum Autographum, jam uno Ternione mutilum a die 19. Jul. (non 18 ut impreſſum eſt) usque 11. Aug. pertinens.

232 — 1572. 2. Ant. Wrancii Archiepſcopi Strigon. oratio, qua nomine omnium OO. ac SS. Regni Hung. Rudolphum Archiducem Auſtriæ venientem Poſonium ad ineundam coronationem excepit A. D. 1572. d. 21. Sept.

Digitized by Google

N. — An.

233 — Antonii Verantii Hiſtoria Hungariæ ſub Ferdinando I. utroque Joanne Regibus, & Iſabella Regina vidua, usque ad A. C. 1561. producta. Autographum.

Initio deſunt. Quinterniones A. B. C. D. E. F. Quinternio G. adeſt. Quinterniones H. I. K. adeoque univerſim novem deſunt. Quinterniones L. M. N. O. P. Q. proinde univerſim ſeptem adſunt. In fine nihil ultra ſequitur, nec deeſt. Hujus itaque operis plus, quam dimidium deſideratur, breve tamen eſt, cum Verantii ſcriptura laxa ſit. Eſt autem opus lingua Hungarica ſcriptum, cujus ſe Verantius in opere de ſitu Tranſylvaniæ p. 84. compotem fuiſſe profitetur.

Heterogenea.

234 — Antonii Verantii otia, ſive Pœmatia. Terniones duo.

235 — Templum Palladis, vel Dialogus Lulani de Philoſophia, cum adnotationibus Ant. Verantii.

Digitized by Google

N — An.

236— Fragmenta capitum quorumdam, quæ ad Thraciæ, Macedoniæque Topographiam pertinent. Ex Comm. Rer. Memorabilium Petri Bellonii e Gallico in latinum traducta.

237— Michaelis Verantii confeſſio, ſive Precatio ad Deum.

238— Anorymi (Fors Mich. Verantii) ad Cæſaream Maj literæ, ſeu potius diſcurſus de ſtatu Turcarum relate ad Perſas, in quo etiam politica, & bellica conſilia depromuntur. Cum Appendice ad eundem diſcurſum. Italice.

239—1606. Il modo de reſtaurare la Religione in Ongheria. Præſentato al Papa d. 3. Maji 1606. Fors Fauſti Verantii, tum Romæ agentis, & de amplectenda vita Monaſtica deliberantis.

240— Juramentum, quod Suleimanus Princeps Turcarum fecit Joanni Regi ſuper confœderatione cum eo inita.

Reliqua partim a me prolata, partim minoris cenſus prætermitto. Præter hæc habentur in eodem Grammatophylacio Széchényiano e meis Collectionibus eo translatæ inter reliquas ſequentes Antonii Verantii, Fanc. Zay, & Augerii Busbequii legatorum apud Por-

N. — An.

Portam Otomanicam Epiſtolæ Relatoriæ ad Ferdinandum I. R. H. datæ.

241 — 1554. Conſtantinopoli d. 29. Nov.
242 — 1555. Ibidem d. 1. Januar.
243 — 1555. Ibidem d. 4. Januar.
244 — 1555. Ibidem d. 23. Januar.
245 — 1555. Ibidem d. 6. Febr.
246 — 1555. Ibidem d. 8. Febr.
247 — 1555. Ibidem d. 2. Mart.
248 — 1555. Ibidem d. 29. Aprilis.
249 — 1555. Amaſiæ in Cappadocia d. 3. Maji.
250 — 1555. Ibidem d. 19. Maji.
251 — 1555. Ibidem d. 28. Maji.
252 — 1555. Conſtantinopoli d. 1. Julli.
253 — 1555. Ibidem in fine mutila.
254 — 1555. Ibidem d. 4. Jan. ad Nicolaum Olahum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DUE DATE

AUG 18 1998

JUN 02 2003

NOV 07 2005

FEB 15 2008

FEB 24 2009

Printed in USA

Digitized by Google

DB
923
.K6
v.2

028746601

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0040309754

DB 923
.K6 V2

DEC 16 1970

Digitized by Google